

DE USU
ET
AUTHORITATE
JURIS CIVILIS
ROMANORUM,
IN DOMINIIS

Principum Christianorum,

LIBRI DUO.

Authore

ARTHURO DUCK, LL. D.

Cum Privilegio Sereniss. Elect. Brandeburg.





NEAPOLI, MDCCXIX.
Typis Dominici-Antonii, & Nicolai Parrino.

Superiorum Licentia.

D. DOMINICO CARAVITAE
ORATORI CLARISSIMO,

QUI HEREDEM SE OSTENDIT
NONMINUS AVITAE NOBILITATIS, FORTUNAEQUE,
QUAM LAUDIS, AC VIRTUTIS,
QUAS ITA BENE SIMUL CONJUNGIT,
UT UNA ALIIS NON OFFICIT;
IMMO SIBI INVICEM OPITULANTUR,
ATQUE PER MANUS DUCUNT.
INSUPER TANTA EST NON MODO ELOQUENTIA,
ET ERUDITIONE,
SED LEGALI FACULTATE PRAEDITUS,
UT IN FORO, PRO MORE, PATROCINIA SUSCIPIENS,
OMNES IMPLET ADMIRATIONE:
QUONIAM VIDETUR POTIUS LEGES CONDERE,
QUAM INTERPRETARI.
DENIQUE EISDEMMET COLLEGIS,
QUI SUUM INGENIUM DOCTRINAM,
AC MORUM PROBITATEM MIRANTUR,
EST TAM CARUS,
UT INUSITATA BENEVOLENTIA EUM PROSEQUUNTUR.
NICOLAUS PARRINO PUBLICAE HUIC FAMAE
ANNUENS,
ET IN PERPETUUM GRATI ANIMI OBSEQUIUM,
AC TESTIMONIUM,
HUNC LIBRUM (CUJUS TITULUS EST:

DE

De Usu,
Et Auctoritate Juris Civilis Romanorum, &c.
Auctore Arturo Duck. LL. D.)
Mole exiguum,
Sed Doctrina, et Eruditione Maximum,
Dedicat, cosecratque.

SUM-

SUMMARIA
CAPITUM
LIBRI I.

Cap. I.

I. **R**omani Imperium quæſiverunt per Arma & Leges.

II. Bella Romanorum injuſta cum Sabinis, Fidenatibus, Vejentibus, Albanis, Gabiis, Volſcis, Rutilis, aliiſque Populis finitimis.

III. Et cum Latinis, Samnitibus, & Tarentinis.

IV. Bella Romanorum cum Populis Italiæ per quingentos Annos.

V. Injuſtitia Romanorum in bello Siculo, & in primo bello Punico.

VI. Et in ſecundo bello Punico.

VII. Et in tertio bello Punico.

VIII. Et in bello Macedonico, in Creta, in Corſica, in Mitridatico.

IX. Et in bello Parthico, & Numantino.

X. Et in bello Judaico.

XI. Et in bello Britannico.

Romani per Socios Bellorum cauſas quærebant.

XII. Sanctorum Eccleſiæ Patrum teſtimonia de injuſtitia Romanorum in Bellis.

XIII. Iidemque ſub primis Impp. Romanis floruerunt.

XIV. Theologorum teſtimonia de Romanorum injuſtitia in Bellis ſuis.

XV. Et Juriſconſultorum teſtimonia.

CAP. II.

CAPUT III.

VIII.

CAP. IV.

CAP. V.

XIII.

XIII. *Pandectæ* à Lothario *Sax. Imp. restitutæ, primâ ad Pisanos, dein Floretinos pervenerunt.*
XIV. Irnerius *Jus Civile docuit & alii, præ reliquis* Fr. Accursius.
XV. *Post* Accursium Cynus, Bartolus, Baldus *alii-que.*
XVI. *Et alii Interpretes Itali.*
XVII. Alciatus, Budæus, *& alii Interpretes recentiores laudantur.*
XVIII. *Ad Jus Civile accesserunt Jus Feudorum, Jus Canonicum, & Doctorum scripta.*

CAP. VI.

I. *Feudorum origo an à Romanis, an à Longobardis?*
II. *Feudorum in Jure Romano nulla vestigia.*
III. *Feuda orta à Longobardis in Italia.*
IV. *Communis opinio, quòd Feuda originem habuerint à Longobardis, non à Gallis.*
V. *Libri Feudorum compositi per* Obertum Ortensium, & Gerardum Capagistrum.
VI. *Jus Feudorum est Consuetudo non Jus scriptum.*
VII. *Libri Feudorum sunt authentici.*
VIII. *Recipiuntur libri Feudorum ab omnibus, etiam à Gallis.*
IX. *Jura Feudorum connexa cum Jure Civili Rom.*
X. *Et cum Jure Canonico.*
XI. *Libri Feudorum recepti ab omnibus Principibus Populisque Christianis.*
XII. *Libri Feudorum vulgares solùm authentici.*
XIII. *Interpretes ad Libros Feudorum enumerantur.*

CAP. VII.

CAP. VIII.

CONCLUS. LIB. I.

SUMMARIA
CAPITUM
LIBRI II.
CAPUT I.

XIIJ.

CAP. II.

X.

CAP. III.

XIV.

XXIX.

CAP. IV.

IX.

CAP. V.

Lege

Guido

CAP. VI.

XXV.

XXV. *In Hispania in foro Ecclesiastico sequuntur jus Canonicum, in seculari jus civile.*
XXVI. *De Lege Hispaniæ, prohibente jus civile allegari in judiciis, sub pœna Capitis.*
XXVIJ. *Ea Lex aut nunquam lata fuit, aut condita a primis Gothicis* Regibus.
Doctores nostri aves imitantur.
XXVIIJ. *Ea Lex in desuetudinem abiit.*
XXIX. *Ius Civile solum docetur iu Academiis Hispaniæ, & observatur in omnibus Curiis.*
Doctorum Interpretationes observantur in Hispania.
In Hispania soli juris civilis Professores sunt Advocati, & Judices.
XXX. *Judices non relinquendi arbitrio suo.*
Jac. Menochii *liber, de arbitrariis Judicum quæstionibus, damnatur.*
XXXI. *Jurisconsulti Hispaniæ clarissimi.*
Ant. Augustinus, Did. Covarruvias, & Mart. Navarrus *laudantur.*
XXXII. *Lusitania Hispaniæ pars, & Provincia.*

CAPUT VII.

I. *Lusitani diu cum Romanis dimicarunt.*
II. *Lusitani sequebantur Carthaginenses contra Romanos.*
Lusitania domita ab Augusto.
IIJ. *Romanorum Coloniæ in Lusitania.*
Privilegia Lusitanis concessa à Romanis.
IV. *Romani Domini Lusitaniæ, postea Gothi, & deinde Mauri, & Suraceni.*
V. *Lusitania data ab* Alphonso *in dotem* Henrico *cum* Taresia *filia.*
VJ. *Dominia Regni Lusitanici.*

CAP. VIII.

PARS I.

Bri-

CAP. VIII.

PARS II.

XXJV.

CAP. VJIJ.

PARS III.

I. *ANgliæ Reges non subditi Imperatori & non recognoscunt Superiorem.*

II. *Rex Angliæ mentionem faciens de Jure, intelligitur de Jure Anglicano.*

IIJ. *Rex Angliæ non est Feudatarius Pontificis Romani.*

IV. *Angli nunquam pati voluerunt mutationem Juris sui ex æquitate Juris Romani.*

V. *Curiarum Angliæ divisio ex mero Jure & ex æquo bonoque.*

VJ. *Judicia ex mero Jure Anglicano nihil commune habent cum Jure Civili.*

Jus Anglicanum constat ex Consuetudinibus & Statutis Regni.

VIJ. *Scriptores antiqui in Jure Anglicano & relationes Rerum judicatarum.*

VIIJ. *Scripta Jurisconsultorum Anglicorum, & Res judicatæ an habeant Juris Authoritatem?*

IX. *Scriptores in Jure Anglicano peritissimi Juris Civilis.*

Juris Civilis Professores ad Iudicum Munera admissi.

X. *Cancellarii Angliæ plerumque Iuris Civilis periti.*

XJ. *Magistri in Cancellaria plerumque Iuris Civilis periti, & Clerici, qui Brevia Originalia composuerunt.*

Custodes Privati Sigilli & Magistri Libellorum Supplicum plerumque Iuris Civilis periti.

XIJ. *Maxima Munera concessa Iuris Civilis Professoribus, sub* Eduvardo III.

XXVIIJ.

CAP. IX.

CAP. X.

XIX.

III.

CAP. XIII.

CAP. XIV.

Sveci

ELEN-

ELENCHUS
CAPITUM
Utriusque Libri.

Libri primi Capita.

Libri secundi Capita.

De Usu & Authoritate Juris Civilis Romanorum.

4. In

DE

DE USU ET AUTHORITATE

JURIS CIVILIS ROMANORUM,

In Dominiis Principum Christianorum.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De Justitia Romanorum, *in Bellis & Legibus suis.*



ROMANOS, per Arma & Leges, reliquis gentibus dominatos fuisse asserit Imper. *Justinianus* (1); sed non parem utrinque gloriam assecuti sunt, cum Armorum Romanorum justitia ægre defendi possit, Legum vero Romanorum justitiam & æquitatem omnes gentes prædicent & amplectantur. De Legibus igitur Romanis acturus, necessarium duxi aliquid præfari de justitiâ Armorum & Bellorum populi Romani, cum in eam controve-

(1) *C. De Justinian. Cod. confirm. in Princ.*

ſiam Juriſconſulti noſtri in ſcriptis ſuis ſæpe incidant. Romanos vero in populos finitimos & reliquas gentes per injuriam & injuſtis ex Cauſis plerumque bella moviſſe, tum rerum Romanarum Scriptores, tum ſancti Eccleſiæ Patres, & Theologi poſteriores, & Juris utriuſque Interpretes in libris ſuis ſæpe affirmant. Incipiemus à Scriptoribus Hiſtoriæ Romanæ.

II. Primum *Romanorum* Bellum fuit cum *Sabinis*, *Senonenſibus*, *Antemnatibus*, *Cruſtumenis*, & populis finitimis. Ad eos miſit Legatos *Romulus*, qui uxores populo ſuo quærerent; qui cum minùs benigne audirentur, indicit ſpectaculum Ludorum equeſtrium, invitat vicinos populos: qui cum veniſſent, rapiuntur Virgines, parentes accuſant Romanos violati hoſpitii, & inde Bella (2) ex injurià raptarum orta ſunt. Deinde cauſam Belli quærunt contra Fidenates & Vejentes de prædis abactis ex agro Romanorum (3), & victoria penes Romanos fuit, cum *Romulum* accuſet *Plutarchus* (4) terminos agro ſuo non poſuiſſe, ne menſura proprii termini proderet menſuram alieni, & ſi non ſervaretur, eſſet injuriæ indicium. Poſt hæc *Tullus* Hoſtilius ſeneſcere Civitatem otio ratus (5), cum *Albanis* materiam Belli quærebat, prædas agrorum pariter cauſatus, in quo *Albani* à Romani fuſi ſunt. Idem *Tullus* Sabinis Bellum (6) indicit, quod negotiatores Romani ad forum Feroniæ, ſplendiſſimum Italiæ forum, à Sabinis in vincu-

la

(2) *Liv. lib. 1. Flor. lib. 1. cap. 1. Eutrop. lib. 1.* (3) *Liv. lib. 1. Dionyſ. Halicarn. lib. 3.* (4) *Plutarch. in Num.* (5) *Liv. lib. 1.* (6) *Liv. lib. 1. & Dionyſ. lib. 3.*

la conjecti essent, cum Romani prius Sabinos Romæ detinuissent. *Tarquinius* in Gabios & Volscos bellum movit, eosque dolo & fraude *Sexti* filii sui superavit; idemque Rutilos aggressus fudit ex ea causà (7), quod ipse exhaustus magnificentià ditescere, & populum suum prædâ delinire studeret.

III. Bellorum cum populis Latinorum sæpius gestorum Romani varias causas commenti sunt; quandoque enim fœderum violatorum eos arguebant: si quid post fœdera icta cum *Romulo*, aut *Tullo*, aut *Anco* adversus Successores, aut si post fœdus cum *Tarquinio* adversus populum Romanum liberum aliquid attentassent, quod Latini sibi licere contendebant (8); quandoque querebantur de eorum defectionibus, cum tamen gentem Latinam deletam fuisse nullo certo defectionis crimine asserat *T. Livius* (9). Inter Romanos deinceps & Samnites (populum potentissimum) fœdere conjunctos bellum ortum est ex Causa Campanorum (10). Samnites Sidicinis bellum inferunt, hi Campanorum auxilium implorant, quos eâ de Causâ omissis Sidicinis Samnites bello prosequuntur. Ii Romanorum opem petunt, quam illi primò negarunt, quod amicitia sua cum Samnitibus esset vetustior, sed cum Campani se & urbem & omnia humana divinaque Romanis dedissent, Romani Samnites bello sequuntur & superant, cujus belli occultam causam fuisse Samnitum potentiam tradit (11) *Dionysius*; neque enim ullus

(7) *Liv. lib.* [illegible] *Dionys. lib.* 3. (8) *Dionys. lib.* 3. 5. 6. 7. 8. *Liv. lib.* 1.
(9) *Liv. lib.* 9. (10) *Liv. lib.* 7. (11) *Dionys. in excerpt. Legat.*

hostis fuit intra Italiam, qui Romanam virtutem (12) magis fatigaverit. Postquam vero Samnites & Hetruscos Dominationi suæ adjecissent, ad reliqua Italiæ sunt progressi, velut non jam de alienis, sed majorem partem suis & ad se pertinentibus dimicaturi: ut de iis (13) *Polybius*. Bellum à Romanis postea cùm Tarentinis (14) gestum est, quod *Pyrrhi* auxilia contra Romanos advocassent, revera (15) ut *Brundusio* portu in Græciam & Illyricum opportuno potirentur.

IV. Hæc bella per quingentos annos Romanos exercuerunt (16), qui Italia potiti intra ducentos annos insequentes Africam, Europam, Asiam, & universum fere orbem ex causis æque injustis adepti sunt.

V. Post Italiam subjugatam prima Romanorum trajectio fuit in Siciliam, quam Romanus & Pœnus affectabant, & paribus uterque viribus & votis imperium orbis agitabant. Romani (17) specie quidem *Mamertinos* juvandi socios suos per appium Consulem Messanam, & Syracusas aggrediuntur, & classem Carthaginensium delent, revera studio prædæ, ut Siciliam ad se traherent, quæ fuit primi belli Punici causa, in quo Romanos violati fœderis cum Carthaginensibus icti, & Sardiniam sine ullà causà in suam potestatem redegisse, arguit (18) *Polybius*.

VI. Belli secundi *Punici* justa fuit causa ex parte

(12) *Eutrop. lib. 2.* (13) *Polyb. lib. 1.* (14) *Flor. lib. 1. cap. 18. Eutrop. lib. 2.* (15) *Zonar. Tom. 3. de bell. Rom.* (16) *Flor. lib. 2. cap. 1.* (17) *Flor. lib. 2. cap. 1. & 2. Polib. 1.* (18) *Polyb. lib. 1.*

te Cartaginensium, judicio (19) *Polybii*, quod Sardiniâ sine causa excedere à Romanis coacti fuissent: & si Saguntinorum obsidio à Romanis pro justa belli causa obtenderetur, quod Saguntinos socios suos defendere tenerentur, Carthaginenses responderunt, Saguntinos non fuisse Socios populi Romani tempore fœderis (20), adeoque illis ex eo fœdere cautum non fuisse. Et Saguntinos non fuisse comprehensos in eo fœdere, æquior jurisconsultis (21) videtur sententia, cum agatur de fœdere rumpendo, quæ est res odiosa, & ex eâ libertas Carthaginensibus ulciscendi injurias sibi illatas erepta sit. Licetque Saguntini essent fœdere Romanorum comprehensi, eos Annibal justissime (22) oppugnabat, quod hostes Carthaginensium reciperent & adjuvarent.

VII. E tertii belli Punici causa fuit, quod Carthaginenses *Masinissæ*, Numidiæ regi socio Romanorum, bellum inferrent, cum Carthaginenses de injuriis *Masinissæ* (23) apud Romanos quererentur, & permitterent se Romanis (24) quid donatum *Masinissæ* vellent; & studiose quærenti nulla ratio tertii belli Punici (25) constare potest: Carthaginemque magis invidia imperii (26), quam ullius ejus temporis noxiæ invisam Romano nomini funditus sustulit.

VIII. Devictâ Carthagine, Romani aggrediuntur Macedoniam, Græciam, Syriam, cæterasque gentes (27), *quasi astu & torrente fortunæ*: & primò

 in-

(19) *Polyb. lib. 3.* (20) *Liv. lib. 21.* (21) *Grot. lib. 2. de jur. bell. cap. 16. n. 13.* (22) *Alb. Gentil. lib. 2. de Jur. Bell. cap. 22.* (23) *Flor. lib. 2. cap. 15.* (24) *Liv. lib. 42.* (25) *Oros. lib. 4. cap. 23.* (26) *Patercul. lib. 1.* (27) *Flor. lib. 2. cap. 7.*

invadunt *Philippum* Macedoniæ (28) regem; eoque mortuo Perseum ejus filium belli hæredem relictum, qui cum *Paulum Æmilium* consulem Romanum insigni prælio vicisset, & pacem tamen à Romanis peteret, fœdusque cum Patre ictum servare spopondisset; eum tamen Romani audire noluerunt (29), nisi se regnumque & sua omnia dederet. Et Creta insula in potestatem *Metelli* consulis venit (30) per ejus perfidiam, Creticique belli nullam aliam fuisse causam ait *Florus* (31), *quam nobilis insulæ acquirendæ cupiditatem*. Et par fuit fortuna vicinarum insularum; in Corsicam insulam belli Romani nullam fuisse justam causam fatetur (32) *Sigonius*; & *Ammianus* (33) Cyprum fertilem insulam avide magis, quam juste populum Romanum invasisse, *Mithridatem* Ponti Regem aggrediuntur Romani, quod is *Nicomedem* Bithiniæ regem amicum populi Romani (34) invaderet, postquam à Romanis *Nicomedes* clam instigatus fuisset (35) ut infestaret *Mithridatem*, atque inde haberent Romani belli causam pro rege amico contra *Mithridatem*; & *Pharnaci* ejus filio parricidii in patrem reo in sceleris mercedem (36) paternum regnum tribuerunt, eumque sociis suis ascripserunt.

IX. Cum vero multæ sint gentes, cum quibus nec amicitiam nec hospitium nec fœdus habemus, ut asserit J. C. *Pomponius* (37), Crassus tamen Consul, glo-

(28) *Liv. lib. 31.* (29) *Liv. lib. 39. & 42. Eutrop. lib. 4.* (30) *Dio. Cass. lib. 36.* (31) *Flor. lib. 3. cap. 7.* (32) *Sigon. de antiq. jur. provin. cap. 4.* (33) *Ammian. Marcellin. lib. 14.* (34) *Flor. lib. 3. cap. 5. Eutrop. lib. 5.* (35) *Appian. in Mithrid.* (36) *Dio. lib. 37.* (37) *L. postlim. 5. §. in pace ff. de cap. & postlim.*

gloriæ & auro inhians, sine ulla causa (38) bellum Partis infert, qui fuso exercitu turpiter ab iis occisus est. Inter bella Hispanica memoria belli Numantini manet in opprobrium Romani nominis. Nam cum Numantini in fusum Hostilii Mancini Consulis exercitum ad internecionem sævire potuissent, fœdus Caudinum maluerunt, cujus dedecus misso *Scipione* Romani expiarunt cæde omnium Numantinorum, nemine relicto, qui vinctus in catenis triumphum de solo nomine Numantiæ factum sequeretur; & nullam unquam causam belli, quam illius, fuisse injustiorem agnoscit (39) *Florus*. Et Romanos revera fuisse ingressos Hispaniam ad quærendas auri argentique fodinas, testatur Scriptor (40) historiæ Machabæitæ.

X. *Pompejus* in Judæos bellum movet, occasione arreptâ ex dissidiis *Hircani* & *Aristobuli* contendentium de Sacerdotio (41); *Aristobulum* in vinculis tenet, cum pecuniam extorquere non posset: & *Hierosalymam* in Sabbato (cessantibus eo die à labore Judæis) capit & diripit.

XI. In Britanniam nostram primus Romanorum *Jul. Cæsar.* profectus est, specie quod obsides non misissent: aliam causam inventurus, si prætextus obsidum non missorum defuisset (42), pro ingenti cupiditate potiundæ Insulæ, qua tenebatur. Ita *Galgacus* Dux nostratum queritur de Romanis (43), *Raptores orbis terrarum, postquam cuncta vastantibus defecere*

(38) *Dio. lib. 40. Flor. lib. 3. cap. 11.* (39) *Flor. lib. 2. cap. 18.* (40) *1. Machab. 8.* (41) *Dio. lib. 37. Xiphilin. lib. 37.* (42) *Dio. lib. 39. & 40. Xiphilin. ibid.* (43) *Tacit. in vit. Agricol.*

terræ, & mare ſcrutantur; ſi locuples eſt hoſtis, avari: ſi pauper, ambitioſi; quos non oriens, non occidens ſatiaverit, ſoli omnium opes atque inopiam pari affectu concupiſcunt, auferre, trucidare, rapere falſis nominibus imperium; atque ubi ſolitudinem faciunt, pacem appellant. In Pannonios bellum motum ab *Augusto* eâ de cauſa (44), ut arma Romana exercitarentur, *Omne id juſtum cenſente, quod armis potentior contra infermiorem decerneret*. Et *Trajanus* poſtea Armenis Parthiſque bellum intulit (45) gloriæ tantum cupiditate adductus. Et ſub eo maxima erat Romani imperii magnitudo & faſtigium (46); quod tamen ſub eo iterum imminutum eſt (47), deficientibus iiſdem populis, & in ſuam poteſtatem redeuntibus: ſic bellandi cauſas Romanos undique quæſiviſſe conſtat, plerumque vero obtendentes pietatem in ſocios & amicos; quos facile aſciſcebant, ut ex eorum injuriis belli cauſam in alias gentes haberent: unde *M. Cicero* profitetur (48) populum Romanum locus defendendis terrarum omnium potitum fuiſſe. Quis ergo defendere poteſt *Dionyſium*, dum dicit (49) Romanos nullum bellum ſine juſta cauſa ſuſcepiſſe? cum tot habeamus argumenta injuſtitiæ Romanorum in Bellorum ſuorum Cauſis à ſcriptoribus rerum Romanarum (50), qui in tanto ſtudio Romanos laudandi hæc prodiderunt; innumera alia habituri, ſi Italorum antiquorum, Carthaginenſium, Græcorum, Ma-

(44) *Dio. lib. 49.* (45) *Xiphilin. in Trajan.* (46) *Lipſ. de Magnitud. Rom. lib. 1. cap. 3.* (47) *Xiphilin. in Trajan.* (48) *Cicer. lib. 2. Offic.* (49) *Dionyſ. lib. 2.* (50) *Oroſ. lib. 4. cap. 5.*

Macedonum, aliorumque, qui cum Romanis dimicarunt, historiæ apud nos extarent.

XII. Gravia etiam habemus testimonia Sanctorum Ecclesiæ Patrum, & Theologorum de Romanorum injustitiâ in bellis gerendis. *D. Hieronymus* (51) per crura ferrea in statuà *Nebuchadnezaris* designari interpretatur Romanum imperium, quod sicut ferrum omnia conterit & comminuit: & *S. Isidorus Pelusiota* (52) per quartam belluam ferreis dentibus æreisque cruribus armatam, designari putat Imperium Romanum, quod ex omnibus gentibus compactum easdem contereret, & subjugum suum mitteret. Et per virgam ferream in *Psal.* 2. designari Romanum Imperium *S. Cyrillus Archiepiscopus Hierosolymitanus* (53) existimat. De Romanis ita *D. Cyprianus* (54): *Imperium tenuerunt Assyrii, Medi, & Persas & Græcos & Romanos regnasse cognovimus; ita vicibus potestatum, Romanis quoque & ceteris imperandi tempus obvenit. Ceterum si ad originem redeas, erubescas: Populus de sceleratis & nocentibus congregatus; & asylo constituto facit numerum impunitas criminum, ut rex ipse principatum habeat ad crimina; fit* Romulus *parricida, atque, ut matrimonium faciat, rem concordiæ par discordias auspicatur. Rapiunt ferociunt, fallunt, ad copiam civitatis augendam nuptiæ sunt illis rupta hospitii fœdera, & cum soceris bella crudelia.* De iisdem Minutius Felix Advocatus

(51) *Hieronym. in Comment. ad cap. 2. Dan.* (52) *Isidor. Pelusiot. Epist. 218. in Bibliothec. Patr. Tom. 5.* (53) *Cyril. de incarnat. Christ. catechef. 18. in Biblioth. Patrum. Tom. 4.* (54) *Cyprian. lib. de Idolor. vanitat.*

vocatus Romanus (55): *Confluxerunt perditi, facinorosi, incesti, sicarii, proditores, asylo prima plebs congregata est; ipse* Romulus *primo parricidium fecit, mox alienas virigines jam desponsatas, & nonnullas de matrimonio mulierculas sine more rapuit, violavit, illusit, & cum earum parentibus soceris suis bellum miscuit: jam finitimos agro pellere, civitates proximas evertere, captos cogere, damnis alienis & suis sceleribus cum* Romulo *ceteris regibus & ducibus posthumis disciplina communis. Ita quicquid Romani tenent, possident, audaciæ præda est; toties à Romanis impiatum est, quoties triumphatum.* Post eum *Arnobius* de Roma (56): *Una civitas in humani generis perniciem nata orbem subjugavit innocuum:* & *Arnobii* discipulus *Lactantius* (57): Romanos nullam aliam ad immortalitatem viam quærere, quam *exercitus ducere, aliena vastare, delere urbes, liberos populos aut trucidare aut subjicere servituti: videlicet quo plures homines afflixerint, spoliaverint, occiderint, eo se nobiliores & clariores putant: rapiunt, sæviunt, & injuriis insolenter illatis humanæ societatis fœdus irrumpunt; ut habere hostem possint, quem sceleratius deleant, quam lacesserint:* & post hos *D. Augustinus* (58): *Remotâ justitia quid sunt regna, nisi magna latrocinia? & ipsa latrocinia quid sunt nisi parva regna?* Laudatque Piratæ responsum, *Alexandro Magno* quærenti,

Cur

(55) *In Dial. Octavius.* (56) *Arnob. advers. gent. in fin.* (57) *Lactant. lib. divinar. Institut. cap. 18.* (58) *Augustin. lib. 4. de civit. Dei cap. 4.*

Cur mare infeſtum haberet, reſpondit: Eodem jure quo tu orbem terrarum. Idemque *D. Auguſtinus* (59): *Inferre bella finitimis, atque inde in cetera procedere, ac populos ſibi non moleſtos ſola regni cupiditate conterere & ſubdere, quid aliud quam grande Latrocinium nominandum eſt?*

XIII. Hæc ſunt Teſtimonia ſummorum Virorum in Eccleſia de Romano Imperio, primis religionis Chriſtianæ temporibus, dum omnes fere gentes ſub eo imperio eſſent: nam *Cyprianus* (60) ſub Impp. *Valeriano* & *Gallieno*, *Minutius Felix Tertulliani* æqualis (61) ſub *Severo*, *Arnobius* (62) ſub *Diocletiano*, *Cyrillus Hieroſolymit.* (63) ſub *Conſtantio* & *Theodoſio*, *Lactantius*, ſub *Conſtantino Magno*, cujus filium *Criſpum* erudiebat, *Hieronymus* (64) ſub *Theodoſio*, ſub quo & *Iſidorus Peluſiota* (65), *Auguſtinus* ſub *Valentiniano* floruerunt.

XIV. Patribus Eccleſiæ accedunt Theologi poſteriores, aſſerentes (66) Romanos ceterorum Principum Regna & Dominia per vim & tyrannidem maxima ex parte occupaſſe; iidemque docent reliqua tria ſumma mūdi imperia, Aſſyriorum per *Ninum*, Medorum Perſarumque per *Cyrum*, Græcorum per *Alexandrum Magnum* quæſita, per vim etiam & tyrannidem coaluiſſe.

XV. Poſt Theologos Juriſconſulti noſtri juris utriuſque

(59) *Auguſtin. lib. 4. de civit. Dei cap. 6.* (60) *Pammel. in vit. D. Cyprian.* (61) *Hieron. de ſcriptor. Eccleſ.* (62) *Bell. de Scriptor. Eccleſ.* (63) *Hieron. & Bell. ibid.* (64) *Vict. in vit. Hieron. & Bell. de ſcriptor. Eccleſ.* (65) *Biblioth. Patr. to. 5. par. 2.* (66) *Sot. de Juſt. & Jur. lib. 4. q. 2. art. 2. Lud. Molin. de Juſtit. & Jur. to. 1. diſp. 24. Jo. de Salas in 1. 2. de Legib. qu. 95. tract. 14. diſput. 7. ſect. 12. Card. Bellarmin. lib. 3. de Laicis cap. 6.*

utriusque interpretes, dum leges Romanas interpretantur & laudant, Romanorum bella maxima ex parte injusta fuisse prædicant; eorum bella (✠) violentas & Tyrannicas invasiones, Romanos ipsos spoliatores, raptores & prædones orbis terrarum (67) ubique appellant, scilicet Romani, qui primo fœminas finitimorum rapuerunt, orbis deinde raptores (68) fuere; Romani imperii titulum solum esse ex Bello (69) & armis, quod jus gentium esse obtendunt, cum verius protervitas & injuria gentium (70) dici debeat; eodemque vitio laborasse reliqua summa mundi Imperia, quæ per Tirannidem & vim (71) cœperunt; præ ceteris vero Romanorum, quorum avaritiam & ambitionem omnes perstringunt, unde Romam appellant (72) avaritiæ caput; variatiæque inhumanitatem esse proprium Romanorum pœne omnium malum ait *Salvianus* (73) Episcopus Massiliensis; eorundemque avaritiæ; sicut Legem *Juliam* repetundarum, sic ambitionis Legem *Juliam* de ambitu, certissima

(✠) *Alb. ad l. 1. n. 20. C. de sum. Trinit. Jo: Andr. & Innoc. in c. quod super his, de vot. Abb. & Card. Zabar. in c. venerabilem, de elect. Jo: Igne. in repet. l. necessarias, §. non alias, de S.C. Syllan. Castald.* de *Imperat. qu. 4. num. 32. & qu. 69. num. 10. Anton.* de *Rosell. tract.* de *Concil. §. 7. 9. 11. 12. Conrad. Brun.* de *Seditios. cap. 6. num. 28. Mayner. ad l. quod insen. num. 20. de reg. jur. Bell. in spec. Princ. rubr. 14. §. veniamus, num. 13.* (67) *Innocent. in d. c. quod super, de voto Jo: Monach. ad c. fundamenta. num. 7. de Elect. in 6. Chassan. in Catal. gl. mund. par. 5. Consider. 28. Petr. Rat. ad Consuet. Pictav. tit.* des fiefs *ar. 2. Brun. d. c. 6. n. 28. Villalob. in antinom. Jur. Civil. & Hispan. in princ. n. 4.* (68) *Carol. Fabrott. in edit. Basil. in epist. ad Cancell. Franc.* (69) *Card. Zabarell. in c. venerabilem, §. verum, de elect. in 6. Arnis. de Jur. Majest. lib. 1. cap. 2. n. 3.* (70) *Petr. Rat. d. tit.* des fiefs, *art. 1.* (71) *Jo: Igne. in d. §. non alias, n. 116. Navar. in repetit. c. novit. de judic. Not. 3. n. 152.* (72) *Phill. Prob. ad Jo: Monach. in d. c. fundamenta. n. 7. Gl. ad l. 4. §. pupillus, ff. de usu cap.* (73) *Salvian. lib. 7. de Providen.*

tiſſima eſſe argumenta *Jac.Cujacius* (74) tradidit.

XVI. Ex Theologis tamen & Juriſconſultis non pauci defendunt juſtitiam Romanorum in acquirendis Dominiis, aſſerentes, eos juſte armis ſuis uſos, eorumque imperium juſtum & legitimum(75) fuiſſe. Horum alii juſtitiæ imperii Romani cauſam petunt à Dei voluntate,qui etiam reliquis Monarchis Aſſyriæ, Perſiæ, Græciæ, ſuam poteſtatem immediate conceſſiſſe à Prophetis (76) enunciatur. Quorum tamen ſententia intelligenda eſt de voluntate Dei permittente (77) tantum & ſinente, non præcipiente & mandante. Neque enim Deus conceſſit imperium Romanis ſolum ob ſanctiſſimas Leges & eximias eorum virtutes, quibus reliquis gentibus omnibus antecellebant, ut *Auguſtinus*, *Hieronymus*, *Aquinas*, aliique (78) opinati ſunt, ſed ut aliarum gentium tyrannidem, peccata, & ſcelera (79) coercerent;ſicut permiſit Aſſyriis, Chaldæis, & Philiſtæis, Judæam caſtigare, eodemque modo quo *Moſes* Iſraelitis edixit, Deum conceſſiſſe iis Provincias Cananæorum, non ob ſuas virtutes, (80) ſed in eorum pœnam & ſupplicium.Et Dominus noſter *Cæſaribus*,ut legitimis Principibus,tributa & vectigalia in Judæa (81) ſol-

(74) *Cujac.in Paratit.ff.ad Tit. de leg.Jul. Repetund.* (75) *Alber. ad l.1.n.20.C.de ſum.Trin.t.Pacian.lib.2.de probat.c.35.n.55.Alber. Gentil.de arm.Rom.lib.2.c.13.* (76) *Eſai.45.Jerem.27.Dan.2.* (77) *Lud. Molin.de Juſt.& Jur.diſp.24.Iſern.in præluд.feuder.q.2.n.30.Brun. d.c.6. n.29.Paul.Carrar.de interpret Regul.Jur.Can.q.3,art.9.n.78.* (78) *Auguſtin.lib.5.de Civit.cap.12.& 15.c.omnes 2°.qu.1.Aquin.de regin.Princ. cap.5.Caſtald.de Imper.q.64.n.10.Marquard.de Suſan.de cœlibat. Sacerd. cap.8.n.10.* (79) *Navarr.in Manual.c 20.n.55.Vaſq.lib.5.Controv.illuſt.c.20.n.32.Salas d.diſput.7.ſect.12.* (80) *Deut.c.9.* (81) *Marq. 12.Luc.20.Salas d.diſputat.7.ſect.7.*

ſolvi mandavit, Apoſtolique ejus Imperatoribus & Magiſtratibus Romanis obedientiam à Chriſtianis præſtari (82) juſſerunt; licet Romani nullam Judææ invadendæ cauſam legitimam habuerant, eidemque, ſi cui alii, Provinciæ injuſte imperabant: dum tamen Reſpublicæ & populi eos tolerabant, eorum conſtitutiones & præcepta obſervare (83) tenebantur.

XVII. Quæ omnia tamen proceſſerunt, Dei voluntate permittente tantum, non jubente, qui ob peccata de gente in gentem Regna (84) transfert, tyranniſque & hominibus ſceleratis ut Miniſtris ſuis in vindictam peccatorum utitur; permiſſionem vero divinam non eſſe juſtum belli inferendi Imperiique acquirendi titulum, Theologi & Juriſconſulti (85) aſſerunt, & Deus videtur reprobaſſe Romanum imperium (86) quod injuſte inceperit.

XVIII. Alii juſtitiam Romani Imperii petunt à conſenſu principum & populorum ab iis debellatorum, qui primo per vim & injuſte coacti, ſed poſtea expreſſe vel tacite in Romanorum dominationem conſenſerunt, ex imperio injuſto (87) juſtum reddiderunt: ſicuti Matrimonium per vim & metum contractum per conſenſum ſupervenientem in legitimum

(82) 1. *Pet.* 2. *ad Rom.* 13. (83) *Victor. Relect.* 5. *Lud. Molin. d. diſp.* 24. (84) *Eccleſ. c.* 10. (85) *Carrar. d. art.* 9. *num.* 78. *Molin. d. diſp.* 24. *Soto d. lib.* 4. *art.* 2. *qu.* 4. *Iſern. d. qu.* 2. *n.* 30. *Marquar. de Suſann. de cælibat. Sacerdot. c.* 8. (86) *Pet. à Monte in Monarch. Concil* §. *de Imperat. num.* 3. (87) *Alberic. d. l.* 1. *n.* 20. *C. de ſum. Trinit. Iſern. in præl. ud. feud. q.* 1. *num.* 30. *Caſtald. de Imper. qu.* 69. *n.* 10. *Fr. Zoannett. de Rom. Imper. nu.* 231. *Pacian. d. lib.* 2. *c.* 35. *n.* 55. *Molin. d. diſput* 24. *Salas d. diſput.* 7. *ſect.* 12.

mum (88) transit. His vero adversatur *Martinus Navarrus* (89) quia non constat omnes consensisse, dum pauci consenserint, neque constat de consensu Principium, de quorum jure præsertim agitur: talisque consensus durante metus causâ pro coacto habendus est, & non obligat ex edicto (90) Prætoris, cujus edicti verba Spiritum Sanctum in os Prætoris immisisse; *Baldus* (91) existimavit.

XIX. Alii justitiam Romani Imperii tuentur ex præscriptione & diuturnitate temporis, cum multi Principes populique à Romanis per vim subjugati, per varia secula sub eorum imperio manentes, eorum dominationi videntur (92) acquievisse, vitiumque violentiæ ex diuturnitate temporis purgatum videatur. Quibus repugnat communis Jurisconsultorum sententia; qui titulum & bonam fidem in omni præscriptione (93) requirunt; cum Leges Romanæ & omnia jura (94) doceant, Res vi & injuste acquisitas per nullum temporis cursum posse juste retineri, nullumque tempus successoribus prodesse possit, qui in vitio & culpa succedunt, & insistentes possessioni injustæ vim continuo (95) exercere dicantur, vitiumque violentiæ & rapinæ nullo tempore purgari possit,

(88) *C. ad id, de sponsal. c. fin. de raptor.* (89) *Navarr. ad d. c. novit. de judic. not. 3. n. 160.* (90) *L. 1. ff. quod Met. Caus. Covarr. ad c. peccatum, p. 2. §. 9. num. 9. de Reg. Jur. num. 6.* (91) *Bald. in Rubr. de Controv. investitur. in usib. Feud. num. 8.* (92) *Alber. d. l. 1. num. 20. C. de sum. Trinit. Paetan. d. c. 35. num. 55.* (93) *Villalob. in antinom. Jur. Civil. & Hispan. in Princ. num. 4. Conimbric. de jur. succedend. in Regn. Lusitan. in append. Corollar. 6.* (94) *L. Authoritatem 3. C. unde vi. l. si quæ loca, C. de fund. & saltib. lib. 11. c. si diligenti, & c. fin. de præscript. c. possessor. de Reg. Jur. in 6.* (95) *Aut. de Rosell. de Concil. §. 12.*

sit, sed in re per vim possessa origo (96) semper spectanda sit, & præscribere volentibus mala fides in æternum (97) obstet.

XX. Quocirca gentes à Romanis injuste debellatæ possunt post quæcunque secula, etiam post mille annos, se in libertatem (98) restituere, dominiumque earum est in æternum revocabile, sicut in servo fugitivo (99) qui sui furtum facit; & quæ bello amiserunt, possunt iterum bello recuperare, in iis præsertim Provinciis, quas Romani non titulo oneroso, sed per vim (100) acquisiverunt; & dum se in libertatem asserunt, non obedientiam à Romanis postulatam abjecisse, sed libertatem propriam (101) recuperasse videntur. De qua re consulendus est Æn. Sylvius (102), qui male hinc colligit, non posse Imperatores Germanicos Provincias à Romanorum imperio olim avulsas sibi restitui petere.

XXI. Ita dum de Romanorum Justitia in Armis suis fluctuamus, quærenda est in eorum Legibus: adeo enim celebratur eorum Justitia, ut plures Provincias per Justitiæ famam, quam per Arma, acquisivisse (103) dicantur. Justitiæ vero Romanorum in Armis suis æque difficile est invenire Patronum, ac in Le-

(96) *L. clam. 6. de acqu. possess. Inn. c. ad d. c. quod super. de vot. Dd. ad c. olim, de rest. spoliat. Ist. rm. in c. qu. 2. n. 30.* (97) *Pet. Rat. ad d. Tit.* des fiets *art. 1.* (98) *Castal. de imper. q. 53 Navar. d. Not. 3. num. 116. Ant. de Rosell. de Concil, §. 9. & 12. Vasqu. lib. 2 Controvers. illust. cap. 82. num. 19.* (99 *L. 1. C. de serv. fugitiv.* (100) *Lud. Viv. ad August. de Civit. Dei. lib. 1. cap. 25. Navarr. d. Notab. 3. num. 159. Grot. lib. 2. de Jur. Bell. cap. 22. num. 13. Arnis. lib. 1. de Jur. Majest. cap. 2. num. 3.* (101) *Brun. de seditios. cap. 6.* (102) *Æn. Syl. de Author. Rom. Imper. cap. 1. Minther. in part. e 1. Litigios. lib. 1. c. 16. num. 33. Gentil. lib. 1. de Jur. Bell. cap. 23.* (103) *Val. Max. lib. 6. cap. 5. du vair. de Traicter à L'ouverture de la S. Remy.*

Legibus Adverſarium. Et ſic redivimus ad Romanas Leges, de quibus in ſequenti Capite tractare incipiemus.

CAP. II.

De Juſtitia & Encomiis Legum Romanarum.

I. Romanorum armis orbis terrarum per vim, & coactus, Legibus vero ſponte ceſſit. Reges enim populique a Romanis ſubacti non diu eorum potentiæ paruerunt: ſed fortitudine & armis ſuis ſe liberarunt, quamprimum in libertatem ſe aſſerere potuerunt. Iidem tamen excuſſo Romanorum jugo leges Romanas obſervarunt, eorundemque tyrannidem in armis execrati, Juſtitiam tamen in Legibus etiamnum ampleĉtuntur, ſicut in pleriſque Orbis Chriſtiani Dominiis deinceps conſtabit.

II. Deus enim, pro ſingulari providentia ſua in genus humanum, erexit & excitavit gentem Romanam in Imperii faſtigium; ut per eam daret Leges orbi terrarum tam pias juſtas & ſalutares, quales nec ab ullo Rege Populove datæ unquam fuerunt, nec in poſterum dari poterunt: cum in eo fere omnes conſentiant (1) Monarchiam Romanam eſſe ultimam, neque aliam futuram Monarchiam uſque ad ſecun-

 dum

(1) *Sleidan. de ſum. Imper. lib. 1. in fin. & lib. 3. in fin. Charion. lib. 1. Chron. in princ. Caſtald. de Imper. quæſt. 72. Luc. de penn. ad l. Conductorem, C. de Conductor. lib. 11.*

dum Domini nostri adventum, quæ Leges orbi terrarum præscribere poterit. De Romano imperio *D. Hieronymus* (2): *Ut in principio nihil eo fortius, ita in fine nihil erit imbecillius*; de quo & ipse testatur (3), dum enarrat incursiones gentium barbararum in provincias Romanorum sub *Theodosio & Honorio*; & jam restant ejus imperii reliquiæ & umbra sola in Germania; quas tamen usque ad finem Mundi duraturas iidem sentiunt. Et licet nihil aliud de magno illo Imperio superesset, habemus tamen eorum Leges; quas omnes deinceps Nationes cum admiratione receperunt.

III. *Per populum Romanum placuit Deo terrarum Orbem debellare; ut in unam Societatem Reipublicæ Legumque perductum longe lateque pacaret*, ait *D. Augustinus* (4). De iisdem *Zonaras* (5) *Deum elegisse Romanos, ut per eos Justitia sua orbi terrarum luceret & splenderet*, Idemque *D. Augustinus* (6) & reliqui eum secuti, dum tradunt Imperii gloriam Romanis a Deo concessam esse propter eorum virtutes & bona opera, præcipuam dicunt fuisse causam Leges eorum justissimas & sanctissimas, quas orbi terrarum condiderunt; *Leges enim Romanorum divinitus per ora Principum emanarunt*, ait (7) *Augustinus* relatus a Gratiano, Legesque sacratissimas appellant Impp.

Va-

(2) *Hieron, in comm. ad c. 2. Dan.* (3) *Hieron. epist. 11. de Monogam. to. 1.* (4) *Lib. 18. De Civit. Dei, cap. 22.* (5) *Zonar. ad Canon. & Constit. Apostol. lib. 7. c. 27.* (6) *Augustin. lib. 5. de Civit. Dei, c. 12. & 15. Aquin lib. 2. de regim. Princ. c. 5. Alvar. Pelag. lib. 1. de planct. Eccles. c. 42. Card Bellarm. lib. 3. de Laicis, cap. 6. Alciat. ad c. novit, de judic. n. 36.* (7) *C. quo jur. dist. 8. c. nemo 16. qu. 3. Franc. Aretin. ad c. licet n. 17. de testib.*

Valentinianus (8) & *Martianus*, & *Athaulphus* Gothorum (9) Rex edicit, se Jus dicturum secundum religiosas Leges, quas Romani Principes sanciverunt.

IV. Inter omnia vero Romanæ Civitatis Imperiique Elogia, illud est splendidissimum, quod Roma fons & parens Legum appelletur; nam vi ferroque regna & provincias debellare a robore corporis magis, quam a ratione & judicio, promanat; idemque ceteris Mundi gentibus & Imperiis cum Romanis commune fuit; leges autem condere orbi terrarum proprie Romanis a Deo concessum est.

Tu regere imperio populos Romane memento;
Hæ tibi erunt artes, Pacique imponere nomen.

ut ex Virgilio recitat *D.* (10) *Augustinus*. Et in Legibus ferendis Jureque dicundo omnes deinceps gentes summo sibi honori duxerunt ad Romanos proxime accedere, eosque imitari; ita enim *Roma Legum patria* ab (11) Imp. *Justiniano.*

Armorum, legumque parens; quæ fundit in omnes
Imperium, primique dedit cunabula Juris.

a *Claudiano* (12); & in Capitularibus Imp. Ludovici, *Lex Romanorum, Legum omnium Mater* (13) *nuncupatur.* Romani quidem præ reliquis omnibus Populis in ferendis Legibus (14) celebrantur: & de Legibus

(8) *L.9. C.de Legib.* (9) *Goldast. in Constit.Imp. to.3.* (10) *Augustin. lib.5. de Civit.Dei, cap.12.* (11) *Justin. Novell.9. in princ.* (12) *Claudian.de Laudib. Stilic. lib.3.* (13) *Addit. ad capitul. Lud.Imp. cap.4. in Cod.Leg.antiq.* (14) *Coras. de Jur. civil. in art. redig. par.1. cap.16. in princ.*

bus Romanis quoties loquuntur Jurisconsulti Itali, Galli, Germani, Hispani, eas summis laudibus prædicant, & suarum gentium legibus longe anteponunt. Cum enim omnes populi suis legibus delectentur, suasque leges potiores aliorum gentium legibus existiment, docet (15) *Philo*; illud in Romanorum Legibus singulare est, quod omnes fere populi ad eas recurrant, & ex iis legum suarum normam petant.

V. Romanæ Leges, ut *Ratio Naturalis, omnibus imperant*, *Baldus* (16) & *Jason* (17). *Ad legem Romanam tanquam ad communem totius Europæ propemodum εὐνομίαν omnes confugiunt*, Eguinarius (18) Baro. *Libros nostros Justinianæos, velut salvas ex magno naufragio tabulas, religiosissime semper colimus, quando nihil hodie melius habemus, ad cujus exemplar nostras Respublicas instituamus & gubernemus*, Ant. (19) Contius. *Inter Leges omnium gentium nulla reperitur magis justa & rationi consentanea, quam lex, quæ est in libris Juris Romani*, Lud. (20) Charondas. *Leges Romanorum superant leges omnium gentium, quæ continent omnia præcepta de officiis civilibus, & judiciis: in quibus nihil, quod ad statum politiæ cujuscunque pertinet, desiderari possit*, Gul. (21) Terrienus. *Per leges suas Romani facti sunt Domini non Galliæ tantum, sed & orbis terrarum, quæ per* mil-

(15) *Philo lib. 2. de vit. Moysis.* (16) *Bald. ad L. nemo, C. de sent. & interloc. Om. Jud.* (17) *Jason. ad L. illam, num. 10. C. de Collat.* (18) *Baro lib. 1. de Jur. benefic. tit. 2. & ad L. si reus, C. de pact.* (19) *Cont. Lect. Jur. cap. 9.* (20) *Charond. respons. du droict. Franc. lib. 3. resp. 81.* (21) *Terrien. du droict. civil. de Normand. lib. 1. cap. 3.*

mille quingentos annos observatæ fuerunt cum ea veneratione, ut horridum videatur eas violare ; & licet multæ gentes excusserunt jugum Romanæ servitutis, leges tamen eorum ita justas & sanctas existimant, ut eas adhuc observent, Lud. (22) Servinus. *Jus Civile Romanorum naturali & civili æquitate ante omnes Leges pollet, & ad illud omnes ubique recurrunt*, Alex. (23) Turaminius. *Inter omnes legum formulas primum occurrit Jus Civile Romanorum, quod politicis moribus & æquitati naturali maxime congruit, quod longo continuoque usu jam probatum est*, Francisc. (24) Balduinus. *Nunquam magis floruit Jurisprudentiæ studium, quam apud Romanos; unde ad alias gentes & provincias magno omnium mortalium consensu & applausu dimanavit*, Viglius (25) Zuithemus. *Jus Romanum, licet primo Romanis eorumque subditis scriptum fuerit, tamen ob ipsius excellentiam æquitatem & utilitatem, aliæ nationes illud amplexæ sunt; unde Commune Jus & universale merito dicitur*, Jodachus (26) Damhouderius. *Ita justum & æquum visum est omnibus Jus Romanum, ut qui Romanis legibus non tenentur, illud tamen tanquam æquitati naturali maxime consentaneum libenter sequantur, & suas leges per has interpretentur*, Petrus(27)Peckius. *Jus Romanum est supremum & eminentissimum plenum humanitatis æquitatisque, tot*

(22) *Servin. playdoy in caus. test. nn. Com. de Lanal.* (23) *Turamin. ad tit. de Legib. cap. 5.* (24) *Balduin. in Comment. ad Institut. in proleg.* (25) *Vigl. ad Instit. Theoph. in præfat. ad Carol. V. Imp.* (26) *Damhoud. in prax. rer. civil. c. 12.* (27) *Petr. Peck. ad c. 28. de Reg. Jur. in 6.*

jam annis unanimi consensu receptum, Dionys. (28) Gothofredus. *Jus civile Romanum legum sanctitate & disciplina exterarum gentium omnium Legibus & Institutis præponderat, omniaque populorum Jura & Mores in se comprehendit*, Ernest. (29) Cothmannus. Infinita sunt hujusmodi Elogia legum Romanarum apud omnes Jurisconsultos orbis Christiani.

VI. Hinc Jus Romanorum Rationem Scriptam appellant *Christophorus* (30) *Thuanus* Senatus Parisiensis Præses, aliique Jurisconsulti Gallici. Idemque Jus per excellentiam appellatur Jus (31) scriptum: additque *Carolus Molinæus* (32) *Jus Romanum tam æquum esse & rationi consentaneum, ut omnium fere Christianarum gentium usu & approbatione commune sit effectum*; ipsique adeo Reges Hispani, etsi se ab Imperio Romano omnino liberos profiteantur, in legibus tamen suis appellant leges Romanas (33) *Jus commune*, ad quas leges suas accommodandas esse præcipiunt. Omnesque Juris Interpretes appellant Jus Romanum, Jus Commune; & quotiescunque de Jure Communi loquuntur (34), intelliguntur de Ro-

(28) *Dionys. Gothofred. in prax. rer. civil. l. 2. tit. 1.* (29) *Ernest. Cothmann. resp. 40. n. 52.* (30) *In Consuetud. Melodum. Tit. des Successions. Guid. Coquill. in q. ad Consuet. Franc. c. 1. & 2. Petr. de Lamm. l. 1. de jur. reg. c. 16.* (31) *Terrien. du droict. civil. de Normand. l. 1. c. 3. Damhoud. in prax. rer. civil. c. 12. n. 3. Zas. ad L. Jus civile, n. 2. ff. de Just. & Jur. Matth. Stephan. de offic. Jud. lib. 1. c. 1. n. 2. Jo: Pappon. au second. Notaire, Tit. des Juges.* (32) *Molinæ. ad Consuet. Paris. Tit. des fiefs. num. 110.* (33) *In Legib. Madr. t. anno 1502. Burg. de Paz. in relect. l. 1. Taur. n. 587.* (34) *Luc. de Penn. ad l. conductores, C. de conduct. lib. 11. Zas. ad L. Jus civile, n. 2. ff. de Just. & Jur. Decian. Tract. Crimin. lib. 2. cap. 23. n. 4. Terrien. d. c. 3. Card. Tusch. conclus. 582. v. jus civile, n. 5. 8. Steph. de offic. Jud. lib. 1. cap. 1.*

Romano; *& universo mundo esse commune asserit* Augustin. (35) Berojus. Ad quod etiam recurrunt Judæi (36) deficiente lege Mosayca. Et Turcas etiam habere Codicem *Justiniani*, eoque uti in causis decidendis, testatur (37) *Jo: Leunclavius.* Pluresque Jurisconsulti opinantur, Jus Romanorum ita esse apud gentes receptum, ut jam habendum sit pro jure naturali & gentium, jusque Romanum comprehensum in libris *Justiniani* non esse jus Civitatis Romanæ solum, sed naturæ & gentium (38) quod constet ex præceptis naturalibus gentium & civilibus, & quod per plerasque gentes humanas receptam sit: eaque ratione rusticos excusari ex ignorantia Juris statutarii, non Juris communis Romani, cum id in plerisque sit Jus naturale & gentium, tradit (39) *Sfortia Oddus*. Et Principes populosque liberos non recognoscentes Romanum Imperium, in Casibus non decisis, per leges & Consuetudines suas legibus Romanis obligari, quatenus sunt fundatæ in ratione naturali, asserit (40) *Ludolph. Schraderus.* Ex qua ratione cum in foro Regni Valentiæ ex moribus ejus Regni permissum tantum sit Advocatis allegare consuetudines ejus Regni, iisque deficientibus jus naturale; ex ea permissione leges Pandectarum, Constitutiones Im-

 peratorum,

(35) *Beroi. ad c. in præsentia, n. 28. de testib.* (36) *Ant. de Butr. ad c. 1. de sponsal. n. 1. Cujac. lib. 9. obs. 17. Ma. Steph. disp. 1. vol. 1.*
(37) *Jo: Leuncl. in paratit. jur. antiq. in proleg. Paul. Christin. decis. 383. vol. 1. Steph. d. disput. 1. Carol. Fabrot. in edit. Basil. in epist. ad Cancell. Franc.*
(38) *Doneil. lib. 1. Comment. Jur. cap. 16. Gentil. lib. 1. de Jur. Bell. cap. 3. Mat. Steph. de Jurisd. lib. 2. p. 2. c. 7. n. 352.* (39) *Odd. de restit. in integr. p. 1. q. 10. n. 70.* (40) *Schrader. cons. 3. n. 217.*

peratorum, & Jus Canonicum allegantur , ut testantur (41) *J. C.* Hispani : monetque Donellus (42) eas gentes , quæ Jus Romanum non admittunt , ut videant , an eo teneantur ; cum omnes Jure naturæ & gentium obligentur. Hæc de legibus Romanorum in genere dicta sint .

VII. Jam propius accedendum erit ad institutam tractationem de Jure Civili Romanorum; & necesse mihi visum est explicare primo , quomodo Jus Civile Romanorum cœperit,& quale fuerit usque ad *Justinianum* Imperatorem ? Deinceps de libris Juris Romani compositis a *Justiniano* . Postcaque quomodo Jus *Justinianæum* per Jurisconsultos gentium Christianarum illustratum fuerit. In sequenti itaque capite agendum erit de Jure Civili Romanorum ante *Justinianum* .

C A P. III.

De Jure Civili Romanorum *ante* Justinianum *Imperat.*

I. ROmani sub Romuli & Regum dominatione erant per ducentos quadraginta quinque annos ab Urbe condita ; & gubernabantur a Regibus primo manu regia ad eorum arbitrium: aliquas etiam le-

(41) *Bellug. in spec. Princip. Rubr. 11. §. his igitur, num. 3. Morl. in Empor. quæst. forens. l. 1. Tit. de Legib. quæst. 16. num. 13.*
(42) *Donell. d. lib. 1. cap. 16.*

leges tulerunt Reges, quæ collectæ per *Sex. Papirium* Jus Civile *Papirianum* dictæ ſunt (1) quæ tamen paucæ fuerunt,& cum Regibus exactis abrogatæ vim Legum amiſerunt, & nulla earum in libris Juris Romani ſupereſt. Hinc ſtatim poſt Reges exactos orta eſt contentio inter Patritios & Plebem, an in nova Republica conſultius eſſet ſub Magiſtratuum vel Legum imperio vivere? Patritii poteſtatem Magiſtratuum potiorem duxerunt, ita enim quæruntur apud *Livium* (2): *Regem aut Magiſtratum hominem eſſe, a quo impetres ubi jus, ubi injuria opus ſit, eſſe gratiæ locum, eſſe beneficio, & iraſci & ignoſcere poſſe, inter amicum & inimicum diſcrimen noſſe: Leges rem ſurdam & inexorabilem eſſe, ſalubriorem meliorem inopi, quam potenti; nihil laxamenti nec veniæ habere,ſi modicum exceſſeris; periculoſum eſſe ſola innocentia vivere.* Et licet inter Juriſconſultos hujus ſeculi aliqui (3) exiſtiment, optabilius eſſe regi a juſto Principe,quam a Lege ſcripta; valuit tamen contraria ſententia (4), Rempubl. melius adminiſtrari Legibus, quam Principum aut Magiſtratuum arbitrio: & ſi in iis legibus æquitas deſiderari videatur, in quibus cavetur verbis inhærendum eſſe; illud tamen Juriſconſulti aſſerunt (5), in omnibus Legibus ſcriptis æquitatem & interpretationem

(1) *L.2.ff.de orig.Jur. in princ. Camill.Borell.de Cathol.Reg.præſtan. cap.31.num.13.* (2) *Liv. lib.1.* (3) *Ægid. Boſſ.in pract. Crim. tit. de remed. ex clem.Princ.n.45.* (4) *Eguin. Baro ad l.2. de Conſt. Princ. & lib.1. de re benef. Tit.3. Decian. reſp.19.n.94. vol.3. Vaſ. lib.1.Contr.illuſtr.c.1.n.12. Godefrid.ad Conſuet.Normann. in præfat.* (5) *Bart. ad L.omnes populi n.11.de Juſt.& Jur. Alex.conſ.89.n.11.l.6.Godefrid.in d.præf.*

tionem congruam asse admittendam. Nam & *Aristoteles* (6) nos docuit: *Ubi Lex imperat, Deum praeesse, cum Lex sit imago Dei, ratioque pura & ab omni affectu libera; ubi vero homo imperat, affectum ut immanem belluam adjungi, quae ira, odio, cupiditate possit agitari*. Sic vicit tandem Plebis sententia Leges Reip. novae esse ferendas.

II. Exactis igitur Regibus placuit communi consilio Decemviros (7) creari ad petendas Atheniensium reliquarumque Rerumpub. Graecarum Leges, & ex iis conscriptae duodecim Tabulae; cum interea Romani per viginti annos (8) inter has contentiones Patriciorum cum Plebe de Legibus ferendis, sine Lege fuissent. Haeque duodecim Tabulae fuerunt prima & summa Juris Romani fundamenta, fons omnis publici & privati Juris, ait (9) *Livius*, & de quibus merito gloriatur *M. Cicero* (10): *Bibliothecas omnium Philosophorum uno duodecim Tabularum Libello authoritatis pondere & utilitatis ubertate superari.*

III. Ad duodecim Tabulas accessit Interpretatio (11) Prudentum, qui scientiam Juris professi eas interpretabantur, & ad usum fori accommodabant. Horum primus fuit *Tiberius Coruncanius*, post eum *P. Papinius, Scipio Nasica, Q. Mutius*, & reliqui qui enumerantur a *Pomponio* (12), erantque fere omnes viri Amplissimi (13) & Nobiles, in quorum discipli-
nam

(6) *Aristol. l. 3. Polit. c. 12.* (7) *L. 2. §. exactis, ff. de orig. Jur.* (8) *Govean. lib. 1. var. Lect. Jur. c. 21. n. 1. & 2.* (9) *Liv. l. 3.* (10) *Cicer. lib. 1. de Orator.* (11) *L. 2. §. bis Legibus, ff. de Orig. Jur.* (12) *d. l. 2. § Juris Civilis.* (13) *Cicer. l. 1. de Orator.*

nam se dabant juvenes illustrium familiarum, qui dignitates & Magistratus ambiebant, quos Candidatos multum juvabat consulendo operam civibus Romanis præstitisse; & plerique eorum erant Pontifices (14) Maximi, quod juris scientiam rem sacram esse existimarent. Et in eo Græcos Romani (15) superabant, quod apud eos homines tantum viles & infimi Juris scientiam profiterentur; apud Romanos vero viri amplissimi & clarissimi de jure respondebant; & post exercitus prospere ductos, post victorias & triumphos, gloriam ex Juris Professione (16) quærebant. Hæc vero Interpretatio Prudentum apud Romanos habebatur pro Jure non scripto (17), & cum non haberet aliud nomen, *Jus Civile* appellari cœpit, & *Jurisprudentia Media* (18) a *Justiniano* dicta est.

IV. Post Interpretationem Prudentum erant Leges, Plebiscita, & Senatusconsulta. Leges a Populo Romano (19) ferebantur, nam Regibus exactis Majestas erat apud Populum. Majestatis vero primum caput (20) ab omnibus traditur esse potestas Legum ferendarum. Plebiscita vim Legis habebant per legem Hortensiam (21) a tempore secessionis in Janiculum. Et Senatusconsulta habebant (22) authoritatem Legum, quæ

(14) *Guther. de vet. Jur. Pontif. lib. 1. c. 2.* (15) *Cicer. lib. 1. de Orator. Balduin. in Comment. in Instit. in proleg.* (16) *Ammian. Marcellin. lib. 30.* (17) *d. L. 2. §. his Legibus.* (18) *§. ceterum, Instit. de Legit. agnat. success. & ibi Wesenbec. Mynsing. & Wesenbec. ad §. jus bonorum, Instit. de bon. possess.* (19) *§. Lex. Instit. de Jur. Nat. Gent. & Civil.* (20) *Bodin. lib. 1 de Repub. cap. 10.* (21) *§. Plebiscitum. Instit. de jur. nat. gent. & civili l. 2. §. iisdem temporibus, ff. de orig. Jur.* (22) *§. Senatusconsultum. Instit. eod. Tit. Budæ. ad L. ult. ff. de Senator.*

quæ poteſtas manſit in Senatu ſub Imperatoribus,teſte *Ulpiano* (23): qui hunc ſuæ poteſtatis radium Senatui (24) communicaverunt.

V. Et Prætores habebant poteſtatem *adjuvandi, ſupplendi, vel corrigendi Jus Civile* 12. *Tabularum*, ait (25) *Papinianus*;& Ædiles Curules in quibuſdam Cauſis Jus (26) faciebant. Sed uti Magiſtratus eorum, ita edicta erant tantum Annua,& Leges Annuæ dictæ ſunt ante Legem *Corneliam*, per quam perpetua (27) facta ſunt. Prætorum vero Edicta in Ordinem digeſta a *Salvo Juliano*, ſub *Hadriano* Imper. Edictum perpetuum appellata (28) ſunt, quod Juriſconſulti Romani Commentariis ſuis eximie illuſtrarunt.

VI. Hæ fuerunt partes Juris Civilis Romanorum in Republica libera. Poſt translatum vero Imperium in *Auguſtum* per Legem Regiam, duæ aliæ partes acceſſerunt: Conſtitutiones Principum,& Reſponſa Prudentum. Poſt Imperium enim a Populo conceſſum *Auguſto*, Lege Regia, quodcunque Imperator per *Epiſtolam ſtatuit, vel cognoſcens decrevit, vel Edicto præcepit, Legis habuit vigorem, & Conſtitutiones Principum* (29) *appellantur*. De hac Lege Regia, etſi diſceptatio ſit inter Juris Interpretes, an a *Romulo*, an a Populo Romano ſub *Auguſto*, an ſub *Veſpaſiano* lata fuerit, teſtem habemus

(30) *Dio-*

(23) *L.9.ff.de Legib.* (24) *Steph.Forcat.ad Lex Jure n.11.ff.de Juſt. & Jur.* (25) *L.Jus autem 7.ff. de Juſtit. & Jur.* (26) *§. Prætorum. Inſtit.de Jur.nat.gent.& civil.* (27) *Inſtit.de perpet.& temp.act.in Princ. Budæ.in l.2.ff.de Stat.hom. Loyſeau. des droicte ſeign. cap.3.* (28) *L.ſi quis 10.C.de cond.indeb.* (29) *L.1.ff.de Conſtit. Princ. Rebuff. ad conſtit.Reg.in Proœm.gl.2.*

(30) *Dionem* : cum *Augustus* simularet se recusare tantam Imperii molem, a populo demum enixe rogatum accepisse;& plerique existimant (31) hanc Legem fuisse sub *Augusto*, non *Vespasiano* latam, eamque Legis Regiæ formulam, quæ in Basilica Lateranensi sub *Gregorio XIII.* fuit inventa, fuisse ejusdem Legis renovatæ formulam, quod in initiis singulorum Imperatorum post *Augustum* pro more factum est. Et in eo arguitur error(32)*Zasii*,& *Salamonii*,dicentium,hanc Legem cœpisse in *Vespasiano*,cum *Paulus* Jurisconsultus eam *Augusti* (33) Legem appellet.

VII. Imperatores etiam omnes ab *Augusto* ad *Gratianum*,Pontifices Maximos se cooptari & appellari voluisse,ex hac præcipue causa traditum (34)est, ut Juris scientiam & Interpretationem penes se haberent, quæ ante *Augustum* fuit in Collegio Pontificum; quod Romani existimarent, Reipub.expedire, ut Jus Civile inter sacra Cerimoniasque Deorum suorum haberetur; eaque de causa *Augustus* se Pontificem Maximum inaugurari voluit, ut testatur(35) *Dio.Cassius*.Imperatores autem Christiani post *Augustum*, licet à sacris Romanorum, & hoc Pontificis nomine abhorrerent; in suis tamen elogiis & nummis passim se Pontifices Maximos (36)dici passi sunt,

quod

(30) *Dion.lib.53.Forcat.in d.Lex hoc Jure, num.10.* (31) *Covarr. pract.quæst.c.1.n.3. Decian.Resp.10.n.124. vol.3. Borrel.de Cath. Reg.præstan cap.31.n.21. Franc.de Amay.obser.Jur.lib.1.cap.1.n.183.* (32) *In l.1.ff.de Constit. Princ.* (33) *L.apud eum,ff.de manumiss.* (34) *Anast. German.lib.1.de Sacr.immunit.cap.9.n.3.* (35) *Dio.lib.54.* (36) *Card. Baron.Martyrolog.die 22.Augusti, v.Timothei. Ferron. ad stat.urb.Rom. in Rubr.n.135.*

quod ad hodiernum diem rudera Romana inſpicientibus ſatis conſtat.

VIII. Hæ vero Conſtitutiones per quingentos annos ab *Auguſto* ad *Juſtinianum* in numerum immenſum excreverunt, eaſque duo privati homines *Gregorius* & *Hermogenes*, ſub *Diocletiano*, in duos Codices congeſſerunt, qui *Gregorianus* & *Hermogenianus* dicti ſunt: in quibus Conſtitutiones uſque ad *Conſtantinum* continentur. Tertium addidit *Theodoſius* Imperator (37) qui Conſtitutiones ſequentium Imperatorum a *Conſtantino* ad ſuum Imperium in Codicem ſuum retulit, qui Codex *Theodoſianus* dictus eſt. Sed in his Codicibus Conſtitutiones adeo erant inter ſe pugnantes, aliæque ſuperfluæ, ut *Juſtiniano* poſtea opus fuerit. Summe vero ab omnibus laudatur *Theodoſius* ſapientiſſimus (38) Princeps, qui quantum invigilaverit pro jure Romano conſervando, illius Codex demonſtrat.

IX. In his autem Conſtitutionibus Imperatorum cogimur venerari Dei Opt. Max. Bonitatem & Sapientiam, qui per plurimos Imperatores improbiſſimos leges juſtiſſimas & æquiſſimas humano generi dedit. Belluæ enim & monſtra ſub humana ſpecie erant, *Nero*, *Domitianus*, *Commodus*, *Heliogabalus*, *Caracalla*, aliique iniquiſſimi & ſæviſſimi in Chriſtianos, *Trajanus*, *Valens*, *Decius*, *Galienus*, *Diocletianus*, *Julianus*, ceterique; quorum tam juſtæ pru-

(37) *L. unic. C. de nov. Cod. fac. & ibi Dionyſ. Gothofred. Cont. lib. 1 Lect. 9.* (38) *Balduin. in Conſent. ad Inſtit. in proleg.*

prudentesque sunt Constitutiones, tantamque eorum Curam & Religionem in componendis controversiis civilibus ex eorum rescriptis deprehendimus (39) ut eas hodie omnes gentes admirentur: pluresque inter eos, etsi a religione Christiana alieni, Brachium Seculare Christianis indulsisse pro tuenda Conciliorum & Episcoporum authoritate (40) probat *Petr. Ærod.* Quæ omnia post Divinam Clementiam tribuenda sunt Jurisconsultis illis, qui sub iis res administrabant: quorum scripta in libris Juris Romani hodie habemus.

X. Illud porro in Constitutionibus Imperatorum ad Romani nominis gloriam observatum (41) est; quod dum Imperatores ante *Constantinum* Romæ erant, rescripta eorum sunt ejusdem brevitatis, verborum ponderis & elegantiæ, cujus sunt Jurisconsultorum Scripta in Pandectis. Post *Constantinum* vero cum migrassent Constantinopolim, sunt prolixa, tumida, & Oratori magis convenientia, quam Principi, ut constat in Constitutionibus *Martiani*, *Zenonis*, *Anastasii*, *Justini*, & *Justiniani*, quas in Codice habemus; & cum prioribus nec eloquentia, gravitate, aut prudentia sunt comparandæ. Et ex defectu porro potestatis *Matthæus de Afflictis* (42) Jurisconsultus Neapolitanus Constitutionum ab Imperatoribus

(39) *Tiraquell. de Jur. Primog. qu. 17. Limitat. 4. num. 31. Balduin. in d. proleg. Boda in Instit. in proœm.* (40) *Petr. Ærod. Rer. Judic. lib. 1. Tit. de Heret. cap. 11.* (41) *Tiraquell. in l. si unquam, C. de revoc. donat.* [illegible] *si susceperit liberos, de revoc. d. mat. Guido Coquill. in quæst. ad Consuet. Franc. cap. 1. & 2. & in Comment. ad Consuet. Nivern. in præfat.* (42) *Matth. de Afflict. ad Const. Neapolit. in prælud. qu. 20. n. 1. 2.*

ratoribus Conſtantinopoli editarum poſt *Conſtantinum* robur imminuit, quia poſt donationem *Conſtantini* latæ erant, de qua poſtea erit dicendi locus.

XI. In hac denique poteſtate Legum ferendarum a populo Romano Imperatoribus conceſſa reſtat unum, de quo varie ſolet diſceptari; quomodo Princeps ex ea Legibus ſolutus dici poſſit, quia ipſe populus Romanus non erat (43) ſolutus, neque ea poteſtate unquam uſus eſt? *Princeps enim ſolutus eſt Legibus*, ait (44) *Ulpianus*: quam Legem ſceleratam & multarum in Repub. calamitatum cauſam fuiſſe, aliqui Juriſconſulti (45) ſentiunt. Et humanior eſt Lex *Theodoſii* & *Valentiniani* (46) profitentium, *Se Legibus obligatos eſſe, majuſque Imperio eſſe ſubmittere Legibus Principatum*; Juſtumque eſſe ut Princeps Legibus obtemperet ſuis, neque ſibi licere patiatur, quod populo ſuo prohibet, neque in ſe damnet Jura, quæ in ſubditis conſtituit, ut (47) ait *Iſidorus*: *Ulpianum* vero intelligunt (48) de Pœnariis Legibus, ad quas Princeps non tenetur, ut in Lege Julia & Papia de pœna caduci, de qua ibi agit *Ulpianus*. Alii vero intelligunt locutum *Ulpianum* de ſolennitatibus Juris Civilis in Contractibus, Judiciis, & Ultimis Voluntatibus, ad quas Princeps non te-

(43) *Bald. de pac. Conſtant. v. libellarius num. 3. Vaſq. lib. 1. controv. Illuſt. cap. 36. n. 21. Pruckman. §. ſoluta poteſtas, c. 3. n. 94.* (44) *L. Princeps, ff. de Legib.* (45) *Coraſ. lib. 2. Miſcellan. Jur. cap. 25. Connan. lib. 1. comment. Jur. cap. 16.* (46) *L. digna vox, C. de leg.* (47) *Iſidor. relat. a Gratiano, c. Juſtum, diſt. 5.* (48) *Cujac. lib. 15. obſerv. 30. Coraſ. & Connan. in loc. cit. Vaſq. lib. 1. controv. illuſtr. c. 2. n. 1. Chriſtin. deciſ. 9. num. 13.*

tenetur, cum præsentia Principis omnes (49) solennitates suppleat; non de contractibus, judiciis, testamentis vel rebus ipsis.

XII. Principem enim teneri ad Jura naturæ & gentium, omnes asserunt: *Tenetur ratione naturali; cum Jus naturæ sit potentius principatu*, ex *Baldi* (50) & omnium sententia; ideo ad contractum tenetur ut privatus, nec potest contractum suum rescindere (51) ex plenitudine potestatis, cum maxime requiratur in eo bona fides. *Unde Imperatores Principesque Lege naturali, nationali, & jure gentium soluti non sunt*, ut loquitur *Ludovicus* (52) *Bologninus*. Atque ita dum *Dio* (53) asserit Principem teneri ad eas leges, quas ille *ἀναγκαίων νόμων* appellat, Clariss. *Claudius Salmasius* (54) eum intelligit de Jure gentium, & iis contractibus qui ex eo Jure (55) descendunt, quales sunt emtio, venditio mutuum, locatio, & alii commutativi contractus, ad quos omnis Princeps tenetur, iisque nullo modo solutus est. Et leges etiam civiles servare teneri Principem, licet non vi coactiva, cum nemo possit Principes cogere ad Legum observationem, vi tamen directiva

(49) *L. omnium* 9. *C. de Testam.* (50) *Bald. ad c.* 1. *§. fin. qui feud. dar. poss. Dd. ad c.* 1. *de Constitut. Marian. Soc. jun. cons.* 126. *n.* 17. *vol.* 3. (51) *Bald. ad c.* 1. *§. ad hæc, de pac. firm. Castr. ad l. digna vox, C. de leg. Vasq. lib.* 1. *controv. illust. cap.* 26. *n.* 12. *Coras. d. cap.* 25. *num.* 4. *Card. Tusch. conclus.* 50. *v. Papa.* (52) *Bolognin. ad Auth. C. ne fil. pro patre.* (53) *Dio. lib.* 53. (54) *Salmas. in differt. de fœn. trapezit. p.* 401. (55) *L. ex hoc Jure, de Just. & Jur.*

ex jure & æquitate naturali, tradunt (56) Theologi & Jurisconsulti, *Ulpianumque* de vi coactiva locutum sentiunt.

XIII. Post Constitutiones Principum sunt responsa prudentum sub Imperatoribus post Augustum, quæ supremam Juris scripti partem constituunt; nam prudentum responsa in Republ. libera sine authoritate publica dabantur, & pro Jure non scripto (57) habita sunt. Post Augustum vero ii soli de Jure respondebant, quibus a Principe concessum est; eorum vero responsa judices sequi tenebantur, & partem Juris (58) scripti constituunt.

XIV. Hi sunt illi Jurisconsulti, ex quorum responsis & aliis scriptis celeberrimam habemus Juris Romani Partem in Pandectis comprehensam; de scriptis vero priorum Jurisconsultorum in Repub. libera pauca supersunt. Qui vero qualesve fuerint usque ad *Hadrianum*, celebrantur a (59) *Pomponio*. Eorum vero, qui sub sequentibus Imperatoribus agebant, scientiam, eloquentiam, & prudentiam scripta in Pandectis satis indicant; quorum plerique erant ad summos honores evecti, eosdemque ad consilia & ad summam rerum suarum administrationem

(56) *Thom. 1. 2. quæst. 96. art. 5. ad 3. Sot. de Just. & Jur. lib. 1. qu. 6. art. 7. conclus. 3. Covarr. ad C. alma Mater, p. 1. §. 1. n. 5. Navarr. ad c. si quando, de Rescript. except. 8. n. 12. Bud. in annot. ad L. Princeps, ff. de Legib. Menoch. de arbitr. Jud. qu. 7. num. 70. Cabed. decis. 73. p. 2. Fr. de Amaya, lib. 1. observ. Jur. c. 1. num. 93.* (57) *L. 2. §. his legibus, ff. de orig. Jur.* (58) *d. l. 2. §. primus D. Augustus l. Jus civile, ff. de Just. & Jur. Decian. lib. 1. tract. crimin. cap. 31. Rebuff. ad Const. Reg. in proœm. gl. 4.* (59) *L. 2. ff. de orig. Jur.*

nem (60) Imperatores adhibebant. Tales fuere ſub *Auguſto Trebatius*, ſub *Veſpaſiano Caſſius*, ſub *Trajano Neratius*, ſub *Adriano Julianus*, ſub *Antonino Scævola*, ſub *Septimio Severo Papinianus*, ſub *Alexandro Severo Ulpianus*, de quo tradit (61) *Lampridius*, eum in omnibus conſiliis ſuis præter *Ulpianum* vocaſſe *Julium Paulum*, *Alphenum Africanum*, *Calliſtratum*, *Celſum*, *Modeſtinum*, alioſque: e quibus *Papinianus* & *Ulpianus* erant Præfecti Prætorio, qui ſummus fuit in illo magno Imperio dignitatis gradus, eorumque omnium ſcientia & eloquentia in Pandectis eximia eſt, & ab omnibus Juriſconſultis ſequentibus prædicatur.

XV. De unico *Papiniano* illud ſingulare eſt, quod, dum diverſæ eorum ſententiæ proferuntur, illi parti accedit authoritas, in qua (62) *Papinianus* eminet. Summum excelſumque ejus ingenium ab Imperatore *Juſtiniano* (63) laudatur, & ſcriptorum ipſius admirationem auget, quod triceſimo ſeptimo ætatis anno non completo, immatura morte (64) periit juſſu nefarii Imperatoris *Caracallæ*, quod fratris ſui parricidium defendere recuſaret.

XVI. Ex his itaque partibus conſtabat Jus civile Romanorum uſque ad *Juſtinianum* Imperatorem, in quo nihil reprehendi potuit præter copiam, qua

(60) *Conrad. Brun. de Legat. cap. 19. Balduin. in Inſtit. in proleg. Vigl. ad Inſtit. Theoph. in præfat.* (61) *Lamprid. in Alex. Sever.* (62) *Cod. Theodoſ. de Reſp. urſ Pruden. l. 1. Rebuff. ad Conſtit. Reg. in præfat. gl. 4.*
(63) *L. cum acutiſſimi, C. de fideicom. l. cum Papinianus, C. de ſent. & interloc. Om. Jud.* (64) *Spartian. in Antonin. Caracall. Cujac. ad lib. 1. quæſt. Papin. Jac. Lect. in orat. de Æmil. Papin.*

adeo laboravit etiam in Republ. libera, ut *Julius Cæsar* (65) & *Pompejus* de Jure Romano in ordinem redigendo cogitarent. Verum ſub Imperatoribus, præter conſtitutiones, reſponſa ſcriptaque Juriſconſultorum in eum numerum excreverant, ut duo millia (66) librorum extarent, moleque ſua Jus Romanum adeo confuſum erat, ut *Juſtiniano* opus eſſet, qui illud ſumma cum generis humani utilitate feliciter perfecit: de quo in ſequenti capite agendum eſt.

(65) *Sueton. in Jul. c. 24. Cicer. lib. 1. de orat.* (66) *Conſtit. Juſtin. de confirm. digeſt.*

CAP. IV.

De Libris Juris Civilis Romanorum *per* Juſtinianum *compoſitis.*

I. *Juſtinianus* fuit Princeps magni animi, eximiæ pietatis, & feliciſſimus; eique per Divinam Benignitatem contigit habere ſummos Duces, Juriſconſultoſque prudentiſſimos, per quos res magnas, bello paceque geſſit. Per *Beliſarium* enim & *Narſetem* Parthos fregit, Gothos Italia, Vandalos alioſque Barbaros Africa expulit; per *Tribonianum* (1) vero

(1) *L. 2. C. de vet. Jur. enucl.*

ro *Dorotheum* & *Theophilum* aliosque, Jus Romanum composuit, ex quo summam nominis suis gloriam apud posteros consecutus est.

II. Et licet aliquam infamiam passus sit ex *Suidæ* (2) testimonio referentis eum fuisse rudem, literarum expertem, & demum in amentia decessisse, quem & aliqui viri docti sequuti sunt; ejus famam defendunt longe (3) plures, majoribusque testimoniis freti. Hi vero sunt *Procopius* (4), qui *Justinianum omnia strenue & animi magnitudine peregisse asserit*, qui alias animum suum infestum (5) in *Justinianum* prodidit. De eodem *Paulus Diaconus* (6): *Justinianus bella prospere gessit, & in causis civilibus mirificus extitit; erat enim in fide Catholicus, in operibus rectus, in judiciis justus, omniaque ei concurrebant in bonum*. Et Jornandes (7): Justinianus *diversarum gentium victor per Belisarium, cujus fama nullis seculis, nullis silebitur ætatibus*. Et Agathias (8): Justinianus *primus Romanorum omnium, qui* Bizantii *tenuere imperium & nomine & reipsa liberæ potestatis esse arguitur*. Et Rex Gothorum *Theodatus* apud *Cassiodorum* (9): *Vos omnia regna venerantur, commune est cunctis in suis imperiis prædicari: sed illud est singulare in extranea gente*

 lau-

(2) *Suid. in v. Justinianus. Bude. in l. 1. de edil. edict. Ragueill. ad const. de Justin. Cod. confirm. vide Nicol. Alemann. in Not. ad Procop. arcan. histor.* (3) *Cagnol. in proœm. ff. n. 95. Arnold. Ferron. in Consuet. Burdegal. lib. 1. Tit. 12. Fr. de Amay. in tres poster. lib. Cod. in præfat.* (4) *Procop. lib. 1. de bell. Goth.* (5) *Procop. in arcan. histor.* (6) *Paul. Diac. lib. 18.* (7) *Jornand. de reb. Goth. in fin.* (8) *Agath. lib. 5. de bell. Goth.* (9) *Cassiodor. lib. 10. Epist. 19. & 22.*

laudes invenire , quia ibi sunt vera judicia , ubi neminem comprimit ulla timiditas . Ejus vero pietas in religione Christiana post *Constantinum* erat maxima, cum & *Suidas* eum fateatur fuisse omnium Imperatorum maxime orthodoxum , quod & ipsius professio fidei Christianæ in Codice (10) *Justinianæo* , & splendidissimum *S. Sophiæ* Templum Constantinopoli ab eo constructum , adhuc demonstrant, de quo ita (11) *Paulus Diaconus* : *Extruxit quoque intra Constantinopolin ipsi Domino,qui est sapientia Dei Patris , Templum quod ἁγίαν σοφίαν nominavit , cujus opus adeo cuncta ædificia excellit , ut in totis terrarum spaciis huic simile non possit inveniri* : & a pluribus asseritur (12) , eum fuisse relatum in numerum Sanctorum ; novissimeque *Sixtus V.* (13) *Pontifex* Romanus ejus eximiam pietatem celebravit.

III. Quæ omnia majora sunt , quam ut possint unius hominis Græci testimonio elui,quod apud Romanos semper vile (14) est habitum . Et quæ de imperitia & amentia *Justiniani* tradita sunt , *Hier. Cagnolus* (15) *Justino* minori tribuit , qui fuit *Justiniani* ex sorore nepos , eique in Imperio successit . *Justinianum* vero nostrum , *Justinianum* Magnum (16) se-

(10) *l.5.C.de summ.Trinit.* (11) *Paul.Diac.d.lib.18.Procop.lib.1. de Justin.ædific.* (12) *Jo:Fab.in Instit. in proœm. Benincas. ad Inst. de Act.in præfat. n.19. Cagnol.ad Rubr. ff.de eden. n.55.* (13) *Const.75. in Bullar.Sixti V.* (14) *Cicer in orat. pro L.Flacc.* (15) *Cagnol. in repetit.proœm. ff.n.33. & 55.* (16) *Laur.Cherubin.in Sum.Bullas. in d.Constit.75. Sixt.V.*

sequentia secula semper appellarunt. Sive igitur ingenio, sive felicitati *Justiniani* tribuendum est, quod universum Jus Romanorum congesserit in quatuor libros, quos, ut exactissimam legum omnium formulam, omnes orbis terrarum populi (qui reguntur Legibus) amplectuntur.

IV. Universum vero Jus Romanorum congessit *Justinianus* in quatuor Libros, *Pandectas*, *Codicem*, *Institutiones*, & *Novellas* ipsius Constitutiones: de quibus singulis aliquid dicendum est.

V. *Justinianus* anno Imperii sui quarto (17) Pandectas componi jussit per *Tribonianum* aliosque ipsi conjunctos e Scriptis & Responsis Jurisconsultorum Romanorum, qui pene omnes sub Imperatoribus agebant, easdemque per triennium compositas anno Imperii septimo confirmavit. De his vero Jurisconsultorum scriptis, sicut modo in Pandectis extant, nemo sine admiratione scribit. *Laurentius Valla* (18) omnium Romanorum Scriptorum acerrimus censor, dicit: *Se perlegisse quinquaginta Digestorum libros ex plerisque Jurisconsultorum voluminibus excerptos, relegisse libenter & quadam cum admiratione, quod nescias utrum diligentia an gravitas, prudentia an aequitas, scientia an orationis dignitas praestet. Et haec ipsa in unoquoque illorum ita sunt egregia & perfecta, ut vehementer dubites, quem cui praeferendum putes; & his nihil addi adimive posse* vi-

(17) *Anno Christi DXXIX. Cont. in Chronol.* (18) *Vall. lib. 3. Elegant. in princ.*

videtur, tam eloquentiæ, quam Latinitatis & elegantiæ, sine qua cæca omnis doctrina est & illiberalis, præsertim in Jure Civili.

VI. Eorum pariter scientiam, eloquentiam & prudentiam omnes Juris Civilis Interpretes certatim laudant. Eos eloquentissimos (19) omnique scientia imbutos, magistrosque (20) eloquentiæ appellant. De iis *Ant. Faber* (21): *Clarissima illa jurisprudentiæ nostræ* Lumina & Numina, Ulpianus, Paulus, Scævola, Pomponius, Julianus, Papinianus, *quos quoties nomino, toties miror, toties stupeo, meamque post tot vigilias infantiam & inscitiam deploro*. De uno *Papiniano Cujacius* (22): *Nemo unus unquam erit* Papinianus; iterumque (23): Papinianus *omnium qui sunt, qui erunt, quique fuerunt, jurisperitissimus*: & *Franciscus Balduinus* (24) monet omnes, ut revereantur Dei Providentiam, qui excitavit summos illos viros *Josephum* in Ægypto, *Danielem* in Babylonia, Athenis *Periclem*, Romæ *Papinianum*, ad conservandam humanam societatem & justitiæ splendorem.

VII. Et huic Jurisconsultorum admirationi tribuendum est, quod plures insectentur *Justinianum Tribonianumque*, qui compositis Pandectis ipsa Jurisconsultorum scripta & Leges 12. Tabularum tolli & de-

(19) *Vigl. in Instit. Theoph. in præfat.* (20) *Cagnol. ad Rubr. C. de edendo num 58.* (21) *Ant. Fab. in Cod. Fabr. in Epist. ad Sen. Sabaud.* (22) *Cujac. lib. 1. quæst. Papinian princ.* (23) *Cujac. in edit. Cod. Theod. in Epist.* (24) *Balduin. in comment. ad Instit. in præfat.*

& deleri (25) mandarunt; eamque jacturam ob omnibus esse deflendam clamant: nam frustra laborasse *Accursium* & Doctores existimat *Alciatus* (26) si integri Jurisconsultorum libri superessent. Et Jurisprudentia longe purior ex ipsis fontibus nobis profluxisset, quam ex confusis Interpretum Commentariis haurire possumus. Et de *Triboniano* queritur *Jason*(27) Jus Romanorum in angustias ab eo detrusum fuisse. Sed in *Justinianum* & *Tribonianum* multo sunt benigniores, qui potius existimant libros Jurisconsultorum Romanorum infortunio, calamitate temporum, barbarorumque incursionibus periisse; nam e tribus Civitatibus (quæ ante omnes alias erant Juris Romani Custodes) *Berytus* post *Justinianum* terræmotu absorpta est: *Roma* sæpius a Gothis aliisque barbaris gentibus est vastata, qui in libros & literas avide sæviebant: & post alias calamitates urbs *Constantinopolitana* immani Turcarum rapinæ cessit. Certe universum Imperium Romanum ab excessu *Justiniani*, a Gothis aliisque gentibus barbaris adeo afflictum fuisse, totque vastationes, incendia & ruinas in eo ubique contigisse, testantur omnes historiæ eorum temporum, & Patrum Ecclesiæ scripta, ut potius tribuendum sit Dei providentiæ, qui per hanc *Justiniani* operam aliquas reliquias & centones Jurisconsultorum Romanorum in Pandectis nobis con-

(25) *Decian. in apolg. advers. Alciat. cap. 7. Menoch. de Interd. retin. possess. de aqu. cotid. & æstiv. n. 6. Matheac. de via & rat. Jur. lib. 1. cap. 1.*
(26) *Alciat. in L. apud Labronem, in fin. de verb. sign.* (27) *Jason. ad l. 1. de injust. rupt. & irrit. testam. Morl. in quæst. forens. p. 1. tit. 1. num. 9.*

conservare dignatus est, sine qua omnes aut plurimi eorum libri ex melioribus conjecturis periissent.

VIII. In eo vero merito videtur reprehendi *Tribonianus* & *Socii* (28) quod cum *Justinianus* iis decennium indulsisset pro componendis Pandectis ex libris Jurisconsultorum, qui numerum duorum millium (29) superabant, & minori tempore id negotium fieri non potuisse, Imperatori videbatur, hi præpostere & festinanter triennio perfecerunt, cum evolvendis tot libris tanti ponderis & scientiæ, nullum tempus nimium fuisset; & in Pandectis si quid imperfectum, contrarium, incertum aut obscurum occurrere videatur, iis, non Jurisconsultis ipsis est tribuendum.

IX. Est & aliud, in quo Juris Interpretes reprehendunt *Tribonianum* ceterosque, quod methodus Pandectarum iis non placeat, quam tamen multo plures (30) defendunt; eo quod pandectæ compositæ sunt eodem ordine, quo edictum perpetuum *Salvii Juliani*, cum magna pars Juris Romani ex commentariis ad illud edictum desumta sit. Qua norma *Tribonianus* in componendis Pandectis usus est; & de methodo Pandectarum ita *Cujacius* (31): *Cohærent digestaque sunt omnia arte mirabili, non tam ingenio* Triboniani, *quam* Juliani, Hermogeniani, *& veterum prudentum, quorum ille vestigia secutus est; & qui* aliam

(28) *Constit. de confirm. Digest. Wesemb. in Instit. in proleg. de composit. Jur.* (29) *In proœm. Digest.* (30) *Vult. in Jurisprud. Rom. in proleg. Mathеac. de via & rat. Jur. lib. 1. cap. 35. Frider. Scot. in Rubr. C. de edend. num. 6.* (31) *Cujac. in paratit. ff. Mandati.*

aliam desiderant vel comminiscuntur artem, sunt ineptissimi & improbissimi, neque quid sit ars sciunt, nec artem Digestorum.

X. Illud tantum restat de libro Pandectarum, cum sæpe dissentiant in scriptura librorum, qui in manibus omnium sunt, solet quæri, ex quibus libris veritas petenda sit, cum alia sit editio Pandectarum vulgaris, qua Doctores antiquiores post *Irnerium* usi sunt, alia *Haloandri* quæ *Norica* dicitur, quam ille confecit ex libris *Bolognini* & *Politiani*, qui tamen profitentur se emendasse librum suum ad exemplar *Florentinum*, & tertia *Florentina* ex illo Pandectarum libro, qui primo a *Pisanis* postea a *Florentinis* acquisitus, in summa apud omnes veneratione habetur. De quo libro etsi vehementer agitetur inter viros non Juris modo, sed & omnium literarum peritissimos, utrum sit ipse liber archetypus exaratus mandato *Justiniani*, an ex eo sub *Justiniano* vel brevi postea descriptus, *Politiano* asserente (32) eum esse *Justiniani* archetypum, dissentientibus *Antonio* (33) *Augustino*, *Jac.* (34) *Cujacio*, *Ardr.* (35) *Alciato*, *Ant.* (36) *Contio*, & aliis existimantibus non fuisse *Justiniani* archetypum, sed transcriptum ab alio exemplari post *Justiniani* mortem, multique in *Codice Florentino* (37) errores deprehendere conati sunt. Illud tamen communiter receptum est, ex libro *Florentino*

(32) *Politian. lib. 10. epist. 4.* (33) *Ant. Augustin. lib. Emendat. cap. 1.* (34) *C. lib. 2. obser. 1.* (35) *Alciat. lib. 3. dispunct. cap. 12.* (36) *Cont. lib. disp. Jur. cap. 6. Frideric. Scot. cons. 17. lib. 5.* (37) *Ant. August. d. lib. 1. c. 1. & lib. 3. c. 3. Petr. Fab. lib. 2. semestr. c. ult. Cont. lib. 1. disput. Jur. cap. 6.*

rentino omnes qui hodie extant Digestorum libros fuisse conscriptos, & ad eum in omnibus juris controversiis esse (38) recurrendum, atque ita Doctores Itali (39) antiquiores solebant semper controversias suas ex Pandectis Pisanis dijudicare, eisque obtemperabant.

XI. Hunc denique librum Digestorum (40) appellari voluit *Justinianus*, quod in eo omne Jus Romanorum in septem partes digestum esset, quem librum unum fuisse (41) constat, quamdiu Constitutio *Justiniani* valuit prohibentis (42) Legibus suis Commentarios adjici, nunc vero ex glossis *Accursii* aliorumque in tres libros excrevit, de quorum uno qui dicitur Infortiatum, cum infinitæ fere sint conjecturæ, e quibus omnibus vix idonea ratio colligi possit, mihi optima semper visa est illa *Ludovici* Romani (43) existimantis, illud nomen ab aliquo Interprete pro arbitrio suo absque justa ratione impositum fuisse, quod continuo usu receptum ad nos manavit.

XII. Post Pandectas absolutas, Constitutiones omnium Imperatorum ab *Hadriano*, *Justinianus* in unum (44) Codicem componi jussit, qui editus est anno Imperii sui octavo. Erat prior Codex (45) editus

(38) *Anton. Augustin. d. lib. 1. Emend. cap. 1.* (39) *Bart. ad Rubr. ff. solut. matrim. in princ. & ad L. si creditor, §. fin. ff. de distr. pign & ad L. nemo, ff. de Pact. Alex. ad L. si filii fam. §. si v. r. n. 1. ff. sol. matrim. Socin. ad L. filiusfam. §. Divi, ff. de legat. 1. n. 150.* (40) *Constit. de confirm. Digestor. §. 1.* (41) *Bolognet. in repet. Rubr. sol. matrim. n. 58.* (42) *L. 2. in fin. C. de vet. Jur. enucl.* (43) *Roman. ad Rub. sol. matrim. in princ.*

(44) *C. de Justin. Cod. confirm. in princ. Cont. in chronolog. Jur.*

(45) *L. 2. C. de vet. Jur. enucl. Cont. lib. 1. Lect. 9.*

tus a *Justiniano* anno Imperii sui secundo, in quem congestæ sunt omnes constitutiones ab *Hadriano* usque ad *Theodosium* e tribus codicibus, *Gregoriano*, *Hermogeniano*, & *Theodosiano*; resecatis superfluis & contrariis, & sequentium etiam Imperatorum usque ad Imperium suum: & cum constaret eum nimis festinanter fuisse compositum, *Justinianus* (Pandectis jam editis) eum accuratius componi jussit, & in eundem inseri quinquaginta decisiones suas, in quibus controversias omnes in jure Romano inter Jurisconsultos antiquiores agitatas dijudicasset, & hunc Codicem Repetitæ prælectionis & *Justinianæum* dici voluit.

XIII. De hoc Codice quæri solet, An Constitutiones illæ tantum admittendæ sunt, quæ reperiuntur in libris antiquis, quos *Accursius* & Doctores glossis & commentariis suis explicarunt, an aliæ etiam suppleri possint e Codice *Theodosiano*, *Basilicis*, *Nomo Canone Photii*, aliisque Græcis Constitutionibus, quas viri docti industria sua eruerunt. Aliquas se addidisse *Contius* & *Cujacius* (46) dicunt, multique hodie Græcas Constitutiones scrutantur, quæ si admittantur, nullus erit terminus, & hominibus privatis licebit novas Leges edere, quod a (47) *Justiniano* prohibitum est. Quæri etiam solet de Authenticis, quæ in Codice insertæ sunt, quam authoritatem habeant? quarum aliquæ sunt Imperatoris *Friderici*, plu-

(46) *Cont. in præfat. Pandect. Cujac. ad Novell. 6.* (47) *C. de Justin. Cod. confirm.*

plurimæ vero sumtæ sunt ex novellis *Justiniani* Constitutionibus, quæ non a *Triboniano* collectæ, sed ab *Irnerio* Jurisconsulto sub *Friderico* Imperatore, quas ille misit ad Jurisconsultos Papienses, ut ad Leges (48) Codicis adjungerentur. De quibus quoties controversia incidit, recurrendum esse ad fontes (49) unde sumuntur, omnes consentiunt, a quo sæpe deviare reperiuntur. Illas ergo solas Constitutiones recipimus, quæ usu Academiarum & Curiarum admissæ sunt.

XIV. Institutiones componi mandavit *Justinianus* post Pandectas compositas, quæ tamen uno mense editæ sunt ante Pandectas (50) septimo Imperii ejus anno. Unde Jus Institutionum derogare Juri Pandectarum, si in aliquo dissentiunt, plurimi (51) existimant. Continet autem hic liber Elementa juris Romani facili & continuo Stylo conscriptus, quem *Cujacius* (52) omnium librorum Juris Civilis nitidissimum, comtissimum, facillimum, nulloque pœne interprete indigentem prædicat. In hoc etiam libro illud singulare est, quod nullum scriptum Jurisconsulti alicujus Romani post *Gordianum* Imperatorem & *Modestinum* Jurisconsultum memoratur, præter unius *Theophili* (53) paraphrasin ad Institutiones,

(48) *Alvarot. in proœm. feudor. n. 12. Decian. in apolog. advers. Alciat. cap. 8.* (49) *Ad L. 2. §. quid sit, num. 4. sol. matrim. Jul. Clar. lib. 5. §. fin. quæst. 78. num. 1. Hottomann. in quæst. illustr. qu. 14.* (50) *C. de emend. Cod. C. de Just. Cod. confirm. Cont. in chronol. Jur.* (51) *Duaren. in comment. ad Pandect. lib. 1. c. 3. Donnell. lib. 4. comment. Jur. c. 14.* (52) *Cujac. lib. 11. obser. 38. Balduin. in Instit. in proleg.* (53) *Decian. in apolog. advers. Alciat. cap. 8.*

tiones, quem aliqui existimant fuisse unum ex iis, quos *Justinianus* componendo Juri Romano adhibuit, eamque valde laudat *Viglius Zuichemus*(54) qui eam Græce scriptam se a Cardinale *Bembo* accepisse, & Latinam fecisse narrat,

XV. Postremus librorum *Justiniani* est liber Novellarum: nam post compositas Pandectas, Codicem & Institutiones, *Justinianus* per reliquos annos, ex triginta octo quibus imperavit, varias edidit Constitutiones, quia in rebus humanis ita comparatum est, ut omnes casus(55) in legibus latis non possunt comprehendi. Hæ constitutiones *Novellæ* appellantur, & sunt extra controversiam *Justiniani*, licet in hunc librum non congestæ a *Justiniano*, sed ab aliquo Juris Romani studioso, quod ab omnibus (56) agnoscitur. Harum vero plurimæ Græce sunt editæ a *Justiniano*, paucæ Latinæ, quas enumerat *Ant.*(57) *Augustinus*; & quia e Græco sermone translatæ sunt vere & fideliter, appellatæ vulgo sunt (58) Authenticum, quod sint certæ & indubitatæ fidei, & ut secernerentur ab iis Authenticis, quæ in Codicem ascriptæ sunt, & a *Juliani* epitome, quæ sæpius liber *Novellarum* appellabatur. In his *Novellis* maxime ambigitur de numero & de versione Latina. *Accursius* & Doctores glossis & commentariis illustrarunt tantum(59) no-

(54) *Vigl. in præfat. ad Instit. Theoph.* (55) *L.10. & 12. ff. de Legib. l.2. §. sed quia, C. de vet. Jur. enucl.* (56) *Cujac. ad Novell 69. & lib. 20. obser. 33. Augustin. Mellus. in Disput. Jur. civil. p. 30. cap. 12. Math. Stephan. in comment. ad Novel. in princ. n. 20.* (57) *Ant. Augustin. in parat. ad Novell.* (58) *Alciat. c. parerg. c. 46. Math Stephan. in loc. cit. num. 28.* (59) *Vuite. in Jurisprud. Rom. in præfat. Alber. Gentil. de lib. Jur. civil. cap. 6.*

nonaginta octo. *Julianus* in sua Epitome statim post *Justinianum* edidit centum viginti quinque, *Haloander* edidit centum sexaginta quinque, *Cujacius* addidit tres. Sed oportet sequi *Accursii* & communem Interpretum sententiam, quia agimus de eo Jure Romano, quod usu inter gentes Christianas receptum est.

XVI. Versio Latina *Novellarum* prima fuit *Juliani* antecessoris non diu post *Justinianum*, quam omnes(60) laudant: altera Versio Latina, qua *Accursius* & Interpretes utuntur, quam *Alciatus* (61) appellat barbaram, sed authoritatem ejus ex antiquitate commendat (62) *Cujacius*, quæ facta fuit ab authore incerto, latini sermonis forsan imperito, ut conjicit (63) *Molinæus*. Sed cum recepta sit apud omnes Nationes in Studiis & Judiciis, authoritatem juris habet; & si controversia oriatur de scriptura, non est hic recurrendum semper ad fontem Græcum (64), quia *Contius* (65) existimat hanc interpretationem fuisse factam ex perfectiori exemplari, eo, quod jam habemus. Admittendæ igitur non sunt Novellæ usu non receptæ, quod & de Novellis *Leonis* Philosophi dicendum est.

XVII. Ita *Justinianus* feliciter composuit Jus Romanum, Legesque Romanas (ait *Paulus*(66) *Diaconus*) quarum prolixitas nimia erat & inutilis dissonantia,

(60) *Alciat. 2. parerg. c. 46. Joseph. Suares. in Notit. Basilic. ad Urb. ur. VIII.* (61) *Alciat. in edit. Novell. Haloandr. in epist.* (62) *Cujac. lib. 4. observ. 37. & lib. 8. c. ult.* (63) *Molin. de usur. qu. 1.* (64) *Gentil. de lib. Jur. civil. cap. 7.* (65) *Cont. in Novell. in præfat.* (66) *Paul. Diacon. lib. 18.*

nantia, mirabili brevitate correxit. Nunc dicendum restat, quomodo hoc Jus Civile Romanorum, post aliquot secula in quibus Leges & Literæ omnes pœne obrutæ sunt, ad gentes Europæas devenerit, de quo in sequenti Capite.

CAP. V.

De Jure Civili Romanorum *post* Justinianum.

I. JUs Civile Romanorum tanta cura & fœlicitate a *Justiniano* compositum (ut sunt vices rerum humanarum) cum ipso Authore pœne extinctum est. In Civitate *Constantinopolitana* sede Imperatorum Romanorum ex eorum socordia vel invidia gloriæ *Justinianææ* vix per quadraginta annos ab excessu *Justiniani* authoritatem habuit; ad Italiam vero & gentes Europæas non pervenit per quingentos annos a *Justiniano*, suppressum a Gothis, Longobardis, Vandalis, Francis, aliisque populis barbaris, (qui occidentales Imperii Romani provincias invaserunt) pari odio Leges Romanas & literas omnes prosequentibus.

Primo agendum de libris *Justiniani*, quomodo recepti fuerint *Constantinopoli*, & deinceps in Imperio *Orientis*, & quomodo postea ad Europæos fuerint delati.

II. Per quadraginta annos post *Justinianum* libri *Justinianæi* sub *Justino*, *Tiberio*, *Mauritio* Imperatoribus

peratoribus *Constantinopoli* recepti fuerunt in gymnasiis & usu forensi latine scripti, jusque ex iis Sermone Romano dictum (1) est, in quo Decreta Magistratuum & Sententiæ judicum edenda (2) erant; isque honos delatus est linguæ Romanorum, quorum virtutibus magnum illud Imperium debebatur. Sed vix per quadraginta annos Jus *Justinianæum* (3) valuit; nam circa annum Christi 600. successit *Phocas* (4) (occiso Imperatore *Mauritio*) imprudens & ignavus Princeps, qui nec leges conservare, nec Saracenorum invasiones in Asiam repellere potuit; sub quo etiam Germani, Galli, Hispani, Longobardi in Italia Imperatorum Dominationem excutere cœperunt, posteaque Imperatores Græci dicti sunt Imperatores(5)Romanorum usque ad excidium Constantinopolis & successores *Constantini*, iidemque successores *Alexandri* se dici voluerunt.

III. Sub Imperatoribus vero a Phoca ad *Basilium* Macedonem per ducentos annos libri *Justinianæi* erant in aliquo usu; fuerunt enim vel ætate *Justiniani* vel paulo post in linguam græcam (6) translati, Codex & Pandectæ per *Thalelæum* (7) antecessorem, Institutiones per *Theophilum* (8) plurimique li-

(1) *Carol. Fabrot. in edit. Basilic. in epist. ad Cancel. Franc.*
(2) *L. decreta 41. ff. de re judicat.* (3) *Balduin. in Institut. in proleg. Vulte. de Jurisprud. Rom. in proleg.* (4) *Niceph. lib. 18. Zonar. to. 3. annal.* (5) *Georg. Codin. Curopalat. de offic. aul. & eccles. Constantinopol. c. 6. n. 51.* (6) *Marquard. Freber. in edit. Jur. Græco-Rom. in epist. ad Rud. 2. Imp.* (7) *Joseph. Suares. in Notit. Basilic.*
(8) *Franc. Broæ. in Instit. in præfat. Carol. Fabrot. in exercit. in præf. apolog.*

libri Jurisconsultorum Romanorum Græci facti (9) sunt, ex quibus Pandectæ antea compositæ fuissent; ex quibus & præsertim ex Constitutionibus Imperatorum *Justiniano* succedentium usque ad *Basilium* Jus in foro Orientis reddebatur : sub iis tamen Legum & Judiciorum vis paulatim (10) minui cœpit, afflictis maxime & armis Sarracenorum Orientis Imperium vastantium (11) usque ad *Basilium* Macedonem, qui in eo Imperio successit circa an. DCCCLX. Princeps magni animi, qui ex bellis suis contra Sarracenos aliosque Imperii hostes, & ex Legibus judiciisque restitutis magnam nominis sui famam comparavit. Is raro fortunæ exemplo inter Captivos venales Constantinopolin adductus (12), posteaque armis & acclamationibus Militum Imperator factus, cum *Leone* Philosopho & *Constantino Porphyrogenito*, filiis suis sibi in Imperio deinceps succedentibus, ex invidia (13) gloriæ *Justinianeæ* libros ipsius delere conatus, primo edidit Epitomen Codicis *Justiniani*, quam πρόχειρον (14) vocavit, deinceps libros sexaginta βασιλικῶν publicavit, iique soli vim juris habuerunt usque ad finem Imperii Orientalis, neglectis libris a *Justiniano* (15) compositis, qui post *Basilium* nec in Academiis nec in Judiciis usuve forensi admissi fuerunt.

(9) *Suaref. in d. Notit.* (10) *Zonar. annal. to. 3.* (11) *Abb. Ursperg. p. 158. Zonar. d. to. 3. Sabell. Ennead. 8. lib. 9. Ennead. 9. lib. 1. Balduin. in Instit. in proleg.* (12) *Zonar. d. to. 3.* (13) *Ciron. lib. 5. observat. Jur. Canon. cap. 4. & 5.* (14) *Harmenopul. lib. 1. tit. 1. de Leg. b. Dionys. Gothofred. ad Novell. Leon. in princ.* (15) *Freher. in d. epist. ad Rud. 2.*

IV. Invidiæ vero & Ambitionis *Basilii* labem contra *Justiniani* libros & gloriam etsi aliqui imminuere (16) conentur, ascribentes interitum & jacturam librorum *Justiniani* infortunio, cum in conflagratione Constantinopoli sub *Zenone* Imp. CXX. Millia librorum amissa fuerint; & *Berytus* florentissimum Legum gymnasium terræmotu obrutum fuerit: quibus etiam accessit in Italia librorum omnium Vastatio per Gothos; plurimi tamen *Basilium* & *Leonem* invidiæ & ambitionis graviter (17) accusant, quod *Justiniani* famam ex Legibus Romanis compositis non ferentes, earundem Legum compositionem nomini suo ascribere (18) contenderunt; neque enim *Leo* Philosophus in libris *Justinianæis* aliud reprehendere (19) potest, quam quod ejus compositio non fuerit perfecta & absoluta ad solvendas difficultates, nec *Justiniani* ordinem satis fuisse accuratum, quæ etiam in ipsum *Leonem* retorqueri possunt. Et Jurisconsulti Occidentalis Imperii *Justinianum* satis defendunt, reprehendentes illud in *Justiniano*, quod libros Romanorum Jurisconsultorum post Pandectas absolutas supprimere conatus, eandem pœnam Talionis (20) a *Basilio* & *Leone* passus est.

V. Hos libros βασιλικῶν alii *Leoni* Philosopho (21) tribuunt, alii *Basilio* (22) patri, cui & ipse

Leo

(16) *Balduin. in Instit. in proleg.* (17) *Ciron. d. c. 4. & 5. Freber. in d. epist. ad Rud. 2.* (18) *Fr. Broæ. in d. præfat.* (19) *Leo Philos. Imper. in procem. Basilic.* (20) *Ciron. d. lib. 5. cap. 5.* (21) *Harmenopul. lib. 1. tit. 1. in princ. Cujac. lib. 17. observat. 31. Jo: Suares in d. Notit.*

(22) *Gothofred. ad Novell. Leon. in princ. Freber. in d. epist. ad Rud. 2. Vult. in Jurisprud. Roman. in proleg.*

Leo eosdem (23) ascribit, iidemque ad annos viginti post eorum editionem a *Constantino Porphyrogenito* altero *Basilii* filio ex repetita prælectione purgati & emendati (24) fuerunt; atque ab eo tempore libri *Justinianei* obsoleverunt in Oriente, Jurisconsultorum manibus non versabantur, raroque descripti erant. Unde in illa librorum multitudine, qui in Occidentem post captam Constantinopolin adducti sunt, non constat librum ullum *Justinianæum* (25) (si forte *Novellas* excipias) fuisse repertum. Et post libros *βασιλικῶν* edidit porro *Leo* Philosophus constitutiones *Novellas CXIII.* quas jam habemus, iisque utimur tantum in iis, de quibus a *Justiniano* nihil est (26) constitutum.

VI. Compositi fuerunt a *Basilio*(27) libri *Βασιλικῶν* ex libris *Justinianæis*, ex XIII. Edictis *Justiniani* post *Novellas* latis, ex Constitutionibus *Novellis Justini* & sequentium Imperatorum usque ad *Basilium*, quarum pleræque ab *Enimundo Bonefidio* & *Joanne Leunclavio* in libris Juris Orientalis editæ sunt, & ex libris Jurisconsultorum Romanorum, qui apud Græcos tum (28) reperiebantur, & ad nos pervenerunt. Basilica tamen hæc LX. libris comprehensa diu latuerunt, quorum septem libros primo edidit *Gentianus* (29) *Hervetus*, *Cujacius* (30) III. qui etiam omnes pœnes se habuit, & ex iis multa in Ju-

 re

(23) *Jo. Suares in d. Notit. Basilic.* (24) *Gomfred. ad Novell. Leon. & ad lib. 8. Basilic. edit. Hanov. ann. 1606. Suares. in d. Notit* (25) *Freber. in d. epist.* (26) *Cujac. d. lib. 17. obser. 31.* (27) *Suares. in d. Notit.* (28) *Suares. in d. Notit.* (29) *Suares. ibid.* (30) *Fabrott. in d. epist. ad Cancell. Franc.*

re Romano præsertim in observationibus suis (quas Opus Divinum *Jac. Augustus Thuanus* (31) merito appellat) eosdemque fere omnes jam integros habemus ex Galliæ Bibliotheca Regia editos una cum Scholiis & Glossis Interpretum Græcorum studio doctissimi Antecessorum Aquisextiensium Decani *Caroli Fabrotti*, ex quibus multa in Jure *Justinianæo* obscura dilucide explicantur & illustrantur.

VII. Ad hos libros *βασιλικῶν* scripserunt Jurisconsulti Græci Scholia & Commentarios aliquos; sed non pari numero ac Europæi ad *Justinianum*, ex quibus ad Nos tantum pervenerunt Glossæ aliquæ (32) *Stephani*, *Nicæi*, *Thaddæi*, *Eustatii*, *Eudoxii Isidori*, *Basilii* aliorumque Jurisconsultorum Græcorum, quæ ut Glossæ *Accursianæ* margini *βασιλικῶν* adjectæ sunt. Græcis magis videntur placuisse Epitome (33) & Synopses, e quibus prima est Basilii *πρόχειρον τῶν νόμων* (34), ex quo *Constantinus Hermenopulus* Judex *Thessalonicensis* concinnavit universi Juris Epitomen, & ex Constitutionibus Imperatorum, usque ad *Emmanuelem Comnenum*, qui imperium tenuit circa annum MCL. quam Promptuarium (35) appellat; & ante eum aliam breviorem *Synopsin* edidit *Michael Attaliates* Jurisconsultus (36) Jussu *Michaelis Ducæ* Imperatoris circa an-

(31) *Thuan. histor. lib. 99.* (32) *Decian. in apolog. advers. Alciat. cap. 8. Matheac. de via & rat. Jur. cap. 24. Suares. & Broæ. in loc. cit.* (33) *Broæ. in d. præfat.* (34) *Gothofr. ed. in Novell. Leonan princ. Fabrott. in d. epist. ad Cancell. Franc.* (35) *Harmenopul. d. lib. 1. tit. 1. Balduin. in Instit. in proleg. Vult. & Freber. in loc. cit.* (36) *Leunclav. in eclog. Basilic. in proœm. & in edit. Basilic. ann. 1575. Fabrott. in d. epist.*

annum MLXX. quem Compendium Compendii vocat: eodemque tempore *Michael Psellus* (37) *Synopsin* condidit, & *Leunclavius* anno MDLXX. edidit ἐκλογὴν Βασιλικῶν (38), è Bibliotheca *Joh. Sambuci* Pannonii (qui postea fuit magnus Poloniæ Cancellarius) quam ille Tarenti in Calabria repererat; nam ea pars Italiæ (quæ olim vetus Græcia dicta est) diutissime paruit Imperatoribus Orientis, postquam Exarchatus Ravennæ primo Longobardis, deinde Normannis in Italia dominantibus cesserat; & ab eodem *Leunclavio* tres Paratitlorum libri Latini facti (39) sunt, in quibus Leges ad res & personas sacras spectantes ex corpore *Justinianæo* desumtæ sunt appositis singulis quæ in aliis titulis & glossis ad illum titulum pertinentibus reperiuntur.

VIII. Ex his omnibus & Imperatorum *Basilio* succedentium Constitutionibus in Orientali Imperio Jus dictum est, neglectis libris *Justinianæis*, sive ex invidia famæ *Justinianææ*, ambitioneque conciliandi libris & Legibus suis Authoritatem, sive ex usu & facilitate Græcæ (40) & vernaculæ Linguæ, in qua hæc omnia edita sunt, & divisis jam Imperiis Occidentis, & Orientis, Jure tantum suo uti voluerunt; quod tamen omne a Romanis acceperant.

IX. *Basilium* vero & *Leonem* Impp. imitatus *Photius* (41) Patriarcha Constantinopolitanus eodem

(37) *Freher. & Fabrott. in loc. citat.* (38) *Jo. Leunclav. in edit. Jur. Græco-Rom. Fabrott. in d. epist.* (39) *Broæ. in d. præfat.* (40) *Freher. & Broæ. in loc. citat.* (41) *Gothofred. in d. præfat. ad Novell. Leon. Broæ. in d. præfat.*

tempore Nomo-Canonem edidit ex Basilicis Constitutionibus & Canonibus Ecclesiasticis, quem longo post tempore *Theodorus Balsamon* Patriarcha Antiochenus (42) anno 1143. Scholiis illustravit, *Photiumque* imitatus *Burchardus VVarmatiensis* anno 1020. *Ivo Carnutensis* anno 1080. & *Gratianus* anno 1120. Canones Ecclesiæ Occidentalis congesserunt.

X. Hoc Jus Græco-Romanum a *Basilii* & *Leonis* ætate sub Imperatoribus *Porphyrogenitis*, *Commanianis*, & *Paleologis* usque ad *Constantinum* XIII. *Paleologum* Græcorum Imperatorum ultimum productum est, sub quo capta Constantinopoli anno 1452. a *Mahomete Ottomanico*, Imperium Orientale cum suis Legibus(43)extinctum est. Nam usque ad illud tempus fuit Constantinopoli celeberrimus Jurisconsultorum conventus & supremum Orientis Tribunal, teste *Ænea* (44) *Sylvio*, qui tum Pontifex Romanus fuit; & dum per varia Secula barbaries Gothorum, Longobardorum, Maurorum, Saracenorum, aliorumque, Literas & Leges in Occidente pene delevisset, efflorescebant Literarum omnium Legumque studia (45) Constantinopoli, ut nemo pro docto in Occidente haberetur (46), nisi Constantinopoli literarum studio incubuisset.

XI. Libros vero *Justinianæos* Romæ aut in Italia

(42) *Gothofred. in d. præfat.* (43) *Abb. Urspergens. in paralipom. Æne. Sylv. in orat. de excid. Constantinop.* (44) *Æne. Sylv. epist. 130. & 155.* (45) *Ciron. lib. 5. observ. Jur. Can. cap. 5.*
(46) *Æne. Sylv. d. epist. 130. & 155.*

lia per quingentos annos ab ejus excessu visos fuisse nobis constare non (47) potest ; tantum conjici potest eos in Illyricum venisse , quod eorum publicatio(48) Præfecto Prætorii Illyrici a *Justiniano* mandata sit. Italiam tenuerunt Gothi per sexaginta annos post *Justinianum* , quibus pulsis in ulteriorem Galliam (49) per Longobardos , Reges eorum per ducentos annos Italia potiti sunt, eodemque tempore in *Hispania* (50) Visigothi , & Vandali, in Gallia Gothi, Franci, Hunni, aliique Populi barbari dominabantur. Hi nullas patiebantur Leges nisi a se conditas, Longobardicas, Gothicas, Francicas , Alemanicas, aliasque, quas adhuc habemus in Codice Legum (51) antiquarum , quæ etsi in plurimis sane justæ sunt & laudandæ ; sapiunt tamen barbariem earum gentium , & Leges Longobardorum (quæ ceteris excellentiores habitæ sunt) barbaræ , asininæ , & Fæx potius quam Lex ab Interpretibus nostris sunt (52) appellatæ : illum tamen honorem Romanis olim Dominis suis præbuerunt , ut Leges suas omnes Latine scripserint , & contractus omnes secundum Leges Romanas (53) inierint ; & eas Juris Romani reliquias,quas adipisci potuerunt, in usu Judiciorum

(47) *Freher.in d.epist.ad Rud.2.* (48) *Const.in Tanta in fin. de concept.Digest.* (49) *Procop.lib.1.de bell. Goth. Agath.lib.1.de bell.Goth. Niceph.lib.13.c.39.& lib.14.c.56. Abb.Ursporgens.c.130.Sabellic.lib.1.in princ. & lib.4.to.4.* (50) *Cod.leg.antiq.p.1.* (51) *Cod.leg.antiqu.p.1. edit. Per Frederic.Lindenbrog. Decian.in apolog.adversus Alciat.cap.9.*
(52) *Luc.de Penn.ad l.conductores, C.de conductor. lib.11. Marant.disp.2. Caravit.ad Rit.Neapol.Rit.292. Paul.Christin.decis.212.n.26.vol.4.*
(53) *Agath.lib.1. de reb.Justinian.*

ciorum una cum Legibus suis (54) observarint, Codicem *Thodosianum*, *Gaji* Institutiones, *Ulpiani* fragmenta, *Pauli* notas & sententias, forsan majorem honorem delaturi Libris *Justinianæis*, si in eos incidissent.

XII. Post ducentos annos *Carolus Magnus* Gallorum & Germanorum Rex, devictis in Italia Longobardorum Regibus, *Romæ* a Senatu populoque Romano electus Romanorum Imperator, & a *Leone III.* Pontifice Romano approbatus circa *an.*800. summo restituendi Juris Romani desiderio (55) tenebatur, quod assequi non potuit, sive bellis continuis occupatus, sive ex defectu Librorum Juris Romani, quos illius Jurisconsulti non potuerunt conquirere. Jacebat enim sepulta literarum omnium & Legum peritia sub *Carolo Magno*, & per duo secula insequentia, quod omnes veri docti (56) deplorant, in quibus invaserat omnium animos talis stupor, amentia, oblivioque Literarum omnium & Morum, ut vix Principes Pontificesve reperiantur, qui aliquid dignum memoria gesserunt. De Jure Romano nihil interea auditum; solum Ravennæ (57) apud Exarchos Græcos reperiebatur quinta Pars Pandectarum, quæ tractat de ultimis voluntatibus & successionibus hereditatum; nam ea pars Italiæ Exarchis Imperatoribus Constantinopolitanis adhuc durante

Lon-

(54) *Decian. in apolog. advers. Alciat. c.6. Mathead. lib.1. de via & rat. Jur. c.24.* (55) *Balduin. in Instit. in proleg.* (56) *Sabellic. Ennead.9. lib.1. Paul. Jov. vit. Franc. Petrarch. Genebrard. in chronolog. lib.4. Card. Bellarm. lib.4. de Rom. Pont. 1.12. Decian. in apol. advers. Alciat. c.8.*

Longobardorum Regno obtemperabat, donec ex conventione (58) inter *Carolum Magnum* & *Irenem* Imperatricem Constantinopolitanam facta, pars Imperii Romani Occidentalis *Carolo* & ejus Posteris, Orientalis vero Constantinopolitanis cessit.

XIII. Post has vero tenebras Scientiarum omnium, ea fuit fœlicitas Juris Romani, ut cum ipso in Lucem extracto ceteræ Scientiæ omnes revixerint, quod accidit sub *Lothario* Saxone Imperatore Occidentis circa *annum* 1127.quo una cum *Innocentio II.* Pontifice Romano bellum gerente contra *Rogerium* Regem Siciliæ & Neapolis, imploratoque Pisanorum auxilio (qui tum liberi Reipublicæ jure utebantur) in excidio Urbis Amalfitanæ in Apulia, libri Pandectarum (59) ibi reperti, in honorem rerum ab iis strenue gestarum, præmium ut Opima Spolia iisdem tributa sunt, eosque religiose servabant *Pisani* usque ad *annum* 1406.& ad eos in controversiis suis Doctores nostri advolabant. Eo vero anno *Gujus Coponius* (60) exercitus Florentini præfectus Civitate Pisarum capta, Pandectas in magnam triumphi sui partem Florentiam transtulit, ubi eadem religione & cura adhuc servantur. Eodem tempore cum Pandectis in lucem revocatis ceteræ scientiæ sub iisdem tenebris sepultæ repullularunt.

(58) *Sabellic. Ermead. 8. lib. 9.* (59) *Contius. ad l. 2. §. fin. de orig. Jur. Frebertin d. epist. ad Rudolph. 2. Imp. Borrell. de Catol. Reg. præstan. c. 78. n. 26. Gerard. Voss. in dissert. 3. de Symbol. thes. 33.* (60) *Taurell. in præf. ad Pandect. Florent. Borrell. d. cap. 78. n. 28.*

runt. *Petrus* enim *Lombardus* (61) Episcopus Parisiensis Theologiam per antiquorum libros sparsam in methodum redegit, quod *Johannes Damascenus* ante annos quingentos Græcis præstiterat; & *Gratianus Monachus* Bononiensis Decretorum librum composuit; & *Petrus Trecensis*, dictus *Comestor*, Historiam Scholasticam edidit, qui fratres naturales ex una concubina nati perhibentur.

XIV. Pandectis jam postliminio restitutis, Jus Civile Romanorum omnes Occidentalis Imperii Populi amplectuntur, & ad illud exornandum miro consensu concurrunt. Erat eodem tempore in Aula Imperatricis *Matildæ* magni nominis Jurisconsultus *Irnerius* (62) qui Constantinopoli (63) Juri operam dederat, & in rebus *Lotharii* administrandis summum locum tenebat. Eo Authore & Suasore *Lotharius* (64) Jus Romanorum in Academiis doceri, & ex eo causas in judiciis dijudicari, Edicto mandavit; ipseque *Irnerius* Bononiæ circa *annum* 1150. Jus Civile docuit, eumque secuti *Bulgarus*, *Placentinus*, *Odofredus*, *Aro*, aliique Bononiæ, & ex iis etiam *Placentinus* & *Aro* in Academia Montispessulana in Gallia Jus Civile professi sunt: post hos *Franc. Accursius* Florentinus fere quadragenarius ad Jus Civile accessit sub *Arone* & *Odofredo*, in quo tantum profecit,

(61) *Antonin. p. 3. tit. 18. c. 6. Tritbem. lib. de Eccles. Script. Bellarm. de script. Eccles. ad ann. 1145. Sixt. Senens. lib. 3. Bibliothec. sanct. Method. 23.*
(62) *Abb. Urspergen. f. 291. Decian. in apolog. advers. Alciat. c. 8.* (63) *Ciron. lib. 5. obser. Jur. Canon. c. 5.* (64) *Lindenbrog. in Cod. leg. an iqu. in princ. Decian. in d. apolog. c. 8.*

fecit, ut Magiſtros longe ſuperaret; relictaque profeſſione Juris publica in ſolitudinem ſe recepit, in qua per ſeptennium(65) ſcripſit gloſſas in Pandectas & Novellas, & per aliud biennium in Codicem (66) ut ipſe de ſe teſtatur, in quibus mira brevitate Leges omnes ſimiles addit, diſſentientes conciliat, & ex iis tantam induſtriæ, judicii, memoriæque famam eſt aſſecutus, ut nemo poſt eum Juri gloſſas adjicere tentaverit, & Interpretes poſt eum, ex ejus admiratione, parem operam in ejus gloſſis explicandis ac in verbis Legum impenderint, quod ſane in iis merito reprehendendum eſt, adeoque eum inſecuti aliam viam docendi Juris per Commentarios prolixos inierunt, contra *Juſtiniani* Sanctionem(67) prohibentis commentarios Legibus ſuis aſcribi. *Accurſium* vero omnibus Interpretibus Græcis & Latinis anteponit (68) *Cujacius*, a quo quicquid *Bartolus* aliique aberraverint, ſomnia appellat.

XV. Poſt *Accurſium* ſucceſſerunt *Cynus*, *Oldradus*, *Petrus de Bellapertica*, qui Aureliis docuit, aliique in Italia, qui omnes licet inſignem ex Juris Romani ſcientia famam comparaverint, eos tamen ſecuti *Bartolus* & *Baldus* Peruſinus longe ſuperarunt. *Bartolus* natus *anno* 1303. Jus Civile profeſſus eſt Piſis, poſteaque Peruſii, quod tanto judicio aperuit in Commentariis ſuis immenſis pro ætate ſua

(65) *Gl. in Authent, ut proponatur, v. indictionis. Forſter in hiſtor. Jur. civil. v. Accurſius, Fr. Broæ in præfat. in Chronol.* (66) *Gl. in l. 2. C. de accuſ.* (67) *L. 1. §. noſtram, C. de vet. Jur. enucl.* (68) *Cujac. lib. 12. obſerv. 16.*

suasque quadragintasex annos non excessit) ut longe primus *Justiniani* Interpres, post *Accursium* adhuc apud omnes celebretur, & in eo fuisse præ ceteris admirabilem Legum peritiam, ejusque ingenio numen adfuisse, Interpretes nostri (69) testentur. Eum *Baldus Perusinus* ejus auditor, annis superavit: vixit enim usque ad ætatem decrepitam, mortuus *anno* 1420. & Jus Civile professus est Bononiæ & Ticini per 56. annos tanto cum ingenii acumine judicioque, ut *Baldum* nihil ignorare, soleret *Jason* dicere, & *Philippus Decius* (70) testetur, neminem mortalium authoritate *Baldum* adæquare posse. In his sane nihil desiderari potest, quam ut fœliciore ætate (71) vixissent, in iis enim Seculis barbaries Gothica & Longobardica Latinum Sermonem & literas fere omnes extinxerat, & ea ratione *Antonius Contius* eos Longobardicos Doctores (72) appellat. Ideoque si in iis Sermo Gothicus, historiarum literarumque ignorantia reprehendatur, condonanda sunt illis pro temporis ratione, ac compensanda pura exactaque Juris Romani scientia, quam immenso labore judicioque posteris tradidere.

XVI. Qui eos secuti sunt, *Angelus Perusinus Baldi* frater, *Salycetus*, *Alexander*, *Paulus Castrensis*, *Franciscus Aretinus*, *Jason*, *Phil. Decius*, aliique

(69) *Jo: Bapt. in repetit. C. omnes Populi, de Just. & Jur. Nic. Everard. in Loc. ab authorit.* (70) *Dec. cons. 283. Car. Molinæ cons. 2. pro Hermann. ab Arragon. n. 18. Bolognin. in Auth. habita, C. ne fil. pro patre, n. 198.* (71) *Balduin. in Institut. in proleg. Mathaeac. lib. 1. de via & rat. Jur. c. 20.* (72) *Cont. lib. 1. disput. Jur. civil. c. 8.*

que pari judicio, acumine ingenii, & industria Jus Romanum docuerunt, quod Commentarii eorum testantur. Et hucusque maxima laus debetur (73) Italis, qui præ reliquis nationibus Christianis Jus Civile illustrarunt. In iis tamen omnibus deerat adhuc Sermonis Latini elegantia literarumque Græcarum & Latinarum scientia, quam Jurisconsulti Seculi insequentis assecuti sunt. Ea vero obtigit ex infœlici Civitatis Constantinopolitanæ excidio, postquam omnes Græcæ Literæ librique in Occidentem exules missi, & ex earum æmulatione literæ Latinæ efflorescere cœperunt, & ex iis maximum Juri Civili ornamentum accessit.

XVII. Illo Seculo primus emicuit *Andreas Alciatus* Mediolanensis, cujus Commentarios ex hisce literis, præ prioribus Jurisconsultis multo ornatiores habemus. Post eum statim effulserunt ex singulis nationibus Christianis Jurisconsulti clarissimi (74), ex Italis *Decianus*, *Menochius*, *Pancirollus*; ex Hispanis *Anton. Augustinus*, *Did. Covarruvias*, *Anton. Goveanus*, *Arius Pinellus*; ex Gallis *Budæus*, *Cujacius*, *Duarenus*, *Tiraquellus*, *Contius*, *Hottomannus*, *Balduinus*, *Brissonius*, *Anton.* & *Petr. Faber*; ex Germanis *Zasius*, *Sichardus*, *Viglius*, aliique plurimi, qui deinceps ad exornandum Jus Civile Romanorum tantam literarum omnium cognitionem attulerunt, ut cum omnibus omnium scientia-

rum

(73) *Conr. Rittershus. ad Conc. Raph. Fulgos. in princ.*
(74) *Balduin. in Instit. in proleg. Matthæus. s. de via & rat. Jur. c. 24.*

rum Professoribus sine invidiæ aut arrogantiæ labe possint contendere. Ita denique verum Juris Civilis Romanorum usum & judicium prioribus Italis, Lumen vero, Elegantiam, & Ornamentum, insequentis seculi Interpretibus tribuere debemus: nam vetustiores Juris Interpretes fructus nobis reliquerunt, *Budæus* vero & recentiores magis flores quam fructus attulerunt, ut Itali (75) de se prædicant.

XVIII. His gradibus ascendit Jus Civile Romanorum ad illud gloriæ fastigium, in quo jam positum est, & ad quod nullius unquam gentis Leges pervenerunt. Dicendum jam esset pro instituto meo, quem usum & authoritatem habeat hoc Jus Civile Romanorum in singulis Principum Christianorum Regnis & Dominiis; sed quia ad Jus Civile Romanorum accesserunt Jus Feudorum & Jus Canonicum, illud ex Consuetudinibus Longobardorum, aliarumque nationum ante tempora *Caroli Magni*; hoc vero ex Canonibus Conciliorum, Sententiis Patrum Ecclesiæ, Rescriptisque Romanorum Pontificum compositum, dum Jus Romanorum in tenebris delitesceret; & jam sunt connexa & involuta cum Jure Civili Ronanorum, & cum eo Juris vim habent apud omnes fere populos Christianos; & quia Commentarii etiam & Interpretationes Doctorum ad Jus Civile eximium habent usum in judiciis & usu forensi, tam in Jure Romano interpretando, quam in

(75) *Benevenut. Stracb. tract. de Mercatur. Tit. de contract. Mercat.*

in Decisionibus Causarum, quæ in Jure Civili expressæ decisæ non sunt. De his tribus capitibus aliquid necessario dicendum videtur, atque ita deinceps ad institutum tractatum de usu & authoritate Juris Civilis in Dominiis Principum Christianorum progrediemur. Incipiemus a Jure Feudorum.

C A P. VI.

De Jure Feudorum.

I. DE Feudorum origine non convenit inter Interpretes Juris Romani: aliqui enim Feuda a Romanorum Legibus & Moribus orta fuisse existimant; sed longe plures ea Romanis incognita fuisse, & a Longobardis, dum in Italia dominabantur, cœpisse tradunt.

II. Qui Romanis Feudorum originem tribuunt, memorant illas Clientelas, quæ inter Patronos & Clientes intercesserunt. Nam a tempore *Romuli* Plebeis mos erat eligendi Patritios in Patronos(1) suos, & postea Provinciales & Socii sibi adoptabant Senatores in Patronos; inter quos ea erat necessitudo, ut Patroni Clientum oppressorum Caput & Fortunas tuerentur, Clientesque vicissim Patronos suos omni obsequio colerent & venerarentur; Clientes se dabant in fidem & Clientelam Patronorum, Patroni Clientes in Fidem receperunt, atque inde or-

E tam

(1) *Dionys. Halicarn. lib. 1. Plutar. in Romul. Gell. lib. 5. noct. Attic. c. 13.*

tam esse eam conjunctionem (2) quæ hodie est inter Dominum & Vasallum: alii Stipendia militum, quæ militiæ in Jure Romano (3) appellantur, Feudis similia esse (4) volunt: alii vero Colonos glebæ ascriptitios Vasallis & Feudatariis similes esse (5) opinantur. Sed multo verisimilior est eorum conjectura, qui potius Feuda ab *Alexandro Severo* & *Constantino Magno* cœpisse (6) censuerunt. *Severus* enim donavit *Ducibus* & *Militibus* Limitaneis ea Prædia, quæ ab hostibus capta (7) sunt, ita ut eorum essent si heredes eorum militarent, ardentius militaturi si sua Prædia defenderent; eademque postea *Constantinus Mag.* voluit etiam ad heredem Paganum (8) transire, ut milites suos sibi conciliaret. Hæc vero omnia a Feudis longe absunt, quæ hodie Moribus gentium inducta sunt: cum ea non aliter constituantur quam in re Immobili (9) aut ad eam accedente, cujus Usus seu utile Dominium Clienti tantum conceditur, Proprietas vero & directum Dominium ut remaneat penes Concedentem (10) suosque heredes necesse est; & præter Fidem Patrono a Cliente jurejurando promissam (a qua ille Dominus, hic Fidelis (11) nuncupatur) Domino etiam jurisdictio in Clien-

(2) *Luc. de Penn. in l. quicumque, C. de omn. agr. desert. lib. 11. Budæ. ad L. Herennius, ff. de Evict. Zas. ad l. 2. §. Curias, ff. de Orig. Juris. Schwisbeck. in Tract. feud. p. 1. n. 30.* (3) *L. omnimodam, §. imputari, C. de inoff. testam. L. mortuo, §. 1. ff. de legat. 2.* (4) *Haloand. in Novell. 53. & 56.* (5) *Borcholt. de feud. c. 2. n. 12.* (6) *Lal. Taurell. de Milit. ex casu.* (7) *Lamprid. in Alex.* (8) *Pompon. Læt. lib. 2. hist. Roman. in Constant.* (9) *Tit. de feud. cognit. lib. 2. Eguin. Baro. lib. 1. de Jur. Benefic. Tit. 4. Rosent. in Synops. feud. lib. 1. c. 1. conclus. 61.* (10) *Tit. in quib. Caus. feud. amitt. in fin. Tit. de Controver. inter dom. & fidel. Tit. de form. fidelit. Barod. lib. 1. Tit. 2. Rosenth. d. c. 1. conclus. 6.* (11) *Tit. in quib. Caus. feud. amitt. in princ. Tit. de de form. fidelit.*

Clientem reservata (12) est, si quid contra pacta, conventa, vel leges Feudi commiserit, quorum omnium nulla judicia in Legibus aut Moribus Romanorum reperiri possunt. Et *Carolus Molinæus* (13) profitetur se evolvisse omnes Libros Romanos, eosque qui de Feudis tractant, & ex eorum omnium (paucissimis exceptis) sententia (14), asserit Feuda Juri Romano esse penitus incognita, nullaque eorum vestigia in Jure *Justinianæo* apparere, sed ex Moribus gentium, post Romanum Imperium excussum in Occidente, orta fuisse.

III. A quibus vero gentibus originem habuerunt, disceptatur. Nam pro Gallis acriter contendit *Molinæus* & alii pauci (15) ea a Francorum Regibus manasse, ante Longobardorum dominationem in Italia. Sed reliqui omnes (16) qui de Feudis agunt, ea a Regibus Longobardicis in Italia originem hausisse consentiunt. Eorum enim Reges (17) Ducibus & Militibus suis Civitates, Urbes cum Territoriis, Agros, Prædia donabant, utenda fruendaque, Dominio Supremo & Directo sibi reservato; & hæc precario primum (18) concessa, revocanda cum Domino visum esset, postea per annum, deinde dum vivebat Cliens, posteaque filius quem Dominus eligebat, de-

(12) *Tit. de Controv. feud. apud pares. Tit. de prohib. alien. feud. per Fred. tit. an apud Judic.* (13) *Molinæ. ad Consuet. Paris. tit. des fiefs. n. 5.* (14) *Vide Rosenth. de feud. lib. 1. c. 1. conclus. 7.* (15) *Connan. lib. 2. Comm. Jur. civil. c. 5. Choppin. de Comm. Galli. consuetud. p. 2. §. 4. n. 4.* (16) *Pancirol. in Thesaur. Var. Lect. Jur. lib. 1. cap. 90. Hen. Rosenth. de feud. lib. 1. c. 1. conclus. 7.* (17) *Baro lib. de Jur. benef. tit. 1. Pancirol. in d. Thesaur. lib. 1. c. 9.* (18) *Lib. 1. feud. tit. 1. & tit. de nat. success. feud. tit. si Vasall. feud. pri.*

deinde filii ex æquis portionibus, deinde nepos avo, vel frater fratrisve filius in Feudo paterno, & postremo filii in infinitum in Feudo succedebant, iique omnes ad Feudum vocabantur, prout eos vel pacta conventa inter Dominum & primum Clientem, vel Consuetudines admittebant.

IV. Et licet aliqui *Molinæo* adhærentes(19) afferant, Gallos habuisse usum Feudorum ante Longobardos a primis Regibus suis concessorum, eademque ab *Hugone Capeto* creata fuisse in heredes transitoria, dum Longobardi Italia potiebantur; aliter tamen visum est *Eguinario Baroni* (20), qui probat maximam Consuetudinum partem, & pleraque vocabula, quibus Galli utuntur de Feudis, a Longobardis accepta fuisse. Et constans est omnium Interpretum Sententia (21), Consuetudines Feudorum, quas modo habemus, a Longobardis originem traxisse.

V. Sed cum hæ Consuetudines variæ essent,& in multitudinem excrescerent, atque apud alias gentes receptæ essent, Judicesque in disceptandis Controversiis Fidelitatis & Obsequii a Clientibus Domino præstandi sæpe essent incerti, ut in Consuetudinibus non scriptis evenire solet, *Obertus Ortensius* Mediolanensis (22) sive solus, sive consilio *Gerardi Nigri Capagisti* usus, sub *Frederico Barbarossa* Imperatore

(19) *Connan. d. lib. 2. c. 5, Choppin. d. p. 2. §. 5. n. 5.* (20) *Baro. d. Jur. benefic. lib. 1. in præfat. ad Jo: Bertrand. Franc. Cancell.* (21) *Jas. in prælud feud. n. 33. Lauden. §. fin. de his qui feud. dare poss. Afflict. in prælud. feud. n. 27. Clar. §. feudum, q. 1. Panciról. lib. 1. Var. Lect. Jur. cap. 91.* (22) *Tit. de feud. cogn. lib. 2. ti. de consuet. rect. feud. lib. 2.*

peratore circa *annum* 1152. has Consuetudines in duos Libros de Usibus Feudorum congessit, quibus jam utimur, & uterque erat insignis Jurisconsultus (23) & Advocatus in Curia Mediolanensi, & ex longo Juris & Feudorum usu magnam famam comparaverat. Ad hos usus Feudorum per *Gerardum* compositos accesserunt Constitutiones Imperatorum *Lotharii I. Lotharii II. Henrici IV. Lotharii III. Frederici I.& II.*ex quibus Feuda magnam vim Juris sortiebantur, cum apud subditos Romani Imperii, tum apud exteros eadem ratione, qua Leges Romanas & *Justinianæas* amplectebantur.

VI. Post hos Libros Feudorum in scripta redactos & in usu Judiciorum receptos, quæri cœpit: An usus Feudorum pro Jure scripto, an pro Consuetudinibus & Jure non scripto habendi sint? de quo etiamnum quæri solet. Et communiter receptum est (24) Jus Feudorum habendum potius esse pro Consuetudine quam pro Jure scripto, atque ita Consuetudine contraria posse tolli. Sed cum in scripta redactæ sint, sufficiat eas allegare, nec alia probatione opus habent, atque ita adhuc ab omnibus Usus & Consuetudines (25) Feudorum appellantur.

VII. Hæ vero Consuetudines licet ab *Oberto* viro privato scriptæ sint, ita tamen sunt receptæ ab omnibus fere nationibus Christianis, ut jam inter

(23) *Alvarot. ad Tit. in quib. caus. feud. amitt. v. salutem, n. 1.*
(24) *Jac. de Belvis. c. 1. §. fin. de his qui feud. dar. poss. Clar. § feudum, q. 3. Paris. cons. 13. n. 20. lib. 1. Rosenth. d. lib. 1. c. 1. conclus. 7.* (25) *Molina. ad consuet. Paris. tit. des fiefs. n. 16. Rosenth. d. conclus. 7.*

partes Juris Civilis Romanorum(26) annumerentur, & Libri Feudorum habentur inter (27) Libros Juris Romanorum, & post Novellas *Justiniani* Constitutiones decimam Collationem constituunt. Hos Libros *Fredericus* Imperator misit Bononiam (28) in ea Academia publice legendos; & inde in omnibus Academiis pnblice lecti sunt, & in omnibus Curiis fere Orbis Christiani ad Causas decidendas adhibiti, Romanique deinceps Pontifices eisdem parem authoritatem in foro Ecclesiæ (29) concesserunt. Consuetudinum Feudorum igitur authoritas inducta est a Consensu Imperatorum, Principum & Populorum Christianorum, qui eas in Academiis publice doceri, a Jurisconsultis illustrari Commentariis, & in judiciis, in Controversiis dijudicandis, allegari continuo permiserunt.

VIII. Hinc ab omnibus receptum est, post patrias Leges & Consuetudines teneri(30) omnes Feudorum jure tam Clericos quam Laicos in utroque Foro, & ex eo decidendas esse omnes Controversias non Prædiorum humiliorum tantum, Urbium, Civitatumve; sed & supremarum dignitatum, Comitum, Marchionum, Ducum, & Regum, ubi Regna

(26) *Bald. in prælud. feud. n. 4. & Jas. ibid. Abb. in c. firmiter, in fin. de sum. Trinit. Gothofred. lib. 1. prax. civil. tit. 2. §. de Jur. feud.* (27) *Card. Tusch. conclus. 550. Pancirol. lib. 1. Var. Lect. Jur. c. 90. Math. Steph. in proœm. Novell. n. 56.* (28) *Fr. Crass. de orig. Jur. Mediolan. in præf. Pancirol. d. c. 90.* (29) *Rosenth. d. lib. 1. de feud. c. 1. conclus. 9.* (30) *Alvarott. in proœm. feud. n. 12. Isern. in prælud. feud. qu. 1. n. 26. Maran. p. 3. n. 84. Clar. §. feudum, q. 3. Rebuff. in declar. feud. Gothofred. lib. 1. prax. civil. tit. 2. §. de Jur. feud. Balzaran. in prælud. feud. q. 2. Rosenth. d. conclus. 7. Schrader. cons. 3. n. 112.*

gna (31) in feudum concessa sunt; & licet ex Scriptoribus Gallicis(32) aliqui tradiderint, Jura Feudorum Longobardica in Gallia locum non habere, ubi Feuda patrimonialia facta sunt, & in libera dispositione dominioque Clientum, quæ *Allodia*(33) dicuntur: his tamen adversantur alii eximii Gallorum Jurisconsulti, docentes (34), Jura Feudorum vim Legum habere per omnes Galliæ Provincias, præsertim Provincias Juris Scripti,ubi Consuetudines Locorum non repugnant: nam & in multis Italiæ (35) Provinciis,ut in Dominiis Montisferratensi & Mantuano aliisque, Feuda Longobardica in Patrimonia & Allodia transierunt, quoad alienationem Feudorum Domino non requisito, successionem filiorum, aliaque; quod Consuetudini earum Provinciarum tribuendum est, ex qua rejectis usibus Feudorum in iis Capitulis ad Jus Romanorum redierunt.

IX. Ex hac Juris Feudorum cum Jure Civili Romanorum connexione ortum est, quod ubi Causa decisa est in Jure Feudorum, Jus Romanorum quoad Feuda (36) ei cedat, ubi vero Causa omissa est in Jure Feudorum & certum Jus de ea in Jure Romano est constitutum, ad Jus Romanum est recur-

 rendum,

(31) *Tit. quis dic. Dux. vel March. Afflict. c. in generali, si de feud. fuer. controvers. int. dom. & agnat. Rosenth. de feud. lib. 1. cap. 2. conclus. 2. Balzaran. in prælud. feud. qu. 2.* (32) *Molinæ ad consuet. Paris. tit. des fiefs, n. 104. Guenoys ad consuet. Franc. in addit. ad tit. 1. de feud. Pract. Papiens. in rubr. de success. feud.* (33) *Tit. de allod. lib. 2.* (34 *Baro. lib. 1. de Benefic Jur. tit. 2. Rebuff. in declarat. feud. Choppin. de comm. Gall. consuet. p. 2. §. 4. Fr. de claper in decis. Provinc. cons. 10. qu. 1. Argentræ, in consuet. Britan. tit. des appropiant. art. 277.* (35) *Roland. a Vall. lib. 2. cons. 2. Christinæ. in decis. Belg. 212. vol. 4.* (36) *Bald. ad l. 2. n. 4. C. de suis & Legit. Bocer. tract. feud. cap. 5. n. 29. Gothofr. d. tit. 2. §. de Jur. feud.*

feudum, ficut in ufibus Feudorum (37) eft præfcriptum. Et omnes Interpretes porro tradunt, Juris Feudorum ambigui interpretationem (38) effe petendam a Jure Romano de Ufufructu, Emphyteufi, aliifve quæ ad naturam Feudorum proxime accedunt, & fi quid defit in ufibus Feudorum, ex æquitate Juris Romani fuppleatur. Nimirum ufus Feudorum eft, quod major quatuordecim annis ob non petitam inveftituram infra annum & diem Feudo (39) cadat; Jus Romanum minorem Læfum infra quadriennium (40) in integrum reftituit: ex qua æquitate Jus Feudorum de reftituendo minorem infra decimum nonum ætatis fuæ annum explicabitur. Alius Feudorum ufus eft, quod filius naturalis Legimatus in Feudo paterno (41) non fuccedat; is enim non eft vere, fed ficte Legitimus. Legitimus vero per fubfequens matrimonium Jure Romano eft vere non ficte Legitimus, & ita in Feudo paterno fuccedit. Inde etiam pro Regula traditum eft (42) Jura Feudorum a Jure Civili interpretationem paffivam recipere, idque apud Germanos in Camera Imperiali (43) obfervatum eft. Ex eadem ratione receptum eft, quod Argumentum a Contrario fenfu non valet in ufibus (44) Feudorum, quia illud argumentum

(37) *Tit. de feud. cogn. lib. 2. Card. Tufch. conclus. 590. Chriftinæ. d. decif. 212. n. 77. Gothofr. d. § de Jur. feud. Rofenth. d. lib. 1. c. 1. conclus. 590.*
(38) *Everard. in loc. à feud. ad emphytheuf. Card. Tufch. d. conclus. 590. Gothofr. d. tit. 2. § de Jur. feud.* (39) *Tit. de probib. feud. alien. per Fred. in princ. Tit. de controverf. feud. apud pares.* (40) *L. fin. C. de temp. in integr. reftit.* (41) *Tit fi de feud. defunct. § naturales.* (42) *Rofenth. de feud. lib. 1. c. 1. conclus. 15.* (43) *Rofenth. d. conclus. 15.*
(44) *Gothofr. in d. lib. 1. tit. 2. § de Jur. feud.*

gumentum non eſt expreſſa deciſio ſed conjectura, atque ita potius petenda eſt Cauſæ deciſio a Jure Romano, ubi in eo Jure expreſſa reperitur.

X. Sunt tamen qui docent, deficiente Jure Feudorum recurrendum eſſe ad Jus Canonicum (45) ubi cauſa eo Jure deciſa eſt, idque ratione juramenti quo Cliens Domino Fidelitatem & Obſequium promittit, nam & alias Cauſas omnes, in quibus juramentum intervenit (46), in foro Eccleſiæ dijudicandas eſſe: illud tamen ab Interpretibus Juris Romani non recipitur; tantum concedunt, deficiente Jure Feudorum, in foro Eccleſiaſtico ad Jus Canonicum, in foro vero Civili ad Jus Romanum recurrendum (47) eſſe, cum Romani Pontifices Jus Feudorum Longobardicum ſæpe in Jure Canonico laudent & approbent (48), & de Feudis ſuas etiam Conſtitutiones (49) adjecerint.

XI. De Libris & Interpretibus Juris Feudorum dicendum ſupereſt: dubitavit enim *Hoſtienſis* (50) aliique de fide librorum, quod eſſent ſcripti a privato, & ſpeciales locorum Conſuetudines continerent, & tanta iis authoritas ex curſu temporis ætate *Hoſtienſis* non acceſſerat. Jam vero cum diuturno tempore non modo Imperatores & Principes, ſed & Populi Chriſtiani fere omnes eas admiſerint in Acade-

miis

(45) *Card. Tuſch. concluſ. 590. n. 6.* (46) *Bald. in c. Imperialem, §. fin. n. 13. de probib. feud. alien. per Freder. Gothofr. d. tit. 2. § de Jur. feud.* (47) *Socin. conſ. 252. n. 1. vol. 2. Panor. conſ. 82. vol. 1. Index ad Conſil. Alb. Brun. v. feudalis quæſtio.* (48) *C. ceterum, de judic. c. ex tranſmiſſa, c. verum, de for. compet. clem. paſtoralis, de re judic.* (49) *Tit. de feudis. Extra.* (50) *Hoſtienſ. in ſum. tit. de feud.*

miis & judiciis, vim Legis habere cœperunt ut Consuetudines generales; & Romani etiam Pontifices eas approbaverint; atque ideo eos esse Authenticos (51), in Academiis doceri, & in Judiciis allegari posse, omnes consentiunt.

XII. De numero Librorum tantum est controversum: vulgo habemus duos tantum Libros cum jure *Justinianæo* connexos, glossis illustratos in Academiis & judiciis receptos. Præter hos *Hottomannus* (52) obtrudit unum, *Cujacius* (53) tres alios, de quibus vere prædixit *Jason* (54), quod libros illos mutare esset confundere glossas utriusque Juris & utriusque censuræ Doctores, qui libros illos allegant uti jam habemus, eosque solos esse authenticos (55) omnes tradunt, eosque me sequi necesse est, cum agam de eo Jure Civili Romanorum, quod usu gentium Christianorum est admissum, sepositis hisce novis Libris, donec parem authoritatem ex usu & consensu gentium assecuti fuerint.

XIII. Horum Librorum Authoritatem augent egregii illi Jurisconsulti (56) qui ad eos Glossas, Commentarios, & Tractatus scripserint. Glossas in feuda scripserunt *Bulgarus*, *Pyleus*, *Ugolinus*, *Vincentius*, *Jac. Goffredus*, aliique; sed *Jac. Columbinus* eorum ul-

(51) *Isern. in prælud. feud. qu. 1. n. 24. Curt. Jun. tract. feudor. qu. 1. Clar. §. feudum, qu. 3. Gothofr. d. tit. 2. de Jur. feudor. Schrader. consf. 3. n. 111.* (52) *Hottom. in comment. feud. in princ.* (53) *Cujac. in comment. ad lib. feudor. post. tit. 58. lib. 2.* (54) *Jason. in prælud. feud. Alber. Gentil. de libr. Jur. civil. cap. 8.* (55) *Math. Stephan. in proœm. Novell. n. 56. Gothofred. d. tit. 2. §. de Jur. feud. Gentil. d. c. 8.*
(56) *Forster. & Fichard. de vitis Jurisconsult. Panciroll. d. lib. 1. Var. Lect. Jur. c. 90.*

ultimus omnes superavit, & post eum, ait *Jason*(57), nemo glossas in Feuda scribere tentavit. Alii summas & Tractatus de Feudis composuerunt, *Odofredus*, *Jac. de Arena*, *Hostiensis*, *Jac. Ardizoni*, *Zasius*, *Rebuffus*, *Hannetonius*, *Henr. Rosenthall*, aliique qui omnem Feudorum Scientiam amplissime tradiderunt. Commentarios in Feuda scripserunt, *Jac.* de *Belvisio*, *Andr. de Isernia*, *Baldus*, *Jac. Alvarottus*, *Math. de Afflictis*, *Fr. Curtius*, *Jac. Cujacius*, aliique, in quibus eminet *Cujacii* Elegantia & Literarum Splendor; authoritas & judicium *Jac.* de *Belvis.* & *Baldi*, quorum ille octies (58) se legisse Libros Feudorum *Papiæ* testatur; *Baldus* vero Commentarios suos scripsit postquam Jus Civile per quadraginta septem annos professus insignem famam acquisiverat. Et inter hos omnes e Glossographis *Jacobo Columbino*, e Summistis *Jacobo Ardizoni*, e Commentariis *Jacobo de Belviso* primus locus ab omnibus conceditur. Ex his constat quomodo Usus Feudorum accesserit ad Jus Civile Romanorum. In sequenti Capite agendum est de Jure Canonico.

Cap. VII.

(57) *Jason. in præl. feud.* (58) *Bald. in præl. feud. n. 4.*

C A P. VII.

De Jure Canonico.

I. Jus Canonicum ex ruina Imperii Romani & potentia Romanorum Pontificum ortum est. Post translatam Imperii Sedem Roma Constantinopolin, per *Constantinum Magnum*, cœperunt pleræque nationes Europææ ab Imperio deficere, & ante *Justinianum* Galli, Hispani, Germani, & mox post ejus mortem, Itali Imperii jugum excusserunt; nam Gallia Regibus Francicis, Hispania Gothicis, Italia Longobardicis, Germania variis Principibus paruit. In iis Seculis non erat aliud parendi dominandive Jus, quam Armorum potentia, crassa literarum omnium ignorantia, Leges omnes barbaræ, Gothicæ, Francicæ, Lombardicæve, sepultis jam Legibus Romanis, Rerum omnium Morumque confusio. Interea vero tantus erat in iis Populis Religionis Christianæ ardor, ut Episcopos Clericosque venerarentur, & Romani Pontificis Mandatis fere omnes ultro se submitterent, eorumque pietatis amplissima, sunt testimonia Ecclesiæ, Collegia Sacra, Monasteria splendida magnificave iis Seculis erecta, quibus reliquæ Nationes Christianæ adhuc gaudent: Nos vero tristi eorum desiderio tenemur.

II. Ex hac pietate Principes Populique Sacrorum Canones Conciliorum, Sanctorum Patrum Scripta & Sententias, Decreta & Constitutiones Ro-

Romanorum Pontificum avide amplectebantur, quæ a viris doctis profectæ inter Leges earum gentium rudes & impolitas eminebant, libentiusque Leges Sacras Ecclesiæ quam suas observabant. De Canonibus Conciliorum sancitum est a *Justiniano* (1), quatuor Conciliorum Niceni, Constantinopolitani, Ephesini primi, Chalcedonensis Decreta ut Sacras Scripturas, Canones ut Leges esse habendos. Quæ ad Fidem spectant, Decreta seu Dogmata, quæ ad Mores & disciplinam, Canones appellantur. Post *Justinianum* crevit authoritas Canonum in Conciliis Generalibus seu Provincialibus editorum, & Scriptorum Patrum Ecclesiæ; postea que Controversiarum Ecclesiasticarum Decisio, quæ a Conciliis & Patribus hauriri non potuit, a Romanis Pontificibus quærebatur, qui ad Consultationes More Imperatorum rescribebant, eorumque determinationes Rescripta & Decretales Epistolæ vocabantur, & Legum vim habebant. Ita per aliquot secula Jus dictum est in foro Ecclesiæ, nullumque Jus Ecclesiasticum certum & in Scripta redactum fuit, usque ad *Lotharium* Imperatorem, sub quo Pandectæ Juris Romani a Pisanis acquisitæ sunt, quæ omnes viros doctos adeo excitarunt, ut statim in Legibus Romanis explicandis, & in Jure Canonico componendo pari contentione & industria certatum sit.

III. Circa *Annum MCLVII.* sub *Eugenio III.* *Gratianus* Monachus Bononiensis, Juris valde peritus,

(1) *Novell. 131. de Eccl. Can. in prin.*

tus, composuit librum Decreti (2) præsertim ex Canonibus Conciliorum, Scriptis Patrum Latinorum Græcorumque, & Constitutionibus Pontificum, quas vel soli, vel cum consilio Cardinalium edebant, quibus & aliquas Leges *Cæsareas* adjiciebat; & præter hæc ipse Rubricas addidit, multaque dicta sua interseruit. Horum omnium Authoritas adhuc controversa est, cum *Gratianus* sæpe errare deprehendatur, in recitandis Canonibus Conciliorum, dictis Patrum, & Pontificum Constitutionibus; aliterque se habere plurima reperiuntur in ipsis fontibus, e quibus *Gratianus* hæc desumpsit. De Rubricarum vero fide & dictorum *Gratiani* omnes derogant, quod *Gratianus* homo privatus Legis ferendæ potestatem habere non potuit. De Rubricis & dictis ipsius *Gratiani* non aliter judicant Interpretes, quam de unius Doctoris & Magistri Sententia, ideoque in his sæpe dissentiunt a *Gratiano*, & profitentur (3) *Gratianum* errasse, eique Juris interpretandi tantum, non condendi potestatem tribuunt. Præterea aliqua sunt in Decreto, quæ Paleæ dicuntur, nullamque Juris authoritatem habent, sive fuerint ipsius *Gratiani* sive alterius; de quo varia tradunt Interpretes, easque paulatim irrepsisse in Codicem Decreti, & paucissimas in Libris antiquioribus reperiri.

IV. De Canonibus vero Conciliorum, dictis Patrum, & Constitutionibus Pontificum in Decreto, li-

(2) *Gl. ad c. past. appellationem 2. qu. 6. Felin. in c. 1. n. 43. de rescript. Coras. de paraph. Sacerd. p. 4. c. 5. n. 1.* (3) *Gl. ad c. Paulum 7. q. 3. Jo: Andr. ad c. 2. de rescript. Alber. Gentil. de libr. Jur. Can. cap. 2.*

licet negari non possit sæpe errasse Gratianum in iis conscribendis, multaque ex Libris incertis & suppositititiis interuisse, in iis tamen explicandis, restituendis & corrigendis insigniter laborarunt *Did. Covarruvias* (5), *Ant. Contius* (6) & præ aliis omnibus *Ant. Augustinus* (7) Episcopus Ilerdensis, vir ad miraculum doctus, cui Jus utrumque Civile & Canonicum suam puritatem & nitorem præsertim debet. De his vero alii accurate (8) tradunt, mihi tantum dicendum est de authoritate Decreti in Academiis Judiciisque, de quo adhuc contenditur. De *Trithemii* (9) fide dubitatur, asserentis Librum Decreti fuisse approbatum per *Eugenium III.* cum de approbatione non constet: eum tamen esse approbatum ex usu & Consuetudine communiter Interpretes (10) asserunt (sepositis dictis *Gratiani* & *Rubricis*) cum in Academiis publice legatur, & in Curiis omnium fere Nationum Christianarum recipiatur, præsertim post *Gregorium XIII.* Pontificem Rom. qui viros doctissimos adhibuit ad Decretum emendandum, idemque cum reliquis Juris Canonici Libris (11) approbavit. Decretumque *Gratiani* plurimi laudant, quod maximam utilitatem (12) Juris humani divinique Professoribus attulerit, & quod abundet aureis Sen-

(4) *Felin. in c. ex parte de rescript. Curt. de feud. qu. 1. Maran. p. 3. c. 36. Alciat. 12. Parerg. c. 3. Mart. de Jurisd. p. 1. c. 30.* (5) *Covarr. lib. 4. var. resol. cap. 11.* (6) *Cont. in præfat. Decretal.* (7) *Ant. Augustin. in lib. de emendat. Gratian.* (8) *Alb. Gentil. de libr. Jur. Canon. c. 2.* (9) *Trithem. de scriptor. Eccles. in vit. Gratian.* (10) *Alb. ad c. 2. & ibid. Felin. n. 49. de rescript. Maran. dist. 3. n. 24.* (11) *Card. Tusc. conclus. 170. v. Jus Canonicum, n. 2.* (12) *Covarr. d. lib. 4. var. resolut. c. 11.*

Sententiis Patrum & Conciliorum (13), quæ antiquam Religionis Ecclesiasticæ Disciplinam renovarunt.

V. Illud tantum addendum est, ante *Gratianum* Libros Decretorum compositos fuisse per *Burchardum* Episcopum Wormatiensem, & *Ivonem* Episcopum Caruntensem. Sed ii privatim scripti nullam unquam vim Legum habuerunt, & post *Gratianum* neglecti sunt. Superest altera pars Juris Canonici ex Rescriptis & Constitutionibus Romanorum Pontificum, & aliquibus Canonibus Conciliorum petita, quam habemus in Libris quinque Decretalium, in Sexto, in Clementinis, & in Extravagantibus, quæ certissimum Jus Canonicum constituunt, in qua interpretanda Jurisconsulti maxime desudarunt.

VI. Post *Gratianum* prima Collectio Decretalium facta est a Bernardo Præposito Papiensi sub (14) *Alexandro III.* Constitutionum earum, quæ post *Gratianum* editæ sunt, & ex Conciliis & Patribus a *Gratiano* omissis. Secunda Collectio a *Joanne* Vallensi (15) sub *Alexandro IV.* ex duabus compilationibus *Gilberti* & *Alani* facta. Tertia Collectio sub *Innocentio III.* a *Petro Beneventano* Notario suo, jussu (16) Pontificis facta, Quarta Collectio *Innocentii III.* (17) ex Canonibus generalibus Concilii Lateranensis & Constitutionibus suis, Quinta Collectio

(13) *Duaren. de sacr. Eccles. minister. in præfat. Math. Stephan. lib. 3. de Jurisd. in præfat.* (14) *Ant. Augustin. in antiq. collect. Decretal. ad præfat.* (15) *Jo: Andr. in addit. ad Specul. in proœm.* (16) *Cujac. ad c. 24. de sponsal. gl. ad c. 18. de præbend. v. confirmatum.* (17) *Jo: Andr. ad c. 25. de verb. sign.*

ctio *Honorii III.* continebat Constitutiones suas (18) quæ tamen edita non fuit; eamque *Ant. Augustinus* omisit, cum ederet quatuor primas Collectiones Decretalium: hanc vero quintam Collectionem in Bibliotheca Albiensi repertam nuper edidit *Innocentius Cironius* (19) Academiæ *Tholosanæ Cancellarius*, & Glossas adjecit doctissimas, in quibus explicat ea quæ ad Juris Cognitionem & Temporum Historiam pertinent, quæ a prioribus glossarum Scriptoribus omissa fuerant. Nam ad priores quatuor Collectiones *Vincentius, Alanus, Tancredus, Laurentius, Rogerius, Jo: Teutonicus*, aliique glossas antea scripserant. Sexta fuit (qua jam utimur) *Gregorii* IX. facta a *Raymundo* de Pennaforti, Capellano suo, ipsius Jussu, ex omnibus Constitutionibus, quæ erant in prioribus Collectionibus, vel ex iis omissæ, & fuit scripta (20) anno M.CC.XXX. in eaque multas inseruit *Gregorius* Constitutiones suas ex Jure civili a Litigantibus non consultas, ideoque ipsius Constitutiones nemini directæ (21) sæpe conspiciuntur. Et licet *Gregorius* profiteatur (22) se multa inutilia resecuisse, de eo tamen sæpe queruntur Interpretes, quod multa utilia detraxerit, aliaque obscura addiderit; eaque de causa priores Collectiones sæpe esse consulendas; id quod *Ant. Contius* & *Fr. Pegna* (23) præstiterunt. Quarum omnium Collectio-

F num

(18) *Cont. in præfat. Decretal.* (19) *Ciron. in edit. 5. Collect. Decretal. Tholos. ann. 1645.* (20) *Matth. Paris. in Henr. III.* (21) *Cujac. ad cap. ult. de sentent. & re jud.* (22) *§. pen. in proœm. Decretal.* (23) *Ant. Augustin. lib. 1. emendat. Gratian. c. 20. Innoc. in præfat. Decretal.*

num enumeratio hanc utilitatem affert, quod Decretales *Gregorii* sæpe nimis breves sint, sæpe obscuræ, & sine inspectione antiquarum Decretalium vix possint (24) intelligi.

VII. Post *Gregorium IX. Bonifacius VIII.* opera (25) *Gulielmi* Archiepiscopi Ebredunensis, *Berengarii* Episcopi Biterrensis, & *Richardi* de Senis Vice-Cancellarii Ecclesiæ Romanæ anno M.CC. XCVII. præsertim ex Constitutionibus *Innocentii* IV. *Gregorii* X. & suis, composuit Sextum, in quo multa etiam a *Gregorio* IX. ambigue posita declaravit; posteaque *Clemens* V. Constitutiones suas & Canones Concilii Viennensis composuit, quas *Clementinas* appellavit, eoque mortuo *Johannes* ejus Successor(26)publicavit M.CCC.XVII.quibus mox accesserunt Constitutiones Extravagantes (27) & Communes a Joanne XXII. aliisque Pontificibus editæ, eandemque vim Legis habent.

VIII. Ita jam Pontifices Romani idem præstiterunt in Ecclesia, quod *Justinianus* in Imperio Romano. Decretum *Gratiani* componi curarunt ad modum Pandectarum, Decretales Epistolas instar Codicis, Sextum, Clementinas, & Extravagantes, ut *Justinianus* suas *Novellas*(28): & ne quid deesset, *Paulus Quartus* Institutiones Juris Canonici per *Paulum Lancellottum* scribi jussit (29) anno M. D.LXXX.

eæ-

(24) *Cujac. ad c.13. & 15. de re judic. & ad c.46. de testib. Ant. Augustin. ad c.16. de Sponsal. Gentil. de libr. Jur. Canon. c.3.* (25) *§. Nos ad apicem. in proœm.6.* (26) *Martin. Polon. in Clem.5. Gl. in proœm. Clementin.* (27) *Fr. de Pavin. in præfat. Extravag.* (28) *Vultc. in Jurisprud. Roman. in proleg.* (29) *Lancellot. in Instit. Jur. Canon. in princ.*

eædemque Corpori Juris Canonici, Romæ impressæ, sub *Gregorio XIII.* additæ sunt.

IX. Jure Canonico ita constituto, ut ad Jus Civile ita ad Canonicum interpretandum concurrunt Doctores (30) vix numero, scientia, aut authoritate inferiores. Decretum *Gratiani* Glossis, & Commentariis illustrarunt *Joannes Seneca* dictus *Teutonicus*, *Bartholomæus Brixiensis*, *Guido de Bajiso*, *Archidiaconus Bononiensis*, *Joannes de Turrecremata*, *Joannes de S.Georgio*, *Præpositus Alexandrinus*. Ad Decretales vero, *Sextum*, & *Clementinas* interpretandas, longe plures accesserunt. *Innocentius* postea *Pontifex Rom.* *Hostiensis Cardinalis*, *Joannes Andreas*, *Jo:Calderinus*, *Jo:Monachus Cardinalis*, *Paulus de Eleazaris*, *Lapus*, *Baldus Perusinus*, *Petrus Ancharanus*, *Ant. de Butrio*, *Card. Zabarella*, *Jo:de Imola*, *Geminianus*, *Abbas Panormitanus*, *Jo:de Anania*, *Fr.Aretinus*, *Felinus*, *Phil. Decius*, *Jo:Fr.Ripa*, *Andr.Alciatus*, *August. Berojus*, *Covarruvias*, *Ant.Augustinus*, *Jac. Cujacius*, aliique; e quibus priores judicio & industria, posteriores acumine & Literarum omnium Scientia, Jus Canonicum illustre reddiderunt.

X. His modis Jus Canonicum in omnibus Nationum Christianarum Academiis & Curiis admissum est, tantamque postea apud omnes authoritatem habuit, ut deinceps non esset contentionis locus inter Jus Civile Romanorum, & Jus Canoni-

 cum;

(30) *Valent. Forster. & Fichard. de Vit. Jurisconsult.*

cum; sed utrinque concurrerent, & in multis alterutrum alteri cederet, & sese mutuo ornarent & amplecterentur. Ut enim Leges non dedignantur imitari Sacros (31) Canones; ita Canones Juris Civilis authoritatem (32) æquitatemque imitantur, & alterutrum ab altero (33) invicem ornatur.

XI. Hinc ab utriusque Juris Interpretibus hæ Regulæ approbatæ sunt. Si Casus occurrit, qui in Jure Civili non est omnino decisus, vel non expresse, sed ambigue vel obscure positus, idemque in Jure Canonico clare & aperte decisus est, ejus dijudicatio petenda est in utroque foro ex Jure Canonico. Et e diverso Causa decidenda est in utroque foro ex Jure Civili, ubi in Jure Canonico vel nullum Jus, vel ambigue & obscure (34) constitutum est. Si in aliquo Casu Jus Civile & Canonicum inter se pugnant & contraria sunt, utrumque in suo foro (35), hoc in Ecclesiastico, illud in Civili, hoc etiam in Dominiis Ecclesiæ, illud in Dominiis Imperatorum & Principum est observandum.

XII. Illud vero ab omnibus fidei & Religioni Christianæ tributum est, quod quotiescunque in utro-

(31) *Authent. ut Clerici apud propr. Episc. in fin.* (32) *C. si in adjutorium &c. sequ. dist. 10. c. propter, c. biduum 2. qu. 6. c. quo jure dist. 8.* (33) *Bald. ad Rubric. Decretal. n. 6. Matth. Stephan. de jurisd. lib. 3. in præfat.* (34) *C. 1. & ibi Dd. de nov. oper. nunciat. Abb. ad c. licet n. 14. de for. compet. Bero. ad c. de causis, de Offic. deleg. Maran. in pract. par. 3. n. 73. Rebuff. ad Constit. Reg. in proœm. gl. 5. n. 126. Gabriel. cons. 4. n. 59. Petr. Monet. de Commutat. ult. Volunt. c. 8. n. 555. Paul. Christin. decis. Belg. 54. n. 1. Tom. 2. Morl. in quæst. forens. par. 1. Tit. 1. n. 10.* (35) *Jo: Ancr. ad c. 1. n. 5. de nov. oper. nunciat. Decian. lib. 2. Tract. crim. c. 18. Cephal. cons. 580. n. 6. vol. 4. Farinac. tit. 2. Decis. crimin. decis. 27. n. 5. Azogud. l. 2. com. Opin. c. 3. n. 7. Card. Tusch. conclus. 177. n. 36.*

utrovis foro, in causa aliqua de æternæ salutis periculo versari contigerit, vel unde peccatum induci possit, Jus Civile ultro cedit, & Causæ dijudicatio ex Jure Canonico (36) petenda est; atque inde in Præscriptione contra Juris Civilis regulas receptum est ex Jure Canonico etiam in foro Civili, quod malæ fidei possessor nunquam præscribat (37). Et ubi de Usuris agitur in foro Civili, causæ Jure Canonico (38) sunt decidendæ. Hinc etiam quoties agitur de Matrimonio, Judices in causis definiendis Jus Canonicum sequi debent, eaque ratione valuit Sententia (39) quod nuptiæ sine parentum consensu licitæ habeantur. Hinc etiam si mulier rapta cum raptore nuptias contrahat, vel si marito mortuo uxor superstes infra annum luctus secundo nubat, & de pœnis agatur Jure Civili impositis in foro Civili, Jus Canonicum (40) sequendum est, quod has pœnas sustulit. Et hinc porro est, quod Jus Canonicum prævaleat, ubicunque de æquitate (41) agitur; quotiesque Jus Civile & Canonicum inter se pugnant, pro pœna evitanda benignior (42) Sententia ex Jure Canonico sequenda est.

XIII. De cetero, ubi Jus Civile Juri Canonico

 non

(36) *Jo: Andr. ad c. 1. num. 5. de nov. oper. nunciat. Ferrell. in l. si unus, §. pactus, ff. de Pact. num. 8. Azeved. ad Constit. Reg. lib. 2. tit. 1. num. 17. Bertrand. cons. 12. vol. 2. par. 2. num. 10. Card. Tusch. conclus. 579. v. Jus Canonicum, num. 4. Math. Steph. de offic. Jud. lib. 6. c. 1. num. 18.*
(37) *C. fin. de præscript. c. possessor. 2. de reg. Jur. in 6.* (38) *Card. Tusch. conclus. 277. v. Lex civilis num. 43.* (39) *Card. Tusch. d. concl 277. num. 38.* (40) *Covarr. de matrimon. par. 2. c. 3. §. 9. num. 1. & 6. Caball. cons. 169. num. 19. Card. Seraphin. decis. 487. n. 3.* (41) *Maran. p. 3. n. 76. Card. Tusch. conclus. 579. v. Jus Canonicum, n. 19.* (42) *Flores. Diez. de Mena. pract. quæst. lib. 1. q. 2. num. 4. Bertazol. lib. 2. cons. 281. num. 4.*

non eſt contrarium, intelligitur Jus Civile a Canonico (43) approbatum; & a Jure Civili non eſt diſcedendum, niſi adſit expreſſa Juris Canonici Deciſio, ſed cum Jure Civili intelligitur conſenſiſſe. Unde ab Interpretibus utriuſque Juris traditum eſt, Jus Civile & Canonicum in unam(44) ſocietatem & conſonantiam coiiſſe; eaque ita eſſe inter ſe revincta & cognata (45), ut alterum ſine altero conſiſtere non poſſit, & communi vinculo ſe mutuo(46) complectantur. Cohærere certe debet Jus Canonicum Cæſareis Legibus, a quibus originem accepit, & ad quarum normam conditum eſt; ac quodcunque præclarum eſt in Jure Canonico, a Jure Civili (47) promanaſſe negari non poteſt, ideoque Jus Canonicum fundatum eſſe in terminis Juris (48) Civilis: magnamque partem Juris Canonici in Decretalibus ex Interpretibus Juris Civilis deſumtam eſſe, aliqui(49) tradunt.

XIV. In eo vero reprehendunt (50) alii Jus Canonicum & Pontifices Romanos, qui forſan nimio vel ſuæ dominationis amplificandæ, vel Leges Imperatorum imitandi ſtudio, Conſtitutiones ſuas in rebus tam Profanis quam Eccleſiaſticis ediderunt. Illud primus incepit *Alexander III.* Juris Civilis peritiſſimus,

(43) *Ferrel.ad L.filium, num.24.C.fam.berciſ.Morl.in Empor.quæſt.for.par.3.tit.2.q.2.n.10.Joſ.de Seſſ.deciſ.Regn.Arragon.96.n.18 Card.Tuſcb.concluſ.582. v.Jus civile, n.3. Scbrader.conſ.3.n.218.* (44) *Vaſq.lib.2.controverſ.illuſtr.c.88.num.28. Farinac.lib.2.conſ.100.num.36.* (45) *Cujac. in lib.4. Decret. in præfat. Canis. in ſum. Jur. Canon. in refut. tract.3.* (46) *Rebuff. in tract. Nominat. qu.5.n.14.* 47) *Cujac. ad c.15. de ſent. & re judic. Gentil. de nupt. lib.1. c.18.* (4d) *Beroi. ad rubric. de conſtitut. n.13.* (49) *Cont. lib.1. diſput. Jur. civil. cap 3.* (50) *Guid. Coquill. in comm. ad conſuet. Nivernen. in præfat. Paurmeiſter. lib.2. de Juriſd. Imper. Rom. c.3.*

ritiſſimus, quod ante Pontificatum Bononiæ profeſſus (51) fuerat, & cauſas in foro Eccleſiaſtico ſecundum formam Juris Romani tractari juſſit; cumque imitati ſequentes Pontifices *Innocentius III. Honorius III. Gregorius IX. Bonifacius VIII. Clemens V.* aliique plures; condiderunt tam Conſtitutiones in Jure Canonico de Judiciorum regulis & cauſis Civilibus, quam de vita moribuſque Clericorum; & in judicandis omnibus cauſis e dominiis Principum Chriſtianorum, non modo per Appellationem, ſed & in prima Inſtantia, ſeſe intromiſerunt; quæ tamen omnia tanta cum prudentia, juſtitia, æquitateque præſtiterunt, ut Principes Populique Chriſtiani plurimi, qui cum Pontificibus de poteſtate contenderent, eorum Conſtitutiones, Judicia, & Deciſiones admitterent.

XV. Hinc pleræque gentes Chriſtianæ cum accepiſſent Jus Civile Romanorum, pari voluntate Juri Canonico ſe ſubmiſerunt. Galli, deficientibus legibus & conſuetudinibus propriis, ex Jure Canonico cauſas dijudicari in Curiis ſuis (52) patiuntur, rejecto tantum Libro Sexto (53) Decretalium, quem ſive ob graves inimicitias inter *Bonifacium VIII.* ejus Authorem, & *Philippum Pulchrum* Regem ſuum, ſive ob eam cauſam, quod multa Jura Regni & Eccleſiæ ſuæ imminueret, Galli nunquam receperunt;

 alio-

(51) *Gl. ad c. poſt appellationem 2. qu. 6. v. 1161.* (52) *Eguin. Baro. ad l. nonnumquam 11. ff. de Juſt. & Jur. Rebuff. ad Conſtit. Reg. in proœm. gl. 5. n. 126.* (53) *Paul. Æmil. de reb. geſt. Franc. lib. 8. Gl. ad c. 16. de elect. in 6. Molinæ. in comm. ad edict. Henr. II. con. parv. dat. gl. 15. n. 1209. Duaren. de ſacr. Eccleſ. miniſter. in præfat.*

alioquin vero universum Jus Canonicum publice docetur in omnibus Academiis(54) Galliæ, ubi Juris Studia instituta sunt. Hispani pariter deficiente Jure suo Regio, ad Jus Canonicum(55) recurrunt, & ex eo causæ in Judiciis eorum deciduntur. Hungari(56) porro & Dani (57), aliique (58) Leges suas magna ex parte a Jure Canonico desumtas esse profitentur. Et Jus Canonicum apud Nos receptum fuisse (59) satis constat, cum maxima pars Constitutionum Decretalium in Jure Canonico a Pontificibus Romanis ad Nos de controversiis Anglicanis transmissa reperiatur.

XVI. Illud porro in Juris Canonici laudibus eximium est, quod Principes Protestantes Germanici, aliique, postquam ab Ecclesia Romana secesserant, *Lutheri* & *Calvini* doctrinam amplexi, omnemque Pontificis Romani potestatem abdicassent, Jus tamen Canonicum non excusserunt, sed eo in causis suis decidendis etiamnum (60) utuntur: eodem plane modo sicut Principes Europæi, postquam renunciaverant *Cæsarum* potestati, Leges tamen *Cæsareas* adhuc observant. Et licet *Martinus Lutherus*

rus

(54) *Bouchell. in Decret. Eccles. Gallic. lib. 5 tit. 14. cap. 36.* (55) *Azeved. ad Constit. Reg. Hispan. lib. 1. tit. 1. n. 18. Amad. Rodrigu. de process. in caus. civil. cap. 10. n. 26. Flores Diez de Mena. pract. quæst. lib. 1. qu. 2. n. 4. Jos. de Sess. in decis. Regn. Aragon. 91. n. 9. Vasq. lib. 3. de success. creat. § 26. limit. 31. n. 70.* (56) *Steph. de Werbenz. de Jur. Hungar. par. 2. tit. 6.* (57) *Georg. Lorich. in Enchird. arrest. in addit. ad cons. posterius, num. 52.* (58) *Cothman. resp. 4. num. 52. & resp. 30. num. 70. vol. 1.* (59) *Cujac. ad c. 9. & c. 38. de appellat. & ad c. de illis 6. de despons. impub. Gentil. l. 1. de nupt. c. 19.* (60) *Gœdd. de contrah. & comm. stipul. c. 6. conclus. 7. n. 108. Besold. dissert. de libr. Jur. cap. 8. Math. Steph. de Juris. lib. 3. p. 3. in præfat. & disp. 1. vol. 1.*

rui (61) zelo præpropero & inconfulto ductus Juris Canonici Libros repugnantibus Jurifconfultis Wittebergæ combufferat, Juris tamen Canonici ufum ab eo tempore Saxonei(62), Brunfvicenfei(63) ceterique Proteftantes femper confervarunt, nulla in eo mutatione admiffa, ficut in Auguftana (64) Confeffione confenferunt, Jufque Canonicum Wittebergæ (65) & in reliquis Proteftantium (66) Academiis adhuc publice docetur.

XVII. Mutationes quidem in Articulis fidei & religionis admitti poffunt, fi ex Sacris Literis approbentur, quæ funt fidei & religionis norma, a quibus omnis deviatio ftatim rejicienda eft; quanquam & in mutatione Cultus Divini moneat *Natalis Comes*(67) eos, qui univerfam Religionem etiam Populi victi uno tempore mutare conantur, per fuas calamitates fæpe experiri, quam fit periculofum repentina quæque Dei cultus everfio. Mutationum vero in Legibus & Rebufpublicis alia eft ratio; illæ enim non aliter quam Ufu longævo conftituuntur, Legumque juftarum & prudentium Latio non eft paucorum hominum aut unius feculi, fed diuturnitate & ufu utiles inutilefve deprehenduntur, authoritatemque acquirunt: ideoque Ufum optimum Legum Cenforem & Correctorem appellat (68) *T. Livius*,

(61) *Melch. Adam. in vit. Luther. Befold. differt. de libr. Jur. c.7.*
(62) *Carpzov. in Jurifprud. Rom. Saxon. p.1. conftit. 21. definit. 3. & v.4. conft. 20. definit. 16.* (63) *Dauth. in comm. de teftam. §. qui teftam. fac. poffunum. 170. & in proleg.* (64) *Auguftan. confeff. art. 16.* (62) *Math. Coler. de proceff. executiv. p.1. in præfat.* (66) *Befold. in d. differt. cap. 8. Cothman. refp. 30. vol. 1. n. 76.* (67) *Natal. com. biftor. lib. 3.*
(68) *Liv. lib. 45.*

vius; Legumque patriarum mutationem adeo perniciosam esse existimavit *Aristoteles*(69), ut cum minore periculo tolerandas inutiles, quam utiliores melioresque admittendas esse tradiderit; mutationesque Legum generales, sine totius Reipublicæ ruina & confusione raro factæ sint.

XVIII. Ita Jus Canonicum omnes Principes Populique Christiani sine religionis discrimine admiserunt & retinent. In solis Judæis dispar est ratio: illi enim inter Christianos degentes Juri Civili Romanorum subditi (70) sunt, sed Jure Canonico non (71) tenentur, cum sint extra Ecclesiam, & animarum eorum Ecclesia curam non habeat.

XIX. Denique Juris Canonici non Utilitas modo, sed Necessitas etiam ab omnibus nationibus Christianis agnoscitur: eo enim sublato, non habemus justam in Causis forensibus procedendi formam, quæ in Libro secundo Decretalium(72) continetur; & carebimus Decisionibus plurium arduarum & illustrium Controversiarum(37) ex Jure Naturæ & Gentium desumtis, quæ in Jure Civili non reperiuntur: ipsique Jurisconsulti, sine conjuncta utriusque Juris Scientia, imperiti habebuntur; cum Interpretes Canonum rudes dicantur, si non sint instructi scientia Legum(74) Romanarum, & Interpretes Juris

(69) *Aristot. lib. 2. Politic. cap. 6.* (70) *L. Judæi, C. de Judæ. c. 2. Extr. eod. tit.* (71) *Farinac. p. 2. fragm. criminal. v. Judæi. n. 635.* (72) *Cujac. in lib. 4. decretal. in præfat. Vulte. in Jurisprud. Rom. in proleg. Math. Steph. lib. 3 de Jurisd. p. 3. in præfat.* (73) *Cujac. d. c. 15. de sent. & re judic.* (74) *Duaren. de benefic. Eccles. in præfat. Cujac. ad d. cap. quod ad consultationem 15. de sent. & re judic.*

ris Civilis ſine Canonici Juris peritia pro Juriſconſultis idoneis parum (75) habeantur; Juſque Canonicum & Civile ita jam cohærent, ut ſine utroque Jure nemo (76) poſſit dici Juriſconſultus, & utrumque Jus penitus ignoret (77) qui unicum tantum ſe ſcire contendit.

XX. Ex his conſtat, quomodo Jus Feudorum & Jus Canonicum Juri Civili Romanorum accreverint, & ut Membra Corpori coaluerint. Supereſt dicendum de Interpretationibus Doctorum quam authoritatem habeant in Cauſarum Deciſionibus, ubi Caſus e Jure omiſſi vel obſcure poſiti occurrunt. De quo breviter in ſequenti Capite.

(75) *Bald. in c. cum cauſam, de probat. Roman. ſingul. 654. Benedict. ad c. Raynutius in princ.* (76) *Burg. de Paz. ad l. Taur. num. 10.* (77) *Ciron. in paratitl. lib. 5. Decretal. in præfat.*

CAP. VIII.

De Interpretationibus & Opinionibus Doctorum.

I. SI omnia illustrium Jurisconsultorum Romanorum volumina, ex quibus Pandectæ compositæ sunt, jam superessent, inanes fuissent *Accursii* & Doctorum Interpretationes; cum Controversiarum humanarum Decisiones hauriri potuissent ex fontibus claris & puris, quales Orbis terrarum non poterit unquam consequi; & non opus esset rivulis & deductionibus Interpretum, sæpe superfluis, aliquando confusis, & barbaro idiomate ad Nos transmissis: vel si omnes actionum humanarum Causæ ex Libris *Justiniani* clare decidi possent, inutiliter confugeremus ad Doctorum Interpretationes, quibus evolvendis ætas humana non potest sufficere.

II. *Justinianus* quidem licet Legibus suis Commentarios adjici Edicto (1) suo vetuerit; prospiciens tamen omnia negotia humana Legibus suis non esse comprehensa, *Salvium Julianum* & *Hadrianum* Impp. imitatus, Legum suarum Interpretationes & Controversiarum omnium, quæ deinceps emersuræ essent Decisiones, ab Augusta & Imperiali Majestate petendas esse (2), sancivit: quæ certe propria & genuina est Interpretatio; cum Legum Conditio & In-

(1) *L. 1. §. nostram 12. C. de veter. Jur. enucl.* (2) *L. 2. §. sed quia Divino, C. de vet. Jur. enucl.*

& Interpretatio ejuſdem poteſtatis (3) ſint, & ab eodem fonte hauriendæ. Imperii vero Romani ruina uti Sanctionis *Juſtinianææ* metum ſuſtulit,& infinitos Legum Romanarum Commentarios induxit;ita & *Cæſares* adeundi, ab iiſque Interpretationes petendi nobis viam præcluſit. Illud autem Juriſconſulti Romani, *Julianus*, *Ulpianus* & *Pomponius* profitentur, omnes Cauſas humanas Legibus non eſſe comprehenſas (4), nec comprehendi poſſe; plures eſſe Res & Negotia(5)quam Leges & Verba;inutileſque eſſe Leges humanas, niſi iiſdem Interpretatio (6) accommodetur.

III. Interpretatio ergo noſtra, cum a Cæſaribus haberi non poſſit, petenda eſt ab Interpretibus & Doctoribus noſtris, qui in eorum locum ſuccedunt; quibus Imperatores Jus de Jure reſpondendi dabant: hi enim ex ratione(7)interpretantur Jus Romanum, ſicut *Cæſares* ex Poteſtate ſua: ideoque Interpretationem *Cæſaream* appellant noſtri Authoritativam (8) & neceſſariam, cui ex ſola Authoritate & Mandato Interpretantis ſine alia ratione parendum eſt. Interpretationem vero Doctorum appellant Magiſtralem & probabilem tantum, quæ omnem vim ſuam habet a ratione naturali, & non valet, niſi ratione probari poſſit. IV. Et

(3) *C.ideo 25. qu.1. c.ſicut enim 11. qu.1.* (4) *L. non poſſunt 12. ff.de Legib.* (5) *L.natura 6.ff.de præſcr. verb.* (6) *L.2. §.his Legibus 5.ff.de Orig.jur.* (7) *L.Vinc. C.de Profeſſ. qui in Urbe Conſtantinop. lib.12. L.ſi unus 27.§.præcluſ.ff.de Pact.* (8) *Did.Perer.in Ordin. Regn. Caſtell.in proœm. qu.2. Nic. Everard. in Loc. Legal. in Loc.ab Authorit. n.3. Suarez. lib.3. de Legib. cap.3. n.14. Luc. Caſtellin. de Elect. & confirm. Prælat. in prælud. §.2. n.4.*

IV. Et licet plures ſint ; qui juſtitia, acumine, & eloquentia Legum Romanarum capti, velint Cauſas tantum in judiciis decidi per Leges *Juſtinianæas* rejectis Interpretum omnium Commentariis (9) & Scriptis ut inutilibus, diſcordantibus, & confuſis; hi tamen gentium omnium Chriſtianarum Uſu ſatis confutantur (10), quæ admittunt judicia Cauſarum omnium a Doctoribus peti, ubi Cauſa Legibus Romanis expreſſe non eſt deciſa. Rejicere enim Doctorum Sententias & Interpretationes, ubi Caſus non eſt in Jure expreſſus, non aliud eſt, quam omnes Cauſas arbitrio & conjecturis judicantium decidendas relinquere, ex Communibus tantum Juris Regulis, in quibus ut plurimum ſolet pernicioſe errari. Interpreteſque noſtri plerique in Cauſarum arduarum & Rerumpublicarum adminiſtratione exercitati, & ad Conſilia Principum vocati, induſtria & acumine mirabili Cauſarum fere omnium Deciſiones in ſcriptis ſuis nobis reliquerunt, pluresque Controverſiarum forenſium determinationes eorum Scriptis, quam Legibus ipſis (11) attribuere debemus: atque inde omnes fere agnoſcunt Jus Civile Romanorum ſine *Accurſio*, *Bartolo* & reliquis Interpretibus, non poſſe conſiſtere. Ita enim *Andr. Alciatus* (12), *Eguinar. Baro* (13), *Viglius Zuichemus* (14) non Juris

(9) *Molina ad l.1. §.ſimpliciter n.47. ff.* de *verb. oblig. Jo: Dauth.* in *com.* de *Teſtam. in proleg.* (10) *Matth. Weſenbec.* de *jur. Stud. recte inſtit.* (11) *Weſenbeo. in loc. citat.* (12) *Alciat. in L. apud Labeonem in fin.* de *verb. ſign.* (13) *Eguin. Baro in comment. ad inſtit.* *Ever. Bronchorſt. in lib.* ἐναντιοφανῶν *in princ.* (14) *Vigl. ad §. nit. Inſtit.* de *Rer. Diviſ.*

ris tantum peritia,ſed & Literarum ſcientia illuſtres, de iis ſtatuerunt, ex *Ulpiani, Pauli, Martiani, Papiniani* Commentariis non ſatis potuiſſe Controverſias in foro & judiciis decidi, niſi *Accurſii*, *Bartoli*, *Baldi*, *Alexandri*, reliquorumque Interpretationes acceſſiſſent. Id tantum concedit *Alciatus* (15) nos laboribus *Accurſii* & Doctorum carere potuiſſe, ſi Juriſconſultorum Romanorum Volumina ex Edicto *Juſtiniani* non periiſſent.

V. Hanc vero poteſtatem, qua Doctores noſtri uſi ſunt in Legibus explicandis & reſpondendo de Jure, ortam fuiſſe exiſtimat (16) *Zaſius* ex ea poteſtate, quam Imperatores conceſſerunt Juriſconſultis Romanis reſpondendi de Jure, quorum reſponſa Judices Romani in Sententiis ſuis ſequi tenebantur; cum hoc ſolo diſcrimine, quod illorum Reſponſa vim Legis (17) habuerunt, & ſecundum ea omnes Romani Imperii Judices Sententias pronunciare debebant: Scripta vero noſtrorum Interpretum non habent aliam Authoritatem,quam ex Conſuetudine & Ratione; quæ tamen Imperio Legum non ſunt inferiores, quoties (18) contrarium in Legibus Romanis non eſt expreſſum. Rationis enim naturalis tanta eſt potentia, ut ſola vim Legis (19) habeat in omne genus humanum, habeaturque pro Lege Scripta,

(15) *Alciat. in d. L. apud Labeonem.* (16) *Zaſ. ad l. 2. §. & obiter 2. v. Authoritatem n. 6. de Orig. jur. Matth. Steph. diſp. 2. par. 1. §. 9.* (17) *L. 2. §. primus D. Auguſtus, de Orig. jur. L. Jus civile 7. de juſt. & jur.* (18) *Decian. lib. 2. Tract. crimin. cap. 31. n. 9 Schrader de feud. par. 9. in princ. par. 2. ſect. 3. n. 130. Steph. d. diſput. 2. §. 9.* (19) *Angel. conſ. 345. Tiraquell. in fallent. Reg. Juri civil. in Reg. ceſſante cauſa.*

pta; multaque a Jurisconsultis Romanis decisa habemus (20) ex sola ratione naturali: recteque asserunt *Baldus* & (21) eum insecuti, Imbecillitatem esse humani intellectus in quacunque Causa Legem quærere, ubi rationem naturalem inveneris; & Lege deficiente solam Rationem naturalem ad decisionem Causarum sufficere (22) omnes asserunt.

VI. Hinc est, quod, Lege deficiente, ex Sententia unius Doctoris expressa Causa judicari debet, quando in Terminis (23) Controversiam definit; tantaque est *Accursii* Authoritas, ut ex ejus Sententia Causa judicanda sit, quoties insignis aliquis Interpres (24) ei adhæret. Et multi Principes in suis Dominiis Interpretationibus & Opinionionibus Doctorum vim Legum concesserunt. Lege enim *Lusitana* Judicibus (25) mandatum est, ut deficientibus Legibus Regni & Jure Civili Romanorum, ad *Accursii* Glossas & *Bartolum* recurratur; Legibusque Regni Castellæ Judices debent Causas dijudicare ex opinionibus *Joannis Andreæ* & *Panormitani* in Jure Canonico, & *Bartoli Baldique* in Jure

(20) *L. scire oportet* 13. *§. sufficit ff. de excus. tutor. & ibi gl. & Dd.*
(21) *Bald. in d. L. scire oportet, §. sufficit, col. 4. Jas. in L. quoties, n. 25. C. de Rei vendic. Rebuff. ad L. Cunic. de senten. quæ pro eo quod inter, n. 4. Gomez. var. resolut. c. 10. de Individuis.* (22) *Jas. ad L. illam, n. 10. C. de collat. Abb. ad c. cum fuit, n. 4. de decim. And. ad Exe. ad c. 1. de constit. n. 449. Tiraqu. in tract. cessant. causa Limit. 1. num. 74. Surd decis. Mant. 229. n. 2. Cened. ad c. ex parte 11. n. 3. de transact. Grevæ. ad observ. Gail. in proœm. conclus. 15.* (23) *Afflict. decis. 169. n. 8. Cavalcan. decis. 30. n. 38. par. 1. Grovæ. d. conclus. 5. n. 123.* (24) *Everard. in Loc. a contrar. sent. n. 41.* (25) *Ordin. Lusit. lib. 2. Tit. 5. Fragos. de regim. Reip. Christian. par. 1. lib. 4. disp. 10. §. 3. n. 187. August. Barbos. ad Tit. de nov. Cod. fac. n. 12.*

re Civili (26) in defectum Legum Regiarum & Juris *Cæsarei* ; & in Germania *Carolus V.* Imperator in Constitutionibus suis Criminalibus (27) mandavit, consulenda esse Doctorum Juris Romani Collegia in Academiis constituta pro Interpretatione, si quid ambiguum aut obscurum in Constitutionibus suis suboriatur.

VII. In infinita vero negotiorum humanorum varietate quandoque occurrunt Controversiæ Legibus non determinatæ, quæ vix humani ingenii acumine possunt dissolvi, qualis est illa apud *Ulpianum* (28) de bonorum possessione aviti liberti Nepoti concedenda; & illa quæ coram *Gn. Dolobella* Proconsule Asiæ proponebatur, in qua adeo hæsitabant Proconsul & Assessores, ut eam Atheniensium Areopago demandarent, iidemque æque incerti, accusatorem & reum anno centesimo adesse (29) jusserunt; & ardua Quæstio illa de Reo Criminis Capitalis: An possit ex vehementibus judiciis condemnari (30) ad mortem? & alia Quæstio in Jure Primogeniorum de Successione inter Patruum & Nepotem ex Filio primogenito; quam arduam & inextricabilem (31) appellant, aliæque similes Quæstiones apud Jurisconsultos nostros sæpe occurrunt.

VIII. In his vero similibusque, in quibus Lege expressa destituimur, necesse est ut ad Interpre-

(26) *In legib. Ordin. lib. 4. tit. 1. l. 4. Diaz. de Montalu. ad leg. For. Hisp. lib. 1. tit. 6. n. 1. in addit.* (27) *Constit. Carol. V. criminal. cap. ult.* (28) *L. Divi fratres 17. ff. de Jur. patron.* (29) *Gell. lib. 12. noct. Attic. cap. 7. Valer. Max. lib. 8. cap. 1.* (30) *Charond. du droict. Franc. lib. 3. resp. 66.* (31) *Molin. de majorat. tract. 2. disp. 632. Gam. dec. Lusitan. 174*

tes confugiant Judices (32), ex quibus de Jure partium possint pronunciare. In quo ab omnibus communiter receptum est: Quoties Interpretes inter se consentiunt, & communem Opinionem constituunt, eam omnes Judices (33) in Sententiis suis sequi tenentur. Et si Judices contra communem Opinionem pronunciaverint, censentur per imperitiam (34) judicasse, & Litem (35) suam faciunt. Tantaque est potentia communis Opinionis, ut si supremæ Principum Curiæ vel Rota Romana contra communem Interpretum Opinionem (37) pronunciaverint, ab iis discendendum sit, & Judices omnes communi Opinioni debeant adhærere, cum ex rerum veritate, non Judicum exemplis sit (37) judicandum; nisi in Curiis & Rotis Principum toties sit judicatum, ut ex iis inducta fuerit Consuetudo; neque enim duæ Sententiæ inducunt Consuetudinem, quod voluit (38) *Accursius*, sed probant (39) jam inductam, si in contradictorio judicio latæ fuerint: atque ea Statuta Principum, de quibus jam dictum est, Judices sequi debere, dicta *Accursii*, *Bartoli* vel *Panormitani* ita intelligenda esse tradidit (40) *Menochius*,

(32) *Math.Wesenb.de Jur.stud.recte instit. Ant.Cucch.Instit.Major. lib.1.tit.1.* (33) *Abb.ad c.1.n.25. de constit.Andr.ab Exe.in c.1.de constit.n.451. Rebuff.ad Auth.habita, C.ne fil.pro patr. Guid.Pap. q.277. Decian.lib.2. tract.crimin. cap.31.n.9. Menoch.lib.2.præsumpt.71. Azogud. lib.3. com.opin. cap 4.* (34) *Gail. lib.1. obser.153.n.51.* (35) *Bald. & Dd.ad l.2. C.de pœn.Jud.qui mal.judic. Marant.disp.10.n.38. Jo:Vand. lib.1. qu.10.* (36) *Menoch. lib.2. præsum.71. Ant. Corat. de com. opin. tit.9. cas.10. & 15. Dionys. Gothofr. lib.1. prax. civil. tit.2. Card.Tusch. conclus.368. n.5.* (37) *L.nemo, C.de sent. & interloc. omn.jud.* (38) *Accurs.in l.de quib.ff.de legib.* (39) *Jac.Godefred.ad consuet.reform. Norman.v.consuetudines in princ.* (40) *Menoch.lib.2.præsum.71.n.*

chius, modo eadem per communes Interpretum Opiniones non fuerint reprobata.

IX. Cum vero Judicibus pro Tribunalibus suis sæpe occurrant Controversiæ valde ambiguæ, quæ ex juribus Litigantium utrinque probabilibus sæpe suspensos teneant Judicum animos, iidemque Legibus expressis deficientibus ad Doctorum Interpretationes & Opiniones recurrunt, quos sæpe inter se contrarios, eosdemque sibimet ipsis quandoque repugnantes inveniunt, dum in Commentariis, Tractatibus, Consiliis, unus idemque sæpe contraria asserit, de quo *Baldus* præsertim notari solet, in quo tamen nihil præter constantiam desiderari potest. Ideo pro distinguendis Doctorum contrariis Opinionibus, Regulæ nobis traditæ sunt, quæ vel ex eorum numero, vel ex scribendi modo, vel ex Caussarum natura, vel Interpretum personis, vel temporis Cursu, vel aliunde sunt desumtæ, quas hic breviter apponendas esse censui.

X. Primo cum Interpretes contrarias sententias amplectuntur, Judices eam partem sequi debent, quam Major (41) pars tuetur: illaque est Communis Opinio, quæ a majore Doctorum numero asseritur; numeranturque potius quam ponderantur Sententiæ. Sicut de Jurisconsultis Romanis constituit Imperator *Theodosius* (42), solo *Papiniano* antepositо,

(41) *C. in Canonicis dist. 19. c. de quibus dist. 20. Alciat. reg. 1. præs. 51. n. 1. Azogud. lib. 3. com. opin. c. 4. Fragos. de regim. Reip. Christian. p. 1. lib. 4. disp. 16. §. 3. n. 183. Grevæ. conclus. 154. consider. 1. n. 5.*

(42) *L. unic. C. Theodos. de respons. Pruden.*

to, qui numerum duorum implet; iisdemque, quorum responsa in Pandectas sunt relata, parem authoritatem (43) videtur tribuere *Justinianus*, ut ex numero Authorum, non ex pondere, Opinio prævaleat. Quod tamen intelligendum est juxta ea, quæ jam subjicimus.

XI. Secundo, eorum Interpretum sententiæ prævalent, quas ex professo in scriptis suis afferunt, easdemque arguunt, discutiunt, & demum concludunt, præ aliorum sententiis, quas obiter, & per transitum, & perfunctorie priores solum imitati (44) tradiderunt. Omnesque in hoc acquiescunt *Martini Navarri* (45) judicio, qui ait se eam pro Communi Opinione habere, quam sex aut septem Interpretes insignes ex professo agentes affirmant, præ illa, quam quinquaginta alii sola præcedentium authoritate ducti obiter effutiunt; justeque a multis asseritur, Doctores nostros sæpius esse gruibus avibusque similes (46), quarum una volante reliquæ inconsulto sequuntur.

XII. Tertio, cum Doctores inter se sæpius dissentiant, iidemque sibi aliquando contrarii sint, aliud in Commentariis & Tractatibus, aliud in Consiliis & Responsis asserentes, acerrimam de hoc Articulo contentionem exercuerunt inter se An-

(43) *L. tanta 2. §. ne autem 20. C. de vet. Jur. enucl.* (44) *Alciat. reg. 1. præsum. 51. n. 2. & lib. 2. parerg. cap. 19. Menoch. lib. 2. præsum. 71. n. 39. Mascard. conclus. 1138. n. 11. Fragos. d. disput. 10. §. 3. n. 184. August. Barbos. ad c. 1. de constitut.* (45) *Navarr. in Manual. cap. 27. n. 289.* (46) *Abb. ad c. ut debitus n. 22. de appellat. Dec. cons. 494. n. 25.*

Andr. (47) *Alciatus*, & *Tib.* (48) *Decianus*; dum ille pro Commentariis & Tractatibus contendit, hic pro Consiliis, quod Consilia magis deliberate plerumque scribantur; ex qua ratione alii ad *Decianum* (49) accedunt, & multarum Italiæ Civitatum Statuta & Curiæ Principum Germaniæ hanc partem confirmant, dum mandant Judicibus causas ambiguas ex consilio (50) Sapientis dijudicare. Sed ex gravioribus rationibus alii defendunt (51) *Alciatum*, quod in Commentariis plerumque cessent cupiditas æris, gratia, odium, & omnis affectus, quæ omnia in Consiliis & Responsis sæpe interveniunt: ideoque suprema Camera Imperii Germanici magis credendum Interpretibus in Commentariis, quam in Consiliis, sæpe (52) censuit.

XIII. Quarto, ubi Canonum & Juris *Cæsarei* Interpretes inter se dissentiunt, si de Religione Christiana & animæ Salute agitur, ut peccatis occurratur, Canonistæ (53) sequendi sunt. Ita cum Causæ Usurarum & Matrimoniales sint de foro Canonico, etiamsi Theologi a Canonistis dissentiant, ex Sententia Canonistarum Causæ (54) sunt decidendæ. In iis vero, quæ ad Leges & forum Principum spectant,

 ex

(47) *Alciat. 12. parerg. c. fin.* (48) *Decian. in apolog. advers. Alciat.* (49) *Magon. decis. Lucen. 15. n. 27. Boer. dec. 155.* (50) *Jo. Dauth. in commen. de testam. in proleg. n 7.* (51) *Menoch. lib. 2. præsumpt. 71. n. 48. Cravett. de antiqu. temp. p. 1. §. propositis, n. 48. Paris. consi. 91. n. 48. lib. 3. Rittershus. in cons. Rapp. Fulgos. in princ.* (52) *Minsing. cent. 6. observ. 60.* (53) *Lanfranc. ad c. quoniam contra v. testes, de probat. Ant. Corat. de com. opin. cas. 30. Dionys. Gotofr. in prax civil. lib. 1. tit. 2. Gail. lib. 2. observ. 141.* (54) *Menoch. lib. 2. præsum. 71. n. 49. Alb. Gentil. lib. de nupt. passim.*

ex Sententiis Interpretum Juris Civilis(55) judicandum est. De quo in superioribus aliquid dictum est.

XIV. Quinto, cum Doctorum sententiæ inter se pugnantes reperiuntur, eos potissimum sequendos esse existimavit clarissimus Galliæ Jurisconsultus *Guido Coquillus* (56), qui dignitates & fortunas contemserunt, quales fuerunt *Bartolus*, *Castrensis*, *Speculator*, *Masnerius*, *Petrus Jacobi*, *Carolus Molinæus*, aliique, qui in Jure investigando affectibus suis & sordibus non indulserunt.

XV. Sexto, cum Interpretum Opiniones senescant (ut res humanæ omnes) & Cursu Temporis mutentur, posterioresque Interpretes Usu rerum & Experientia docti ab antiquioribus recedant, sicut de filia semel a feudo exclusa ob masculos superstites in perpetuum excludenda, tradit (57) *Jul. Clarus*, cum posteriores Interpretes contrariam Opinionem induxerint contra antiquiores; Judices sequi debent Opinionem posteriorum (58) Interpretum, atque ita in supremis Principum Curiis (59) sæpe judicatum est.

XVI. Multa alia de Communibus Doctorum Opinionibus dici possent, quæ longe accuratius habentur apud eos, qui de iis ex proposito (60) tractarunt. Mihi tantum sufficit ea attigisse, ex quibus

(55) *Ant. Corat de comm. opin. d. cas. 30.* (56) *Guid. Coquil. in comm. ad consuet. Nivernens. in præfat.* (57) *Clar. §. feudum, quæst. 80.* (58) *Mattheac. lib. 2. de via & rat. jur. cap. 25.* (59) *Rot. Roman. in noviss. decis. 72. n. 2. par. 1. Vin. decis. 402. num. 33. Christinæ. decis. Belg. 2. n. 1. & 3. vol. 1.* (60) *Sylv. nuptial. lib. 5. Menoch. lib. 2. præsum. 71. Mascard. concl. 1138. Bonacoss. Azogu. & alii in Syntagm. comm. opin. Dionys. Gothofred. in prax. civil. lib. 1. tit. 2.*

bus constare potest, qualem vim habeant Interpretum Scripta in Jure Civili Romanorum, vel supplendo cum deficit, vel interpretando & explicando, ubi ambiguum vel obscurum est.

XVII. Post Doctorum Interpretationes & Commentarios, superest Authoritas Sententiarum, Judicum, & Rerum Judicatarum, quas multi contendunt inter Juris Civilis partes esse ascribendas: quibus repugnat Imperatoris *Justiniani* Sanctio, & Communis Interpretum nostrorum Sententia: in quo Articulo primam instituti Tractatus nostri partem concludemus.

Conclusio Libri primi *De Authoritate Rerum Judicatarum.*

I. SEntentias Supremarum Curiarum in Dominiis singulorum Principum Jus facere, & secundum eas in similibus Causis aliis Judicibus judicandi necessitatem imponi, multi existimarunt. Ita enim Jurisconsulti Gallici Arresta supremorum Senatuum suorum inter Juris sui partes(1) enumerant; & in aliorum Principum Dominiis, sententiis Supremarum Curiarum Authoritas Juris (2) sæpe tribuitur, quam alii Judices in Decisione Causarum sequi debent, sicut Decreta Senatus Romani vim

(1) *Lud. Servin. lib. 2. Playdoy. 60. qu. 5. Petr. Delomm. de jurisprud. Gallic. in præfat.* (2) *Ant. Gamm. decis. Lusitan. 33. in fin. Num. de Escob. de ratiocin. administrat. comput. 13. Fragos. de regim. Reip. Christ. par. 1. lib. 4. disp. 10. §. 3. num. 193.*

Juris obtinuisse etiam sub Imperatoribus, *Ulpianus* (3) videtur asseruisse.

II. Verum Imper. *Justinianus* (4) hanc Authoritatem Juris revocat ad solas Sententias ab Imperatore prolatas, penes quem solum Leges ferendi & Interpretandi (5) Jus est: Sententiis vero aliorum Judicum quorumcunque, etiam Præfectorum Prætorio vel supremorum Senatuum, vim Legis non tribuit, sed exemplorum tantum, quæ alios Judices movere & excitare possunt, sed necessitatem ita judicandi (6) non imponunt. Penes Senatum autem Romanum Juris potestas solum erat in Republ. libera, quam retinebat postea sub aliquibus Imperatoribus, qui specie *Aristocratici* Imperii Senatum Populumque Romanum demulcere cupientes, illis ramum ejus potestatis (7) concesserunt, cujus radicem ab iis acceperant, iisdemque radium Lucis suæ primævæ communicarunt, & *Ulpiani* dictum de Authoritate Senatus in Jure condendo, referunt (8) ad Historiam Juris, non ad Jus quo ea ætate utebantur.

III. Communis vero Interpretum nostrorum Sententia est, Sententias solas (9) ab Imperatore vel supremo Principe (qui Jus Legis condendæ habet) prolatas, vim Juris habere, quæ alios Judices in Cau-

(3) *L. non ambigitur 9. ff. de legib.* (4) *L. nemo 13. C. de sent. & interloc. om. jud.* (5) *L. fin. C de legib.* (6) *Desider. Herald. lib. 2. de authorit. rer. judicat. cap. 1.* (7) *Forcatul. ad l. ex hoc jure, n. 11. ff. de just. & jur.* (8) *Herald. d. lib. 2. cap. 1.* (9) *Cabed. decis. Lusitan. 212. Gamm. decis. Lusitan. 288. Coras. ad l. ingenuum, ff. de stat. hom. Herald. d. cap. 1.*

Causis similibus dijudicandis ad necessitatem similiter judicandi obligant. Reliquorum vero Judicum Sententias etiam in Supremis Curiis proponi tantum posse pro (10) Exemplis, libertate aliis Judicibus relicta, utrum Causis coram se agitatis existiment convenire, certum vero Jus non constituere, neque aliorum Judicum conscientias obstrictas (11) tenere; quia Decreta Judicum obligant eos solos, inter quos prolata (12) sunt; & Res inter alios actæ aliis præjudicium (13) non faciunt; & lubrica sit dijudicatio Causarum ex similibus Sententiis, cum sæpe mutentur Sententiæ & Opiniones, & circumstantiæ Causarum raro conveniant; difficileque sit probare idem factum, easdem circumstantias, eadem momenta temporum in utraque Causa (14) concurrere.

IV. Inde afferunt, Decisiones Supremarum Curiarum, etiam Rotæ Romanæ, Jus non (15) constituere, sed esse tantum Decisiones Magistrales, & non aliam vim habere, quam responsa Prudentum, Doctoresque sæpe consulere contra Decisiones Rotæ Romanæ, Rotamque sæpe judicare contra Decisiones suas, Rotæque non ulterius esse deferendum, quam ipsius Ratio (16) valet; & si contra commu-

nem

(10) *L. nemo, & ibi Bald. num. 1. & 2. C. de senten. & interloc. om. judic.* (11) *Herald. d. cap. 1.* (12) *L. de unoquoque 47. ff. de re judic.* (13) *L. 1. ff. de except. rei judic. tot. tit. C. quib. res judic. non noc. l. 1. C. res inter al. act.* (14) *Sichard. de contract. cons. 2. n. 5.* (15) *Fr. de Pavin. in præfat. extravagan. Ant. Cucch. instit. major. lib. 1. tit. 1. Cabed. d. decis. 212.* (16) *Menoch. lib. 2. præsum. 71. Salgad. de reg. protect. p. 1. cap. 1. prælud. 5. n. 272. Card. Tusch. v. Roman. Rota conclus. 368. num. 5. Theodos. Rube. singular. ex decis. Rot. Rom. par. 2. circa Styl. Rot. §. 3.*

nem Doctorum Sententiam sit judicatum, communem potius esse sequendam, quam Rotæ (17) Decisionem.

V. Sententiæ tamen Senatuum, præsertim Supremorum, reverenter observandæ sunt in Decisione similium Causarum, ut monet *Matth.* (18) de Afflictis, & ab iis nonnisi ex gravibus causis (19) est discedendum, præsertim si in Curiis Supremis aliisve inferioribus in aliquo genere Controversiarum ambiguarum eodem modo fuerit continuo usu judicatum; tum enim Res eodem modo judicatæ transeunt in Consuetudinem, Judicesque in similibus causis (20) obligant, & vim Juris sortiuntur, & ex *Severi* Imp. Rescripto (21) *Rerum perpetuo similiter judicatarum Authoritas vim Legis obtinere debet.* Neque tamen duæ Sententiæ in eodem genere Consuetudinem inducunt, quod voluit (22) *Accursius*, nisi adducantur duæ Sententiæ in contradictorio Judicio latæ, ut consuetudinem inductam (23) probent. Res ergo eodem modo similiter & perpetuo judicatæ obstringunt Judices ex vi Consuetudinis, & non quod ullam Juris partem constituant, quod videtur innuere *Paulus Christinæus* asserens, Decisiones supremi Senatus in Ordinatoriis Judiciorum non

(17) *Dionys. Gothofred. in prax. civil. lib. 1. tit. 2.* (18) *Afflict. decis. 45. Gamm. decis. 228.* (19) *Connan. lib. 1. comment. jur. civil. c. 15.* (20) *Cabed. d. decis. 212. Herald. d. lib. 2. c. 1. Fragos. d. disp. 10. §. 3. n. 194.* (21) *L. nam Imperator 38. ff. de legib. Gam. d. decis. 228. Gentil. lib. 1. de jur. bell. c. 11. Servin. Playdoy. jur. le testam. du contr. de Laval. qu. 5. & in princ.* (22) *In l. de quibus, ff. de leg.* (23) *Jac. Godofred. in consuet. reform. Norman. §. consuet. in princ.*

non in Decisoriis (24) sequendas esse.

VI. Restringendæ ergo sunt Res judicatæ ne Juris partem constituant, & coercendum est Jus Civile Romanorum intra Doctorum Interpretationes; quæ tamen ex confusis eorum Commentariis in tantam molem excreverunt, ut ad purgandam hanc squalentem Legum Romanarum Sylvam (ut utar verbis (25) *Tertulliani*) novo *Justiniano* (26) jam opus sit.

VII. Hucusque conatus sum describere Initium & Incrementum Juris Civilis Romanorum, dum major pars Orbis Terrarum Imperio & Legibus eorum pareret; & quomodo deinceps labente hoc magno Imperio in Occidens, ad hoc Jus accesserint Jura Feudorum & Canonicum, cum Doctorum undequaque Interpretationibus, quæ omnia in unum corpus coaluerunt. Superest jam altera pollicitationis meæ Pars, ut demonstrem quem Usum & Authoritatem habeat Jus Romanorum in singulis Occidentalis Imperii Provinciis, & quomodo Principes Christiani cum Constitutionibus, Legibus Municipalibus, Moribusque & Consuetudinibus suis Leges Romanorum admiserint. Quod Libro Secundo jam aggrediemur.

(24) *Christinæ. decis. 356. vol. 1.* (25) *Tertullian. in Apologetic. cap. 4.* (26) *Herman. Vulte. in Jurispruden. Rom. in proleg. de stud. Jur.*

LIBER II.

CAPUT I.

De Dominio Imperatoris Romani *in Orbem Terrarum*.

I. 

I Principes Europæi etiamnum manent sub Potestate Imperatorum Romanorum, iisdemque adhuc de Jure tenentur obtemperare, quod a plurimis Juris Utriusque Interpretibus sæpe asseritur, facilis erit hæc Disputatio de Legibus Romanis; cum omnes Populi Principum suorum Legibus teneri debeant, sive sponte sive Jure Belli devicti Principum suorum imperio se submiserint. Generale quippe pactum est humanæ Societatis, obedire Regibus, ait (1) *D. Augustinus*; & Populi debellati Victorum suorum leges (2) sequi debent, quia Leges arguunt Imperium, videnturque se submittere Imperio Legislatorum (3), qui eorum Legibus utuntur; & inter Supremæ Majestatis primum est (4) Caput Leges Populis Civibusque suis dare. Si vero iidem Principes

(1) *Lib.3. confess. c.18. c. quæ contra, dist.8.* (2) *Bald. ad l.1. ff. de constit. Princ. Decian. resp.19. n.98. vol.3. Alber. Gentil. lib.3. de Jur. bell. cap.11.* (3) *Roman. cons.70. n.13. Menoch. cons.21. n.10. & cons.75. n.22. Math. Steph. de Jurisd. lib.2. p.1. cap.7. n.347.* (4) *L.1. ff. de constit. Princ. Bodin. lib.1. de Rep. cap.10.*

cipes vel nunquam fuerunt Imperio Romano subditi, vel ex justis titulis se in libertatem asseruerint, Obsequium quod præstant Romanis Legibus est spontaneum, non ex potestate Imperantium, sed ex vi Rationis, cui omne genus humanum teste *Baldo* (5) tenetur obedire.

II. Imperatores autem Romanos fuisse Dominos non modo Provinciarum Orbis Chistiani, sed & totius Mundi, multi Interpretes nostri acriter contendunt; de quarum singularum Jure agendum erit, cum de Juris Civilis usu in singulorum Principum dominiis tractabimus. Modo discutiemus breviter illam communem Sententiam, quæ Romanos Imperatores Mundi Dominos esse asserit. Hanc vero Sententiam tuentur præcipue Jurisconsulti Itali & Germani, qui superstitiose inhærentes verbis Constitutionum Impp. *Antonini* (6) & *Justiniani* (7) tradunt, Imperatorem Romanum esse Orbis Terrarum Dominum, omnesque Reges & Populos ei subesse. Sibique pariter ablanditus postea *Fridericus Primus* se Urbis & Orbis gubernacula tenere (8) gloriatus est; eumque qui hanc Sententiam non sequitur, Hæreticum appellat (9) *Bartolus*, & peccare mortaliter *Hostiensis* (10) ait. Cujus censuræ metu, de facto aliquos Principes non pa-

(5) *Bald. ad l. nemo, C. de sent. & interloc. omn. jud.* (6) *L. deprecatio 9. ff. de leg. Rhod. de jact.* (7) *L. bene a Zenone, C. de quadrienn. præscript. l. 1. C. de rapt. Virg. L. properandum 13. in princ. C. de Judic. Authent. de consul. 105 in fin.* (8) *Oth. Frising. in vit. Fred. I. cap. 30.* (9) *Bart. ad l. hostes, n. 7. ff. de capt. & postlim.* (10) *H[illegible] venerabilem, de elect.*

parere Imperatori, de Jure vero omnes ei subesse debere, *Petrus de Bellapertica* (11) in Gallia docens, aliique plures (12) asserunt, & *Gulielmus Maynerius*(13) *Senator Tholosanus* de hac quæstione agens non ausus est Sententiam suam explicare, sed se judicio Ecclesiæ remittit.

III. Hanc tamen Sententiam plurimi (14) tuentur, eamque argumentis e Sacris Literis & a Jure Naturæ Gentiumque petitis conantur probare, quæ omnia communiter refelluntur ab Interpretibus sæpe antiquis, & a recentioribus fere omnibus, Gallis præsertim & Hispanis, qui prolixe docent (15), hoc ex Sacris Literis non posse elici;& Naturæ Gentiumque Juri esse repugnans & impossibile, ut omnes Orbis terrarum populi possint sub unius Principis Imperio juste gubernari, & abhorrere ab ipsis Legibus Romanis, in quibus plures populi hostes (16) Romanorum, alii exteri nec Hospitio nec Amicitia cum iis conjuncti (17); & frustra de Postliminii fictione jureque ita subtiliter disceptatur(18), si omnes Populi sunt sub Imperio Romano, eique parere

(11) *Petr. de Bellapert. in repet. l. cunctos populos, n. 4. C. de sum. Trinit.* (12) *Alber. Gentil. lib. 1. de jur. Bell. cap. 23. Franc. de Pont. de potest. Proreg. tit. 11. n. 26.* (13) *Mayner. ad l. quod jussu, n. 20. ff. de reg. jur.* (14) *Jas. ad l. cunctos populos, n. 6. C. de sum. Trinit. Castald. de Imper. quæst. 52. Cott. in memorabil. v. Imperator. Vin. lib. 1. comm. opinn. opin. 369.* (15) *Jo. Igne. in repetit. l. necessarios, § non alias, ff. de Senatusc. Syllan. n. 252. Menoch. cons. 2. n. 100. lib. 1. Vasq. lib. 1. controvers. ill. c. 26. n. 31. Covarr. ad c. peccatum, p. 2. § 9. n. 5. Cævall. com. con. com. q. 227. Victor. relect. 5. de Indis sect. 2. Grot. lib. 2. de Jur. bell. cap. 22. n. 12.* (16) *L. postliminii 5. § in pace, ff. de capt. & postl. L. mercatores 4. C. de commerc.* (17) *L. apud hostes 9. L. hostes 24. ff. de capt. & postl.* (18) *d. l. 5. § in pace, ff. de capt. L. postliminium 19. in princ. ff. eod. tit.*

re debeant. Nec etiam validam esse hujus Sententiæ probationem, quæ ex Legibus Romanis depromitur; & Imperatores de sui Imperii finibus non esse idoneos Judices Testesve (19), cum in causa sua contra alios Principes testimonium dicunt; eosdemque, dum se Mundi Dominos prædicant, per hyperbolen & per arrogantiam locutos esse, Interpretes (20) asserunt: eandemque Sententiam esse ridiculam (21) & explodendam (22), ejusque Sententiæ Authores nullas alias habere rationes, quam eas quæ eorum dictis & testimoniis (23) innituntur.

IV. Hanc igitur Disputationem de Dominio Imperatorum Romanorum in orbem Terrarum, esse potius quæstionem Facti quam Juris, rectissime statuit *Fulvius* (24) *Pacianus*, in qua non tam de Jure Imperatorum agitur, quod nullis rationibus defendi potest, quam ex quæstione facti dependet, quas scilicet Mundi partes Romani subjugaverint, & qua armorum Justitia vel Romani ipsas acquisiverint, vel ipsæ a Romanis Imperatoribus iterum desciverint. Licet enim Romani debellaverint Europam magnamque Asiæ & Africæ partem, apud omnes tamen (25) constat, multas Orbis Terrarum partes

Ro-

(19) *L. nullus 10. ff. de testib.* (20) *Alber. ad l. 1. n. 8. C. de sum. Trinit. Navarr. ad c. novit, de Judic. Notab 3. n. 52. Chassanæ. in catal. gl. mun. p. 2. consider. 32. Carrar. de Interpret. regg. Jur. Can. q. 3. art. 9. Fr. de Amay. lib. 1. obser. Jur. cap. 1. n. 69. Soto lib. 4. de Just. & Jur. qu. 4. art. 2. Bodin. lib. 1. de Rep. cap. 9.* (21) *Forcat. in cupid. cap. 9. num. 5. Grot. lib. 2. de Jur. bell. cap. 22. n. 13.* (22) *Oldrad. cons. 69. Menoch. cons. 2. n. 98. lib. 1. Molin. de just. & jur. tom. 1. tract. 2. disp. 25.* (23) *Arnisæ lib. 1. de jur. majest. cap. 2. n. 5.* (24) *Pacian. lib. 2. de probat. cap. 35. n. 52.* (25) *Jo: Igne. in repetit. d. §. non alias, n. 253. de Senat. Syllan. Navarr. d. notab. 3. n. 52. Forcat. in Cupid. cap. 9. Fred. Scot. lib. 1. resp. 1. num. 119.*

Romanorum Imperio nunquam cessisse; Scythæ nempe & Sarviatæ, Persæ, Indique, & universus Oriens ultra Euphratem, nunquam Romanis paruerunt, gentesque Europææ (de quibus agit hic Tractatus) a Romanis devictæ, de injustitia Bellorum Romanorum ex eorum causis plerumque conquestæ sunt; potentiaque armorum Romanorum coactæ per aliquot secula eo usque quiete vixerunt sub eorum jugo, donec singularum Europæ nationum Principes ex imbecillitate & declinatione Romani Imperii opportunum tempus asserendæ suæ libertatis nacti, Regna sua propria constituerunt, nullius Superioris (post Deum solum) Potestati obnoxia; eademque tot seculis ab Imperatorum Dominatione libera possederunt, ut, si omnes alii tituli deessent, ex sola tanti temporis præscriptione se adversus Romanum Imperatorem tueri possent.

V. Est enim communiter a nostris Interpretibus recepta Sententia (26), posse Principes Populosque liberos merum Imperium & Potestatem Supremam adversus Imperatorem privative præscribere, eandemque sicut privilegio & concessione acquiri, ita & præscriptione defendi posse: præsertim cum Imperatorum tacitus consensus accessisse præsumatur; ex quo nulla interpellatione per tempus longissimum usi, Provincias reliquas Europæas (præter Ger-

(26) *Bart. ad l. hostes, ff. de capt. Castald. de Imper. quæst. 54. Menoch. consf. 2. n. 70. lib. 1. Bald. de præscript. 2. par. 5. par. princip. Montan. de regalib. qu. 5. n. 33. Card. Tusch. conclus. 70. n. 3. Arnisæ. lib. 1. de jur. majest. cap. 2. num. 4.*

Germaniam) pro derelictis habuisse censendi sunt: in qua tamen Disputatione Canonistæ nullam Præscriptionem admittunt adversus Pontificem(27) Romanum, quod Principes Populique, Juris a Christo demandati Apostolis suis pro salute animarum Gregis sui, non sint capaces.

VI. Qui vero Imperatoris Romani Dominium in Orbem Terrarum asserunt, in eo omnes consentiunt (28), Dominium ejus comprehendere Jurisdictionem & Protectionem solam: singularum vero rerum dominia pœnes privatos manere. Regimen enim Reipublicæ Romanæ a Senatu Populoque in Imperatores solum translatum fuit, ait (29) *Arcadius*; Dominia vero rerum singularum ex Jure Gentium descendunt; atque ita Reges & Principes in dominiis suis habent supremam Potestatem & Jurisdictionem; Dominia vero rerum singularum ad subditos spectant. Neque enim ejusdem Rei duo in solidum Domini esse (31) possunt; quod a *Seneca* recte (32) explicatur. *Omnia Rex Imperio possidet, singuli Dominio: ad Imperatores Potestas omnium pertinet, ad singulos Proprietas: in iis est suprema Potestas & gubernatio, non Proprietas rerum singularum;*

(27) *Card. Pusch. d. conclus. 70. n. 3.* (28) *Gl. & Bart. in proœm. ff. in princ. Covarr. in c. peccatum, par. 2. §. 9. n. 5. Gail. lib. 1. de pac. publ. cap. 11. num. 4. Molin. de Just. & Jur. to. 1. tract. 2. dispul. 30. Peregrin. de Jur. fisc. lib. 1. tit. 2. n. 40. Cons. Illustr. German. par. 1. cons. 22. num. 2.* (29) *L. un. ff. de off. Præf. Prætor.* (30) *L. ex hoc Jure ff. de Just. & Jur. Argentræ. ad consuet. Britann. tit. des appropriance art. 227.* (31) *L. si ut certo 5. §. si duobus, ff. Commod.* (32) *Senec. lib. 7. de benefic. cap. 3. & 4. Cujac. lib. 15. observ. 30. Fr. de Amay. lib. 1. observ. jur. cap. 1. num. 70.*

rum; falliturque *Decius*, dum asserit (33) posse Imperatorem & supremos Principes de plenitudine Potestatis, nulla subsistente Causa, rerum dominia subditis auferre.

VII. Ex iisdem porro, qui Imperatoris Romani partes tuentur, aliqui exclusam censent (34) Praescriptionem Principum Christianorum contra Romanum Imperatorem ex usu Linguæ Latinæ & Legum Romanarum, easdemque continuam hujus præscriptionis interruptionem induxisse, & ex iis Romani Imperii dominationem & potestatem adhuc videntur agnoscere.

VIII. Romani primis Reip. suæ temporibus Sermone Græco (35) plurimum usi sunt, & Gentibus vicinis raro usum suæ Linguæ in publicis actis magistratuum concedebant, etiam iis quibus Jus Civitatis Romanæ dabant, & singulari privilegio Cumanis supplicantibus (36) illud indulserunt; donec tandem post debellatos Carthaginenses Imperium Orbis Terrarum sibi cessisse existimantes, per plerasque Mundi tum cogniti partes diffuso Imperio suo, ex studio dominationis suæ conservandæ, omnes gentes Linguæ Legumque suarum commercio ut communi vinculo devincire nitebantur, easdemque a se devinctas ad Linguæ & Legum suarum usum cogebant. Hic vero Linguæ mutandæ jussus Imperiosus

(33) *Dec. cons. 269. n. 7. Bart. & Dd. ad l. fin. C. si contr. jus vel util. public. Coler. de process. execut. par. 2. cap. 3. n. 334. Salas tract. de leg. 14. disp. 7. sect. 7. Fr. de Amay. d. cap. 1. n. 70. & seq.* (34) *Zoanet. tract. de Rom. Imp. num. 130. 133.* (35) *Dionys. Halicarn. lib. 1.* (36) *Liv. lib. 40. Molinæ. ad l. 1. §. eadem, de verb. oblig.*

riosus a *D. Augustino* (37) dicitur, & in omnibus Romani Imperii Provinciis exacte (38) observatus est. Romæ enim & in Provinciis omnibus Magistratus Sermone Romano (39) Jura reddebant; Actores, Rei, testesque, non alio Sermone utebantur; Prætores & Judices Latine Decreta & Sententias suas ferebant; Proconsules & Præsides Provinciarum Mandata sua Provincialibus Latine edebant; Legati exteri Imperatores aut Senatum Romano Sermone tantum alloqui, & in eodem responsa accipere vel per Interpretem Romanum debebant; Contractus & Testamenta Romano Sermone facta sunt; eodemque Legata & Fideicommissa a morientibus relinquebantur; & generaliter in omnibus Publicis & Legitimis negotiis non alterius Sermonis usus admittebatur. Atque inde Romani non solum Imperio suo, sed & Linguæ suæ Majestatem quandam conciliare velle nisi sunt.

IX. Et licet Romani Græcam Linguam plurimum coluerint ob ejus elegantiam variasque Scientias in ea traditas, eamque publice doceri (40) permiserint: post Græciam tamen Asiamque devictas, Græcos sub eodem Linguæ Romanæ Imperio coercuerunt: nam Græcos per Interpretem Romanum etiam in Græcia & Asia loqui cogebant: iidem Græcis ubique Latine responsa (41) dabant; & *Cicero* re-

(37) *Augustin. lib.10. de Civit. Dei, cap.17. Hottom. de jur. & privil. regn. Gall. cap.1.* (38) *Alciat. in repet. l.1. §. eadem, de verb. oblig. Molinæ. ibid. num.21.* (39) *Brisson. lib de solut. lib.2. Molina d.n.11. Papon. au premier, Notair. tit. des stipulations.* (40) *Quintil. lib.12. Instit. cap.10. Molinæ. in loc. cit.* (41) *Valer. Max. lib.2. cap.2.*

reprehensus fuit a Senatu, quod apud Syracusanos (42) Græce verba fecisset: *Cæsaresque* ipsi licet omnium rerum Dominos se existimarent, *Tiberius* tamen in Sermone Græco promtus ab eo abstinuit semper (43) in Senatu, & a verbis Græcis in Edictis suis; *Claudiusque Herodi* Tetrarchæ facto, in singulare beneficium concessit, ut in Senatu (44) Sermone Græco Gratias ageret; & Romani porro Magistratus in Provinciis suis non alio quam Latino (45) Sermone salutari, conveniri, & interpellari debebant.

X. In hoc tamen Romani distinguebant ea, quæ sunt Juris Quiritum ab iis, quæ sunt Juris gentium. Nam solemnes & Legitimi actus Juris Quiritum Sermone tantum Romano celebrabantur, reliqui autem Græco, Punico, vel alio Sermone (46) fieri poterant: fuitque Sermo Romanus ita rigide in omnibus Provinciis servatus, etiam sub Imperatoribus Græcis Constantinopoli agentibus, ut non potuerit nisi per contrarias Imperatorum Constitutiones abrogari. Nam & *Triphoninus* (*Ulpiani* æqualis sub *Alexandro Severo*) ait Decreta Prætorum esse Latine interponenda (47); iidemque Codices *Gregorianus*, *Hermogenianus*, & *Theodosianus* Latine scripti satis demonstrant, exceptis aliquibus Constitutionibus Græcis, quæ in Codice *Theodosiano* reperiuntur.

XI. Post

(42) *Cicer. act. 5. in Verr.* (43) *Sueton. in Tiber. cap. 70.* (44) *Dio. lib. 58.* (45) *Cont. lib. 1. disput. jur. civil. cap. 15.* (46) *L. 1. §. ult. ff. de verb. oblig. l. Græce 8. ff. de fidejuss. l. an inutilis 8. §. fin. ff. de acceptil. Brisson. lib. 2. de solut.* (47) *L. decreta 48. ff. de re judic.*

XI. Post translatam vero Sedem Imperii a *Constantino*, cum Longobardi, Gothi, Hunni, aliæque gentes barbaræ, Italiam & maximam Europæ partem possiderent, Imperatores Romani eorum viribus impares, Roma Italiaque derelicta, Romanum etiam Sermonem exolescere passi sunt; Græceque Constitutiones suas ediderunt; quod eo Sermone Constantinopoli vulgo uterentur. Et tum editæ sunt Constitutiones *Arcadii* & *Honorii*(48), Judices tam Græca quam Latina Lingua posse sententias proferre, & Constitutiones *Justiniani*, quibus Testamenta Græce scribi, Legata, Tutelas, & Libertates Græce dari (49) permissum est, Romæque veteris Privilegia Urbi Constantinopolitanæ indulta (50) sunt. Aliquem tamen Romanæ Linguæ honorem conservat *Justinianus* in Constitutionibus suis, dum eam appellat Patriam Linguam(51), a qua Leges Romanæ originem duxerunt; & post *Justinianum* Imperatores Constantinopolitani Leges Græce scribebant; juraque per Judices suos Græce reddebant, Italia & Occidente exuti, excepta parte exigua, quam Ravennæ per Exarchos administrabant. Ita pro virtutibus & Lingua Romanorum Imperatores Romani Mores & Linguam Græcorum induerunt, de quibus verissime *Horatius* (52).

Græcia capta ferum victorem cœpit:

(48) *L. judices 13. C. de sent. & interloc. om. jud.* (49) *L. hac consultiss. §. fin. C. de testam. l. fideicommissa 11. de legat. 3. Brisson. d. lib. 2. de. solut.* (50) *L. omni 6. C. de Sacros. Eccles. l. unic. C. de privileg. Urb. Constantinop.* (51) *Novell. 146.* (52) *Horat. lib. 2. epist. 1.*

& *Titus Livius*(53), *Græcos nihil a Majoribus suis retinuisse, præter Scientias & verba.* Idemque *Delicias Opesque Græcorum & Orientis Romanos subjugasse* (54) asserit.

XII. Post translatum vero Romanum Imperium in *Carolum Magnum*, in Occidente adhuc manere Romani Imperii Dominatio videri potest ex usu Romanæ Linguæ in iis Gentibus, quæ nullam Imperatoris Romani potestatem agnoscunt. Apud Gentes enim Europæas fere omnes, Judicia fere omnia in summis Curiis Sermone Romano adhuc exercentur; Scientiæ omnes in Academiis & *Gymnasiis* docentur, non Jurisprudentia tantum Romana, sed & Theologia, Medicina, Philosophia, Scientiæ Mathematicæ & reliquæ omnes; Contractus omnes coram Notariis publicis eodem Sermone celebrantur; & in plerisque Provinciis etiam Sacra omnia peraguntur; & Scientiarum omnium professores Labores suos non aliter se putant Juris publici facere, nisi eo Sermone evulgaverint. Est enim Sermo Romanus commune vinculum omnium Mortalium (55), eumque ait *Justus Lipsius* (56) Europæos inter se commercio Litterarum & Sermonis conjungere.

XIII. Cum igitur Romani Linguam suam Europæis a se debellatis primo ex Majestate sua imposuerint, eademque adhuc maneat ut Romanæ Dominationis indicium: Principes aliqui, ut hanc ma-

(53) *Liv. lib.* 41. (54) *Liv. lib.* 44. (55) *Choppin. de sacr. polit. in præfat. num.* 19. (56) *Lips. de pronunc. ling. latin. cap.* 3.

maculam eluerent, jusserunt suorum Judicum Decreta Patrio Sermone, non Latino interponi. Ita enim *Ludovicus XII.* & *Franciscus I.* Galliæ Reges de Parlamenti Parisiensis Sententiis Leges (57) tulerunt: & *Rudolphus* Imperator Germanicus (ex qua causa non constat) Anno 1273. constituit, Mandata, Edicta, Privilegia, & Instrumenta Lingua Germanica deinceps, non Latina (58) conscribi. Hic denique usus Sermonis Romani inter Europæos non tantum tribuendus est potestati & Mandatis Romanorum, verum etiam & ipsius Venustati; in quo porro res maximæ, & Scientiæ omnes ultra alia omnia Idiomata describuntur: ipsique Galli, qui de Lingua sua non immerito gloriantur, ei tamen Romanam (59) longe anteponunt.

XIV. Legum denique Romanarum usus in supremis Curiis & Academiis Principum Christianorum videtur repugnare eorum Præscriptioni adversus supremam Imperatoris Romani Potestatem, qua sublata Romanæ Leges deveniunt ad eum casum, unde non possunt incipere. Et per usum videtur conservari *Cæsarum* Dominatio, dum a Legibus *Cæsareis* coguntur exemtionum suarum Præscriptionem petere, ut acute *Bartolus* (60) aliique arguunt. Quorum argumentorum vim ut declinent

 Prin-

(57) *Hottom. lib. 1. de jur. Regn. Gall. cap. 1. Bodin. lib. 1. de repub. cap. 10.* (58) *Spang. in Chron. Saxon. cap. 264. Hering. tract. de fidejussor. cap. 1. n. 134. Freber. in edit. Græc. Rom. in epist. ad Rud. Imper.* (59) *Papon. instruct. du premier Notair. tit. des stipulat.* (60) *Bart. ad l. hostes, n. 3. & 5. ff. de capt. Zoanett. tract. de Rom. Impe. n. 132. Arnisæ. lib. 2. de Jur. Majest. cap. 6. num. 14.*

Principes, singuli profitentur se in suis Dominiis Superiorem non agnoscere; iidem Legibus Romanis se obtemperare profitentur, non ex vi Legum, sed Imperio Rationis, quæ Legibus omnibus humanis est superior; & dum *Cæsarum* Mandata & Jussa respuunt, eorum Legibus libere sponteque se submittunt, cum inter omnes Leges humanas non possit par Norma inveniri, ad quam Leges suas Patrias accommodare possint.

XV. Illud in singulis Principibus eorumque Dominiis demonstrabimus, quibus Titulis juribusque Libertatem ab Imperio Romano acquisiverint, & quousque Leges Romanas inter suas admiserint. Incipiemus vero a Dominiis Imperii Romano-Germanici.

CAP. II.

De Usu & Authoritate Juris Civilis Romanorum *in Dominiis Imperii* Germanici.

I. Imperium Romanum post translatam Imperii Sedem a *Constantino Magno*, Constantinopoli in Oriente floruit, in Occidente vero ex eo tempore ruere, & labi cœpit, avulsis ab Imperio Italia, Gallia, Hispania, Germania, & reliquis Europæ Provinciis per Longobardos, Gothos, Sarracenos, aliosque Barbaros, qui Imperatores Constantinopolitanos universa Europa (præter Exarchatum Ravennæ) excluserunt, easdemque possederunt si-

ne interpellatione Græcorum Imperatorum post *Justinianum*; donec tandem *Carolus Magnus Pipini* Regis Galliæ filius, debellatis barbaris in Gallia, Germania, & Hispania, fusoque *Desiderio* Longobardorum Rege in Italia, Romæ votis & acclamationibus Senatus Populique Romani Imperator Romanorum salutatus, a *Leone III.* Romano Pontifice circa annum Salutis DCCC. Coronam (1) accepit; & postea cum *Irene* (quæ excæcato filio *Constantino* Constantinopoli Imperii fasces tenebat) & cum ejus successore *Nicephoro* pactionem (2) inivit, ut Oriens cum Constantinopoli Græcis Imperatoribus; Occidens cum Roma *Carolo* & ejus posteris cederet.

II. Ita mansit Imperium Occidentis penes *Caroli* posteros supra centum annos; & deinceps Galliam Hispaniamque suis Regibus, Italiamque variis Principibus occupantibus, Imperii Jus relictum est Germanis, inter quos Septemviri Electores exinde Imperatores suos Electionis Jure (3) constituerunt, quod continuo usu & consuetudine inductum, per auream *Caroli IV.* Bullam postea confirmatum est, & ex eo Jure Imperatores Romano-Germanici hodie designantur.

III. Etsi vero plures pro Gallis contendant (4);

Im-

(1) *Platin. in Leon. III. Sabellic. Ennead. 8. Pacian. lib. 2. de probat. cap. 35. n. 46.* (2) *Egnat. in Carol. Magn. Bonfin. lib. 9. rer. Hungar. cap. 1.* (3) *Onuphr. de comit. cap. 8. Molinæ. ad consuet. Paris. tit. 1. des fiefs. Coler. de jur. Imp. Germ. §. 17. Sim. Pist. cons. 1. n. 19 Gryphiande de Weichbild. Saxon. cap. 36.* (4) *Castald. de Imper. qu. 7. Ferrald. de jurib. & privil. Regn. Franc. in princ. & privil. 13. Gambar. de legat. a Later, lib. 2. tit. de rer. ordin. n. 223. Molin. de just. & jur. tom. 1. disp. 24*

Imperium Romanorum fuisse translatum in Gallos in persona *Caroli Magni*, qui & Gallorum Rex fuit, & Gallia (ut aliqui asserunt) oriundus, ideoque Gallum æque ac Germanum ad Imperium Jus habere, possèque Imperatorem deligi; Jurisconsulti tamen Germanici & plerique alii Jus suum tuentur, asserentes translatum fuisse Imperium in solos Germanos, ad eos solos spectare Jus eligendi & destituendi Imperatores, solumque Germanum posse Imperatorem eligi; active nempe & passive Imperium translatum fuisse in Germanos, Interpretes (5) explicant; ideoque Imperium potius Germanicum quam Romanum (6) appellant; ipsique Pontifices Romani, qui potestatem hujus Translationis sibi vendicant, Imperium fuisse translatum in Germanos, in Constitutionibus suis (7) asserunt.

IV. In eo vero omnes consentiunt, reliquos Principes Europæos a Potestate Romani Imperii se exemisse, & Libertatem acquisivisse ex variis Titulis, de quibus in singulorum Dominiis dicemus; ipsum vero Romanum Imperium superesse adhuc in Germania, & a nulla alia Natione Supremam Imperatoris Romani Majestatem recognosci. Quamvis autem Magni illius Imperii vires adeo jam sint attritæ, ut illius Umbra (8) & Nomen tantum remaneat,

(5) *Pacian. lib. 2. de probat. cap. 35. n. 50. Lancellott. de jur. publ. lib. 1. cap. 1. qu. 3.* (6) *Alvarott. ad tit. qui feud. dar. poss. n. 8. Alber. ad l. 1. de constit. Princ. n. 3. Jo: Igne. in d. repetit. § non alios, n. 255. Æn. Sylv. de author. Rom. Imp. cap. 10. Alciat. de sing. certam. cap. 32.* (7) *C. venerabilem 34. de elect. clem. unic. de jurejur.* (8) *Sleidan. lib. 3. de summ. Imper.*

neat, & infra Germaniæ terminos angustos, Dominiaque Imperatoris Patrimonialia sit(9) conclusum, & Germanicum potius quam Romanum dicendum videatur; cum tamen Imperium hoc usque ad secundum Domini nostri Adventum & finem Seculi duraturum, Theologi (10) tradiderint, & Sultani Turcici vane asserant se esse Successores *Constantini Magni* (11) in Imperio Romano, eadem plane vanitate qua Constantinopolitani Imperatores se successores fuisse *Alexandri Magni* gloriabantur, quod Macedonia (12) Romanorum Imperio cessisset: quin Imperium Turcicum a *Sarracenis* potius quam Romanis denominandum sit; ideo Romanum Imperium non alibi quam in Germania (13) consistere potest, cum Germaniæ Populi adhuc repræsentent Populum Romanum, Electorumque Consessus Senatum Romanum, qui sub Imperatoribus primariam Imperatoris eligendi potestatem habebat, & Imperatorum per acclamationes Legionum designatorum potestas rata non habebatur, donec in Senatu confirmata esset.

V. Romani igitur Imperii Majestas in Germania adhuc superest, sive in Imperatore solo, sive in Imperatore & Comitiis ejus Nationis, secundum eos qui Imperium Germanicum Aristocraticum(14), & Im-

(9) *Paschal. lib.9. oper. corr. cap.26. Parthen. litigios. lib.1. cap.16.*
(10) *Ad cap.3. Daniel. Tertull. ad Scapul. in princ. Æneæ Sylv. de ortu & authorit. Rom. Imp. cap.8. Paul. Jov. histor. lib.30.* (11) *Lazar. Soranz. in Ottom. cap.57.* (12) *Codin. Curopol. de offic. Eccles. & aul. Constantinopol. cap.6. n.51.* (13) *Alber. Gentil. lib.1. de jur. bell. cap.23.*
(14) *Matth. Steph. de jurisd. lib.1. cap.1. num.4.*

& Imperatorem potius esse Administratorem (15); quam Dominum & Monarcham voluerunt. Et hoc Imperium est vere Romanum (16) non ei Surrogatum, quod a Romanis per tot locorum temporumque mutationes ad Germanos devenit. Et si Imperium Germanicum sit non Romanum, non dicenda erit Translatio (17), sed nova Constitutio Imperii; & in eodem Jus illius Magni Imperii, licet in multis partibus imminutum, & Authoritas Legum Romanarum adhuc (18) conservatur.

VI. Germania vero universa in Imperio Romano erat sub Vicario Galliarum, & divisa erat (19) in Germaniam primam ad Rhenum sitam, & Germaniam secundam seu Inferiorem, quæ inter *Mosam* & *Rhenum* ad *Oceanum* Germanicum porrigitur. Hodie autem sub Imperatore Romano-Germanico inter varios Principes & Civitates liberas divisa est, eorumque Territoria in decem (20) Circulos distributa sunt, Austriacum, Burgundicum (sub quo continentur Provinciæ Burgundicæ, quæ Duci Burgundiæ parebant) Electorium Rhenanum, Saxonicum Superiorem, Francicum, Bavaricum, Svevicum, Rhenanum Superiorem, Westphalicum, & Saxonicum Inferiorem, in quibus singulis Principes per Judices & Magistratus suos subditis Jus di-

(15) *Matth. Steph. lib. 2. de jurisd. p. cap. 1. n. 57.* (16) *Sim. Pistor. cons. 1. n. 8. Knich. in relitat. apologet. num. 114. Gentil. d. cap. 23.* (17) *C. venerabilem, de elect. Sim. Pist. d. cons. 1. n. 8.* (18) *Matth. Stephan. disp. 1. vol. 1. num. 21.* (19) *Pancirell. in Notit. dignit. cap. 68.* (20) *Paurmeister. de jurisd. Imper. Rom. lib. 2. cap. 2. num. 58. Arumæ de comit. cap. 2. 3. & 4.*

dicunt varie secundum Consuetudines, Statuta, & Constitutiones Provinciarum suarum, quæ tamen omnia Juri Civili Romanorum submittunt, & ad ejus Normam accommodant.

VII. Suprema Imperii Germanici Curia tenebatur olim in Aula Imperiali, ad quam appellatum est ab omnium Provinciarum inferiorum Judiciis, & in causis Regalium, Dignitatum, Feudorum, & majoribus omnibus, Jus petebatur usque ad annum MCCCCLXXXXV. in quo a *Maximiliano I.* & Comitiis Imperii Cameræ Imperialis Judicium constitutum est (21) *VVormatiæ*; & ex sequenti Constitutione *Spiræ* (22) sedem habet, cui ut supremo Imperii Tribunali omnes Electores, Principes, & Subditi Imperii (23) obediunt, habetque concurrentem cum Imperatore (24) Jurisdictionem, nec ab ea potest Imperator Causam (25) avocare, nec ab ejus Sententia appellare vel supplicare (26) fas est, sed Restitutionem solam & Revisionem petere. Tantum limitatur ejus potestas ad Causas Civiles, solaque admittitur accusatio Criminalis in Camera ex Constitutione (27) violatæ pacis publicæ; de reliquis criminibus non cognoscit, nec (28) recipit criminales

(21) *Ordin. Camer. par. 1. tit. 27. Choppin. de dom. in. Franc. lib. 2. tit. 15. n. 11.* (22) *Imp. jud. Cam. ordin. par. 2. tit. 34.* (23) *Mynsing. cent. 4. observ. 5. Gail. lib. 1. observ. 42. n. 3.* (24) *Ordin. Camer. par. 2. tit. 35. Matth. Steph. de jurisd. lib. 2. par. 1. cap. 3. n. 30.* (25) *Gail. lib. 1. obser. 1. & 29. Paurmeister. lib. 2. de jurisd. cap. 5. n. 34.* (26) *Bender. de revis. act. in proœm. n. 17. Matth. Steph. de jurisd. lib. 2. par. 1. cap. 3. n. 16.* (27) *Mynsing. observ. 98. n. 8. cent. 2. Harprecht. ad §. in sum. Instit. de act. n. 68.* (28) *Ordin. par. 2. tit. 28. Wesenb. ad tit. de appell. recip. in summ. 2.*

nales appellationes; ſicut in omnium fere Principum Dominiis appellationes, in cauſis criminalibus interdictæ (29) ſunt.

VIII. In Camera præter Præſides, Comites ſcilicet aut Barones, triginta ſex Aſſeſſores conſtituti ſunt, qui non admittuntur niſi poſtquam Leges Romanas & Canones in aliqua Academia docuerint, aut in earum ſtudio quinque annos poſuerint; iiſdemque præſcriptum eſt in Conſtitutionibus Imperialibus, ut ceſſantibus Conſtitutionibus, Statutis, Moribuſque Provinciarum, ſecundum Jus Commune Romanum (30) judicent, & Cauſas in iis non expreſſas ex Jure Romano dijudicent, illudque Aſſeſſores, priuſquam munus ſuum ſuſcipiunt, Juramento polliceri ex Ordinationibus Imperii (31) coguntur.

IX. Camera vero trecentis annis antiquius erat Judicium Rotvillenſe a *Conrado IV.* inſtitutum (32) pro Circulis Auſtriæ, Sveviæ, & Rheni, præter Conſiſtoria omnia, quæ in ſingulis Principum & Civitatum Territoriis habentur, pro Jure Subditis Imperii Germanici dicundo, in quibus omnibus ex Conſtitutionibus Imperii Cauſæ ex Jure Romano ſunt decidendæ. Conſtitutiones quidem Statuta & Conſuetudines in ſingulis Territoriis inter Jura Mu-

(29) *Andr. Rauchbar. in quæſt. jur. civil. & Saxon. par. 2. qu. 45 n. 8. Jul. Clar. §. fin. qu. 14. n. 2. Pacian. conſ. 1 n. 70.* (30) *Ordin. cam par. 1. tit. 39. Paurmeiſter. lib. 2. de juriſd. Imp. Rom. cap. 5 num. 42. Gail lib. 1. obſerv. 36. n. 14. Matth. Steph. de juriſd. lib. 2. par. 1. cap. 7. n. 236* (31) *Ordin. cam. Imp. tit. 54. & tit. 57. Chriſtinæ. deciſ. 54. num. 5. vol. 2* (32) *Lericheman enchir. d. m. eſt. diam. 1237.*

Municipalia habentur, quæ possunt Juri Romano derogare, ipsæque Constitutiones Imperiales non aliud sunt, quam Jus Municipale (33) Imperii; solum vero Jus Romanum est Jus Commune (34), ex quo Casus in juribus Municipalibus vel non expressi vel obscure positi terminantur.

X. Hinc communiter receptum est ab omnibus Jurisconsultis Germanis, Jus Romanum habere adhuc vim Legis in omnibus Imperii (35) Territoriis, ab omibus Imperii subditis observandum (36) esse, eoque non solum Naturales, sed & Exteros in Imperio Domicilium habentes (37) teneri, omniaque in Legibus Romanis constituta manere apud Germanos integra & incorrecta, quibus Jura Gentis ejus Municipalia non derogarunt; ideoque Germanos teneri ad numerum Testium in Testamentis condendis de Jure Romano (38) requisitum, & pactum negativum ne Mater Liberis succedat in Germania valere, cum sit Juri Imperiali consentaneum, consuluit *Carolus* (39) *Molinæus*. Et appellatio ab Interlocutoria Sententia non admittitur in Camera Imperiali, secuta (40) Jus Civile; ad quod etiam accessit Concilium Tridentinum (41), prohibens appellationes.

(33) *Gilman, in decis. Cam. Imp.* 24. (34) *Bender. de revis. tit.* 53. *par.* 3. *n.* 38. *Matth. Steph. de offic. jud. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 2. (35) *Imper. jud. cam. ordin. par.* 3. *ti.* 54. *Matth. Wesenb. cons.* 23. *par.* 1. *n.* 1. & *consil.* 43. *n.* 28. *Dionys. Gothofred. in prax. civil. tit.* 5. *Pacian. cons.* 18. *n.* 15. (36) *Giphan. ad l.* 1. *C. quæ sub mod. n.* 10. (37) *Peck. de testam. conjug. cap.* 34. *n.* 2. *Gail. lib.* 2. *observ.* 36. *n.* 5. *Petr. Wesenb. cons.* 51. *num.* 4. (38) *Everard. in loc. a rat. leg. tit.* 35. (39) *Molinæ cons.* 15. *num.* 14. (40) *Gail. lib.* 1. *observ.* 220. *lautæ sententiæ, C. quor. appell. non recip.* (41) *Chok. ad reg. cancell.* 37. *num.* 7.

pellationes a gravamine, licet Jus Canonicum eas appellationes admiserit, aliaque similia passim traduntur.

XI. In Germania plura antiquitus erant Jura Municipalia & Provincialia, quibus Principes Populique ejus Gentis pro Moribus suis utebantur, priusquam Jus Romanum ab Imperatore *Lothario* esset restitutum; eademque adhuc apud eos manent, sed in multis jam immutata per Juris Civilis æquitatem prudentiamque, & in omnibus ab eodem Interpretationem accipiunt.

XII. Præ reliquis omnibus celeberrimum est Jus Saxonicum, quo non Saxones soli, sed & Lusati, Silesii, Brandeburgici, Brunsvicenses, Lunæburgenses, Hessi; Idemque extra Imperium Poloni & Lithuani (41) amplexi sunt. Erat enim Saxonum gens bellicosa & severa, qui non armis tantum Dominationem auxerunt, sed & judicia juste exacteque exercuerunt, Criminaque rigide punierunt; pro Moribus consuetudinibusque Gentis suæ, quas sine scripto (43) habebant; easdemque reliqui Germaniæ Populi paci conservandæ aptissimas censentes sequebantur. Est autem hoc Jus antiquissimum, ejusdemque usum *Carolus Magnus* (44) Saxonibus post diuturnum bellum devictis, pace cum iis inita, concessit, idemque adhuc Saxones alii-que

(42) *Coler. in orat. de jure Saxon, Matth. Steph. lib. 2. de jurisd. par. 1, cap. 7. n. 330.* (43) *Brust. ad l. admonendi, n. 1175. de jurejur. Gryph. de Weichbild. Saxon. cap. 44. Coler. in d. orat. de jur. Saxon,* (44) *Gryph. de Weichbild. Saxon. cap. 22. 23. Coler. in d. orat.*

que Populi Germanici retinent; fuitque diu fine Scripto Moribus fervatum, donec *Eccardus* a *Repichavv* Nobilis & Jurifperitus Confuetudines Saxonicas in tribus libris Latine (45) compofuit, quos Speculum Saxonicum Land-recht appellavit, eofdemque *Otho I.* Imperator confirmavit; Idemque confcribi juffit Confuetudines Magdeburgenfes, alteram Juris Saxonici partem, precibus *Edithæ* Imperatricis filiæ *Edmundi* Regis Angliæ (in cujus gratiam Magdeburgum condidit, idemque in donationem propter nuptias ei concefferat) & Weichbild (46) appellari juffit: totumque hoc Jus Saxonicum multis deinceps Doctorum Juris Civilis Commentariis explicatum & illuftratum eft. Et Jus ipfum Saxonicum Jus Civile Romanum Lingua Saxonica defcriptum aliqui ea de caufa (47) appellant. Poft Leges enim Romanas a *Lothario* reftitutas, Germania univerfa eas amplexa eft, multique Articuli hujus Juris, qui nimis afperi vifi funt, per *Eugenium IV.* in Concilio Bafileenfi, & per Conftitutiones Electorum Saxoniæ (48) fublati, totumque ad æquitatem Legum Romanarum eft redactum.

XIII. Hæ enim Regulæ in Interpretatione Juris Saxonici communiter admiffæ funt: Jus Saxonicum effe ftricte interpretandum, & ultra cafus in eodem expreffos non poffe extendi (49): Idem Jus in ambi-

(45) *Bruft. in d. l. admonendi*, *Coler. decif.* 107. *n.* 28. & *conf.* 6. & 14. *Gryph. de Weichb. cap.* 36. & 51. (46) *Coler. de proc. execut. par.* 1. *cap.* 2. *num.* 26. *Coler. in d. orat.* (47) *Philipp. Ablanibæ. in armis Suevic. Guft. Adolph. ad ann.* 1631. (48) *Coler. d. cap.* 2. *n.* 26. (49) *Geden. confil.* 15. *n.* 12. *Pruckman. con.* 31. *n.* 9.

guis & obscuris Interpretationem a Jure-Romano (50) accipere: In Casibus omissis, & ubicunque Jus illud deficit, admitti Jus (51) Romanum, eaque de causa debitoribus concessum est beneficium (52) Cessionis Bonorum, quod asperitas Juris Saxonici non concessit; & revocatum est Juramentum Calumniæ in Judiciorum usum, quod Moribus Saxonicis in desuetudinem abierat; quæ & in Novis Constitutionibus Ducatus Prussiæ (53) renovata sunt: & post Jus Saxonicum nullum aliud Jus Commune præter Romanum (54) agnosci.

XIV. In Causis quidem expresse decisis in Jure Saxonico, Electores adhuc solicite conservarunt Authoritatem Juris sui; & ex ea causa cum *Carolus Quintus* Imp. Constitutionem edidisset de solis Fratrum Filiis admittendis ad Successionem Patrui cum Fratribus Jure Repræsentationis, sicuti Jure Civili sancitum est, Elector Saxonicus (55) protestatus est, nec se nec subditos suos ea teneri, quod Juri suo Saxonico contraria esset. In iis vero, quæ in Jure Romano constituta sunt, quibus Jus Saxonicum non repugnat, ea ultro in Saxonia recipiuntur. Et Electores semper contenderunt, ut Jus suum ad concordiam cum Jure Civili, quantum fieri posset, redigeretur;

(50) *Schneidevvin. in §. Item, in Instit. de oblig. quæ ex delict. Goden. d. consil. 15. n. 12. Coler. in d. orat.* (51) *Hartm. Pist. lib. 1. qu. 31. n. 8. Coler. decis. German. 135. n. 11. Carpzov. in Jurisd. Rom. Sax. par. 2. const. 16. definit. 15. Schrader. de feud. par. 10. sect. 13. num. 14.* (52) *Coler d. decis. 135. n. 11. & decis. 117. n. 10.* (53) *Jus Ducat. Pruss. edit. ann. 1620.* (54) *Lud. Schrader. cons. 6. num. 31. Brust. in d. l. admonendi. n. 220. Coler. in d. orat.* (55) *Brust. in d. l. admonendi, n. 176. ff. de jurejur. Scheneidevvin. ad Instit. tit. de hered. ab intest. § tertia conclusio.*

retur; solique Juris Civilis Professores in Saxonum Academiis Jus docent, & in Curiis judicant: & de Consuetudine Saxoniæ testatur (56) *Sichardus*, quod Judices Saxonici eas solum ferant Sententias, quæ a Doctoribus Juris Civilis præscriptæ sunt.

XV. Adeo autem invaluit Authoritas Juris Civilis in Germania, ut Brunsvicenses, Lunæburgenses, Bremenses, Pomerani, Megapolenses, aliique Populi (57) adjacentes, qui olim Jure Saxonico usi sunt, jam ab eo in plerisque casibus recesserint, & ad Jus *Cæsareum* (58) redierint; & in iisdem Provinciis, quæ Jus Saxonicum receperunt, si controversiæ incidant, in quibus Jus Saxonicum a Jure Civili dissidet, sequendum potius esse Jus Civile Romanorum, quam Jus Saxonicum, Germani (59) existimant: Provinciamque Romano Imperio subditam imperii Legibus, & Jure Communi regi (60) præsumendum est.

XVI. In Germania porro memorantur, Jus Lubecense (61) ex Jure Saxonico & Canonico plerumque compositum, quod a *Frederico Primo* Imp. confirmatum est, quo etiam aliæ vicinæ Civitates usæ sunt, & Jus Culmense (62) in Prussia, quod aliæ etiam Civitates & Populi vicini usu receperunt, donec *Sigismundus* Marchio Brandenburgensis Anno M. DC. XX. Jus Novum pro Ducatu Prus-

I 2 siæ

(56) *Sichard. in l. ab eo, n. 13. C. quom. & quan. jud.* (57) *Cothm. in. resp. 21. n. 167.* (58) *Azumæ. 1. s. urs. 3. ad aur. Bull.* (59) *Cothman. cons. 223.* (60) *Ant. Coler. de Jur. Im. Germ. n. 64.* (61) *Krantz. in Vandal. Cothman. resp. 40. n. 5. Matth. Steph. lib. 2. de Jurisd. Imp. Rom. par. 1. cap. 7. n. 340.* (62) *Matth. Steph. d. cap. 7. n. 330. & disput. 1. vol. 1.*

siæ (63) componi jussit, ad Jus Romanum, Saxonicum, & Culmense proxime accedens, ex quo adhuc in eo Ducatu Jus dicitur. Cæterique omnes Principes & Civitates Imperii Germanici Statuta sua promulgant, & secundum ea cum Romanis Legibus conjuncta Subditis suis Jura reddunt.

XVII. Ista vero Statuta Saxonica, Lubecensia, Culmensia, & alia quæcunque Germanica, secundum Jus Civile Romanorum intelliguntur, & ab eo interpretationem recipiunt. In omnibus enim Imperii Germanici Provinciis & Territoriis generaliter traditum est a Jureconsultis Germanicis, Statuta non posse aliam Interpretationem recipere, quam a Jure Communi (64) Romanorum: Statuta, cum Juri Romano derogant, esse strictissime (65) interpretanda, & non extendi posse ad casus in iisdem non expressos: in iisdem evitandam esse omnem Juris Communis (66) Correctionem: eademque per Jus Commune solum interpretanda (67), & intelligenda esse.

XVIII. Tanta etiam est Juris Civilis Romanorum in Germania Authoritas, ut licet in omnibus aliis Regnis Dominiisque concessa fuerit Jure Romano potestas condendi Statuta de Jure Civili derogantia,

(63) *Jus Provinc. Ducat. Pruss. edit. ann. 1624.* (64) *Dennis. in compend. Jur. Camer. tit 164.* (65) *Gail. lib. 1. observ. 33. n. 8. Gilman. decis. 50. Cam. Imp. lib. 2. n. 41. Schrader. de feud. par. 10. sect. 4. num. 18.* (66) *Gail. lib. 2. observ. 140. n. 12. Christinæ. decis. 113. n. 78, vo. 1. cons. Illustr. German. par. 2. cons. 73. n. 10.* (67) *Harprecht. in §. non solum, n. 20. Instit. de injur. Bender. de revis. act. tit. 53. par. 3. Christinæ. dec. 54. num. 5. vol. 2. cons. Illustr. 53. n. 56. par. 2.*

gantia, ut omnes Romani Juris Interpretes (68) afferunt; Principes tamen & Civitates Germaniæ non possunt statuere contra prohibitionem (69) Juris *Cæsarei*, eaque de causa non possunt statuere (70), ut *Bona Naufragorum* cadant in Commissum, & a Dominis Territoriorum Mari Fluminive Vicinis capiantur, cum omnes istiusmodi Consuetudines & Statuta *Frederici* Imp. Constitutione declarentur nulla (71), & ex Decreto Lateranensis Concilii capientes porro excommunicati(72)declarentur. Authoritatique Juris Civilis, ejusdemque unioni cum Jure Canonico, in Germania tribuendum est, quod, post ejuratam Romani Pontificis Potestatem, Principes aliqui Germanici adhuc Juris Canonici usum in Ditionibus suis(73) conservent, de quo superius aliquid dictum est.

XIX. Superest ergo in Germania cum Imperio Romano Potestas Legum Romanarum: solumque Jus Romanum in Ordinationibus Imperii Jus Commune (74) appellatur: in ipsa Camera Imperiali nemo in Assessorem aut Advocatum recipitur, nisi qui in aliqua Academia Jus Civile (75) professus fuerit, aut in ejusdem Studio quinque Annos posuerit: in

(68) Dd. ad l. fin. C. de testam. ac ad l. omnes populi de just. & Jur. Gail. lib. 2. observat. 124. n. 2. Grave. conclus. 36. n. 6. (69) Salas. de legib. q. 98. disp. 7. sect. 8. Puckm. §. soluta potestas, cap. 3. n. 125. (70) Bart. & Zas. ad l. omnes populi, de Just. & Jur. Gail. lib. 1. observ. 18. n. 2. (71) Auth. Navigia, C. de furt. (72) C. excommunicatione, de raptor (73) Carpzov. in Jurispruden. Rom. Saxon. par. 1. const. 31. definit. 2. Matth. Steph. de Jurisd. Imp. Rom. par. 1. cap. 7. n. 335. (74) Ordin. Imp. par. 2. tit. 31 §. ult. Ordin. Camer. par. 3. tit 54. Denais. in compend. Jur. Cam. tit. 14. (75) Ordin. Camer. tit. 3. Ord. Jud. Camer. par. 1. tit. 3. Denais. d. tit. 14.

Academiis Germaniæ soli Juris Civilis Doctores Jus docent. Et in sola Germania viginti quinque Academiæ numerantur, in quibus Jus Civile docetur; & in iisdem Doctorum Juris Civilis numerus centesimum excedit (76), qui Jus Civile Romanorum publice interpretantur. Et *Carolus Quintus* Imperator Constitutionum suarum Interpretationem a Professoribus Juris Romani in Academiis petendam esse (77) sancivit.

XX. *Hactenus* de Imperio Romano-Germanico, in quo Legum Romanarum Authoritas necessario Majestatem Imperii Romani sequitur. In reliquis Principum Christianorum Dominiis difficilior erit Authoritatis Legum Romanarum defensio: dum singuli fere sibi vendicant Supremam Potestatem & libertatem contra Imperium Romanum, & omnes tamen Leges Romanas, licet variis modis, admittunt. De singulis dicemus in sequentibus. Et primo de Principibus Italiæ.

Cap. III.

(76) *Parthen. litigios. lib. 1. cap. 7. n. 24.* (77) *Constit. crimin. Carol. V. cap. ult.*

CAP. III.

De Usu & Authoritate Juris Civilis Romanorum *in Dominiis Principum* Italiæ.

I. ROmam & Italiam fuisse magni illius Imperii Legumque Romanarum sedem & fontem, omnes agnoscunt; eædemque, omni Imperatoris Romani Dominatione exclusa, Romanarum Legum Authoritatem adhuc conservant. Illud demonstrabimus in singulis Italiæ Dominiis: primo quomodo singuli Principes suarum Provinciarum Dominationem, excussa omni Imperatoris Potestate, acquisiverint; & deinceps, quomodo Leges Romanas adhuc admittunt, atque ita, deturbatis sive Jure sive Injuria Imperatorum Romanorum fascibus, Legibus tamen Imperialibus sponte obediunt.

II. Ecclesia Romana possidet in Italia Urbem Romanam cum Territorio; Romandiolam, quam per Exarchos Imperatores Orientis diu tenebant, Marchiam Anconitanam, Ducatum Beneventanum, & Spoletanum, Bononiam, Ferrariam, Urbinum, aliasque plurimas cum Territoriis amplissimis, quæ a multis speciatim recensentur (1), & Civitatem Avenionensem in Gallia cum omni Territorio, quam *Joan-*

(1) *Castald. de Imper. qu.10. & 54. Jo: Fr. Leo. in thesaur. for. eccles. par.1. cap.1. n.22. Molin. de Just. & Jur. tract.2. disp.25. Cardin. Tusch. concl.66. v.Papa, vide Bull. in Cœna Dom.*

na Siciliæ Regina(2)*Clementi VI.* Pontifici Romano ex pactione concessit. Urbs Romana vero cum variis Provinciis illi Sedi accessisse perhibetur ex Donatione sive *Constantini* (3) sive (4) *Ludovici* Imperatoris post *Carolum Magnum*, aliæ ex Donatione *Matildæ* Comitissæ, aliæ ultro se dediderunt, vel ex variis Titulis in Romani Pontificis Dominium pervenerunt. Cum vero anceps semper fuerit disceptatio de Donatione *Constantini*, pro qua vehementer plerumque contendunt Utriusque Juris (5) Interpretes, aliique etiam ausi fuerint eam pari contentione (6) oppugnare; tutius visum est recentioribus quibusdam Jus Sedis Romanæ in Dominiis suis ex præscriptione (7) tueri, cum ea omnia plurimave per octingentos annos a *Carolo Magno* absque interpellatione legitima possederit, eamque a *Ludovici* Imperatoris Donatione etiam invalida incipere posse asserunt.

III. Hinc omnes Jurisconsulti affirmant, Pontificem (8) Romanum esse Dominum Supremum in suis Dominiis Temporalibus; omnia posse facere, quæ Reges in Regnis suis & Imperator in Imperio pos-

(2) *Choppin. lib.1.* de *Doman. Franc. cap.11. n.16.* (3) C. *Constantinus, dist.96.* (4) C. *ego Ludovic. dist.93.* (5) *Card. Alban. ad Bart. in constit.1. ff. Covarr. lib.4. var. resol. cap.16. Castald.* de *Imp. qu.10. Fr. Bursat. cons.124. lib.2.* (6) *Vall. in orat. contr. Donat. Constantin. Bodin. lib.1.* de *Repub. cap.9.* (7) *Fenron. in annot. ad statut. urb. in rub. n.23. Ascan. Tamburin.* de *Jur. Abbatiss. disp.8. qu.10. Card. Bellarm.* de *Rom. Pontif. lib.5. cap.9.* (8) *Bald. cons.353. lib.1. Anchar. cons.142. Panor. cons.82. n.4. lib.1. & cons.61. lib.1. Alex. cons.2. lib.1. Castald.* de *Imper. qu.54. Matth.* de *Afflict. in Constitut. Regn. prælud. qu.2. Card. Tusch. conclus.64. & 66. v. Papa, Card. Put. decis.323. lib.2.*

possunt; non habere in suis Dominiis aut superiorem aut parem: posse Leges generales condere: posse Duces, Marchiones & Comites creare, Feudaque Regalia concedere sicut Principes Supremos: habere intentionem fundatam quoad Jurisdictionem in dominiis suis, sicut alium quemlibet Principem Supremum. E diverso etiam Imperatoris Romani Potestatem adeo esse extinctam (9) in Dominiis Pontificis, ut in iis habendus sit pro privato: non possit Romæ aut in Dominiis Pontificiis existens legitimare, nec alium quemvis actum Jurisdictionis exercere, nec Legem aut Constitutionem generalem promulgare, neque Citationem Verbalem exequi mandare; & ad Urbem Romanam accedentem pro Corona Imperiali accipienda, non posse in ea manere ultra tres dies, & Corona accepta debere infra unum diem Roma (10) discedere. Et ex hoc Dominio Pontificis Romani in Urbe Romæ, Jurisconsulti Romani docent, Delinquentes in aliorum Principum Territoriis, Florentiæ puta vel in Anglia, non esse (11) remittendos, ed Romæ puniendos ex Constitutione Imperatoris *Antonini* (12), qua omnes in Orbe Romano Cives Romani facti sunt; & quia Romam communem esse Patriam constitutum (13) est.

IV. **Præ reliquis omnibus Italiæ Principibus** **aut**

(9) *Bart. in extravag. ad reprimend. num. 9. Bald. cons. 357. lib. 1. Castrens. cons. 200. lib. 2. Card. Tusch. conclus. 64. v. Papa in temporal.*
(10) *Afflict. ad cap. in investitura, in fin. de nov. form. fidelit.* (11) *Oldrad. cons. 124. Petr. Barbos. ad l. 2. §. legatis, ff. de Judic. Farinac. in prax. crimin. qu. 7. n. 12.* (12) *L. in orbe. 17. de stat. hom.* (13) *L. Roma 33. ff. ad Municipal. Anastas. Germon. lib. 3. de sacr. immunit. cap. 8. n. 59.*

aut Populis, Civitas & Respublica Veneta fere libera suique Juris dici potest, quæ ante mille & ducentos annos cœpta & ædificata metu Hunnorum sub Rege *Attila* Italiam invadentium, ab eo tempore Jure Reipublicæ liberæ (14) usa est, quæ duratio sub una Regiminis forma nulli unquam Terrarum Orbis Imperio, Regno, aut Reipublicæ contigit. Ejus vero libertatem ab omni Imperatoris Romani aut alterius Superioris Potestate immunem, Jurisconsulti ex variis titulis defendunt: alii ex Jure Gentium, quod in Mari (15) ædificaretur, quod in nullius dominio erat; alii ex Concessione & Privilegio Imperatorum, quod se sub aurea Bulla vidisse testatur *Albericus* (16) de Rosate; alii ex præscriptione tanti temporis (17), in quo nec Imperatoris Romani, nec alterius Superioris Dominationem unquam recognoverunt, sed naturali libertate sua semper (18) hucusque gavisi fuerint. Veneti enim sub alio Superiore nec de Jure nec de facto unquam fuerunt (ut communiter asserunt Interpretes (19) nostri) & cum *Carolus Magnus* pacisceretur cum *Irene* & *Nicephoro* de Imperii Divisione, utrinque consenserunt, Venetos ab alterutrius Potestate liberos (20) conservan-

dos

(14) *Contaren. lib. 1. de Rep. Venet.* (15) *Bald. ad rubr. ff. de rer. divis. Jas. ad l. ex hoc Jure, de Just. & Jur. Castald. de Imper. quæst. 54.*
(16) *Alber. ad l. 1. n. 20. C. de summ. Trinit.* (17) *Gabriel. in com. concl. lib. 5. tit. 1. Mathear. de via & rat. Jur. cap. 36. Tusch. conclus. 70. num. 3.*
(18) *Bald. consil. 445. lib. 4. Menoch. cons. 2. n. 104. lib. 1. Tusch. concl. 71.*
(19) *Castren. cons. 424. lib. 1. Peregrin. lib. 1. de Jur. fisc. tit. de his qui hab. fisc. Jur. n. 69. Tusch. d. conclus. 71. Arnisæ. lib. 1. de Jur. Majest. cap. 2. n. 4. August. Barbos. ad cap. per venerabilem, n. 27. qui fil. sint legit.*
(20) *Sabell. Ennead. 8. & 9. Sigon. lib. 4. Hist. Ital.*

dos esse; & ut Veneti suis legibus uterentur.

V. Quocirca Dux & Senatus Venetorum sunt Supremi: habent omnia Jura Regalia (21): possunt Leges condere pro arbitrio suo, omniaque Jura Majestatis exercere: & a Duce Venetorum (22) non appellatur, cum Superiorem non habeat; nec enim est vis in nomine Regis, Ducis, aut Consulis (23), modo Supremæ Majestatis Juribus utantur; atque ita Venetiarum Civitatem Novam Romam (24) recte appellant.

VI. Florentini, post Romani Imperii Potestatem extinctam in Italia a Gothis & Longobardis, iisdem diu paruerunt, quibus Italia pulsis, Florentini redierunt (25) in Potestatem Imperatorum usque ad *Rudolphum I.* qui acceptis duodecim millibus (26) aureorum libertatem Florentinis concessit, iidemque ab eo tempore Reipublicæ Jure usi sunt; licet sæpius gubernationis formam mutaverint. Et in ea libertate manserunt usque ad Annum M.D.LXIV. quo *Cosmus Magnus* Dux Hetruriæ constitutus (27) & creatus est a *Pio V.* cum consensu Florentinorum, qui Seditionum & Factionum pertæsi (ut in Populis liberis plerumque fit) non aliam salutis suæ conservandæ rationem, quam in unius Dominatione invenire potuerunt. Et *Pius IV.* statuerat *Cosmum* He-

(21) *Peregrin. de fideicom. art. 52. n. 123. Gig. de crim. læs. Majest. lib. 1. qu. 28.* (22) *Scau. de appell. qu. 16. limit. 11.* (23) *Vasq. illustr. qu. in præfat. n. 119.* (24) *Fulgos. cons. 62 Peregrin. d. n. 123.* (25) *Macchiavell. lib. 1. histor. Florent.* (26) *Platin. in Honor IV.* (27) *Laur. Cherubin. Bullar. in Pio V. constit. 88. Pacian. de probat. lib. 1. cap. 35. n. 69. Loysean. de Seigneur. cap. 2. n. 84.*

Hetruriæ Regem creare (28), ut Filius ejus Viduam Principis *Lusitaniæ* in uxorem duceret, si Rex *Philippus* annuisset: sed *Pius V.* eum creavit Magnum Hetruriæ Ducem cum titulo *Serenissimi* (29) & omni Regia dignitate, etiam reclamante *Maximiliano II.* Imperatore; causaque ad Imperii comitia relata, Creatio *Cosmi* ab Electoribus Germaniæ confirmata est.

VII. De potestate vero Florentinorum & Magni Ducis omnes consentiunt; Florentinos scilicet, dum Reipublicæ Jure usi sunt, neminem Superiorem recognovisse, Leges condidisse, omniaque Jura Regalia Supremorum Principum juste exercuisse, Jurisconsulti illorum Seculorum (30) asserunt; paremque Potestatem jam Magnos Hetruriæ Duces habere, esse Supremos Principes, iisdemque Jura omnia Majestatis competere, Jurisconsulti hujus Seculi (31) testantur.

VIII. Et Respublica Lucensis eadem libertate adhuc gaudet, & simili Concessione libertatis pro duodecim millibus aureorum a *Rudolpho* Habspurgensi Imperatore (32) atque ab eo tempore Lucam fuisse Rempub. Liberam, Jura omnia Supremorum Principum habuisse, & neminem recognoscere Superiorem, Jurisconsulti (33) pariter asserunt. Et porro

(28) *Thuan. histor. lib.* 26. *Laysran. d. cap.* 2. *num.* 84. (29) *Baptist. Adrian. histor. lib.* 20. *Pacian. de probat. lib.* 2. *cap.* 35. *n.* 69. (30) *Bart. in l. hostes, de captiv. & postlim. Castald.* de *Imper. qu.* 54. *Petr.* de *potest. Princip. cap.* 32. *n.* 213. (31) *Rota Vall.* de *Jur. dot. qu.* 3. *n.* 4. *Decian. cons.* 79. *Caball. in resol. crimin. cas.* 99. (32) *Platin. in Honor. IV. Choppin. lib.* 2. de *Deman. Franc. tit.* 1. *n.* 9. (33) *Castald.* de *Imper. quæst.* 54. *Petr.* de *potest. Princ. cap.* 32. *n.* 213.

ro Imperatorem in Ditione Florentina vel Lucensi non posse Legitimare aut alium actum (34) potestatis suæ exercere.

IX. Mediolanenses, ut & reliqui Italiæ Populi, pulsis Longobardis Libertatem obtinuerunt ex pacto cum *Frederico* Imperatore in Pace(35) Constantiæ, eorumque Dominationem primo *Galeatii*, deinde *Sfortiæ* acquisiverunt sub Titulis Vice-Comitum,& postea Ducum;primusque *Joannes Galeatius* Vice-Comes creatus est Dux Mediolani & Vicarius Imperii Anno M. CCC. LXXXXV. a *Ladislao* Imperatore (36); a cujus filia Valentina nupta Duci Aurelianensi Jus Regum Galliæ in eo Ducatu ortum est, quibus postea ejectis per *Sfortias*, *Carolus V.* Imp.Ducatum *Francisco Sfortiæ*(38) restituit; idemque postea caducus factus sub Imperio Regum Hispaniæ ex ejusdem Ducatus titulo jam tenetur.

X. De Duce vero *Mediolani* constans est Jurisconsultorum (38) sententia; eum non recognoscere Imperatorem: posse in suis Dominiis omnia facere quæ potest Imperator, ejusdemque Vicarii munere fungi:habere Potestatem Legum ferendarum, & omnia Jura Majestatis, ut reliquos omnes Supremos Principes. Contra vero Imperatorem esse in iis Dominiis

(34) *Gabriel.in com.coclus.lib.5.conclus.3.* (35) *Tit.de pace Constant. in usib. Feudor.* (36) *Bald.cons.326.lib.2.Card.Tusch.concl.165. n.1.* (37) *Fr.Crass. de orig.Jur. Mediolan.& Constit. Mediolanen. in princ. Camill.Boreli.de Cath. Reg. præstan. cap.46. n.261. Franc. Guicciard. histor. lib.1.* (38) *Bald. cons.359. lib 3. Dec. cons.61. n.10. Castren. cons.34. vol.2. Menoch. cons.2. n.104. & cons.307.lib.2.Jas. ad l.ex hoc Jure,de Just.& Jur. Castald. de Imp.qu.54. Tusch. concl.118.*

miniis Privatum: non posse in iis Jurisdictionem ullam (39) exercere: dici Polum Antarcticum, qui non est nostri Hemisphærii: omniaque Jura Imperialia fuisse in Ducem Mediolani ejusque heredes translata: eundemque posse committere causam judicandam appellatione (40) remota, quod solis Supremis Principibus competit; eademque de causa a Sententia Ducis Mediolani appellari (41) non posse.

XI. Dux vero *Sabaudiæ*, licet in Principatu Pedemontano neminem Superiorem recognoscat, de *Sabaudia* tamen ejus Potestas controvertitur; quod plures afferant eam (42) esse Imperii Feudum, *Sabaudiæque* Comitem fuisse Ducem creatum a *Sigismundo* Imperatore, eundemque esse Imperii Vicarium & Vasallum. Jurisconsulti tamen recentiores omnes (43) affirmant, eundem per Investituram accepisse Supremam & Imperatoriam Potestatem, Ducesque *Sabaudiæ* omnes post primam Investituram fuisse Supremos Principes: Legum ferendarum & omnia Jura Majestatis eos jam habere; eosdemque fuisse investitos de omni Imperio & Jurisdictione, de omnibus Juribus Imperialibus & Regalibus, etiam privative quoad Investientem, *Ozascbus* (44) Senatus Taurinensis Præses ait, & ab iisdem & a Supremis

(39) *Gabriel.concl.3.lib.5.Card.Tusch.concl.165.* (40) *Socin.consil.195.lib.2. Tusch.d.concl.165.n.17.* (41) *Scacc.de appell. qu.16. Limit.11.& 12.* (42) *Bald. consf.217. vol.2 Menoch. cons.2. n.104. lib.1.* *Bodin.lib.1.de Republ.cap.9.* (43) *Rol.a Vall. cons.4. l.b.3. Gabriel conclus.3. lib.5. Tusch.conclus.819. Cam. Borrel.de Cato.Reg.præstan.cap.31. num.24.* (44) *Ozasch.decis.Pedemont.19.num.24.& decis.155. Sola in constit. Sabaud.in proœm. gl.1.*

mis Principibus non posse appellari(45)receptum est.

XII. Genua Caput Liguriæ post expulsos Italia Longobardos per octingentos annos libera fuit & Reipublicæ Jure usa est. Galli tantum superiore seculo ea brevi tempore potiti ab *Andrea Doria* (46) ejecti sunt, Hac libertate fruuntur adhuc Genuenses sub potestate Ducis; in quem tamen & ipsi potestatem habent, cum eum eligant pro biennio tantum, eundemque ex causa possint deponere (47); quia non est a Superiore confirmatus, cum Genuenses Superiorem non habeant. Nam Jurisconsulti Itali (48) attestantur, Genuenses liberos esse a Potestate Imperatoris, posseque Leges condere, & habere omnia Regalia & Majestatis Jura, quæ quidem per Ducem suum exercent; ideoque ab eo, ut a Principe Supremo, appellationem non concedi.

XIII. Ferraria est feudum Ecclesiæ Romanæ(49) quam Illustris Familia Estensium, primo sub Marchionum, deinde sub Ducum Titulis, diu tenuerunt sub annuo Censu usque ad ann. M. D. LXVI. in quo per mortem Alphonsi Estensis Ferrariæ Ducis, nullo herede relicto, Ducatus Ferrariæ omniaque ejus Dominia (50) ad sedem Romanam devoluta, utileque Feudi Dominium cum Directo consolidatum ex Constitutionibus *Pii V.* & *Clementis VIII.* de-

(45) Scacc. de appell. qu. 16. limit. 12. (46) Boz. lib. 3. de stat. Ital. cap. 3. Fr. Guicciard. histor. lib. 19. (47) Bald. cons. 325. lib. 5. Card. Tusch. concl. 1. v. Genuæ Civitas. (48) Bald. cons. 152. lib. 5. Tusch. d. concl. 1. Menoch. resp. 2. caus. finar. art. 1. & cons. 2. lib. 1. (49) Castren. cons. 102. lib. 2. Card. Tusch. v. Ferrariæ Civitas, concl. 95. (50) Laugren. Cherubin. in Bulla. Clem. VIII. const. 52. par. 3.

declarantur. Duces vero Ferrariæ fuisse investitos cum omnibus Juribus, Regalibus & Imperatoriis, fuisse Principes Supremos, potuisse Leges condere, & ab omni potestate Imperatoris liberos, ipsosque habuisse omnia Jura Imperatoris in suis Dominiis, Jurisconsulti (51) similiter affirmant.

XIV. Sedis etiam Romanæ Feudatarii sunt Duces Urbini (52) & Duces Mutinæ (53) & Duces Parmæ (54), habentque Potestatem Supremam in subditos suos, quam in Concessionibus & Investituris suis acceperunt; quibus annumerandi sunt Duces Mantuæ & Marchiones Montisferrati (55) qui ab Imperatoribus in Dominiis suis sunt investiti, pluresque alii sunt Duces, Marchiones, & Comites in Italia, quorum alii ab Imperatoribus, alii a Pontificibus Romanis sunt investiti.

XV. Omnes vero post investituram perpetuam sibi & hæredibus suis, Supremam Potestatem habent in subditos suos, in quos exercent omnia Imperialia & Majestatis Jura, sicuti Jurisconsulti Itali constanter (56) asserunt. Licet enim quoad Investientes, a quibus Feuda acceperunt, dicantur tantum utiliter

ter

(51) *Alex. cons. 84. lib. 1. Ruin. cons. 21. vol. 1. Paris. cons. 1. vol. 1. Bertazzol. cons. 240. lib. 1. Decian. resp. 56. vol. 5. Borrell. de Cath. Reg. præstant. cap. 31. n. 24. Tusch. d. concl. 95. Servin. Playdoy. des biens des Card & Duc. de Ferrar.* (52) *Card. Tusch. concl. 295. v. Urbini Dux.* (53) *Pacian. cons. 149. Tusch. concl. 439. v. Mutinæ Civitas.* (54) *Barbos. ad cap. per venerabilem, n. 73. qui fil. sint legit.* (55) *Rol. a Vall. de Lucr. dot. qu. 3. n. 4. Tusch. concl. 73. v. Mantuæ. Dux, Barbos. ad d. cap. per venerabilem, n. 34.* (56) *Curt. Jun. cons. 61. n. 10. Paris. cons. 99. vol. 1. Menoch. cons. 2. lib. 1. & cons. 302. Decian. cons. 41. vol. 2. Pacian. cons. 149. Petr. de potest. Princ. cap. 3. qu. 4.*

ter possidere Dominia sua, eademque ab iis recognoscant; quoad subditos vero habent eandem potestatem, quam Imperator & Supremi Principes, qui in Subditos suos plenam & directam potestatem exercent, & quoad eos a supremis Regibus & Principibus (57) non differunt; neque enim ratio est habenda nominis, utrum Duces, Marchiones, vel Comites dicantur, modo plena & suprema potestate in subditos fruantur (58), ait *Baldus*. Eos enim licet Feudatarios & Vasallos posse Leges & Statuta Subditis suis (59) condere, & ab eorum sententiis non licere Subditis (60) suis appellare.

XVI. Ita cum omnes Italiæ Principes in Dominiis suis omnes Imperatorum Romanorum potestatem excusserint, Legibus tamen Romanis omnes se submittunt, obedientiamque spontaneam præstant. Quod in singulorum Dominiis breviter constabit, & de singulis dicendum superest.

XVII. Romæ & in Dominiis Sedis Romanæ Jus Civile Romanorum in omnibus causis civilibus ubique observatur. Statuto Urbis Romæ provisum est (61), quod in Urbe ejusque Territorio ex Jure Civili sit judicandum, & non recurratur ad Canones, nisi ubi Jus Civile deficit, quia Jus Civile ibi ortum est, & inde ad alios Populos dimanavit. Et

 Ro-

(57) *Bald. in proœm. ff. n. 11. Petr. de potest. Princ. par. 1. cap. 6. n. 50. Borrell. d. cap. 31. n. 18.* (58) *Bald cons. 328. n. 6. lib. 1. Vasq. controvers. illustr. in præfat. n. 119.* (59) *Petr. de potest. Princ. d. cap. 6. n. 76. Borrell. d. cap. 31. n. 18.* (60) *Bald. in proœm. ff. n. 11. Decian. resp. 56. n. 4. vol. 5. Peregrin. de Jur. fisc. lib. 1. tit. 2. Pacian. conj. 149.* (61) *Statut Urb. Rom. cap. 42.*

Rota Romana in Judiciis causarum non æquitatem Canonicam, sed Jus Civile (62) sequitur, nisi occurrat casus, in quo Jus Civile correctum est per Jus Canonicum; ut in pœnis fœminarum secundo nubentium infra Annum (63) Luctus, quia Jus correctum Juris vim amisit. Ideoque *Margaretha* de S. Cruce nubens *Guidoni* de Baleonibus infra annum Luctus in Rota Romana (64) absoluta fuit. Bononiæ etiam statutum est, quod, ubi Jus Municipale ejus loci deficit, Jus Civile debet (65) observari. Ex Statuto Urbis Anconæ causæ terminandæ sunt primo per Jus (66) Civile, secundo per Jus Canonicum. Et in erectióne Tribunalis Rotæ Marchiæ Anconitanæ constitutum est per *Sixtum V.* solos Juris Utriusque Doctores in Auditores illius Rotæ (67) esse admittendos. Et Avenione in ejus Provinciæ Rota singulariter statutum est (68), causas solum ex Jure Canonico esse decidendas. De cetero ubi Jus Civile deficit, vel in casibus superius expressis, Jus Canonicum in Dominiis Ecclesiæ Romanæ servandum (69) est: sicut a Doctoribus communiter receptum (70) & in Rota Romana sæpius judicatum est; Romæque Professores Jus Civile publice

(62) *Card. Seraphin. decis. 487. & decis. 819. Theod. rubr. in singul. de Interpr. Statut. ex Rot Rom. lib. 6. n. 8.* (63) *Capr. cons. 70. n. 12. Theod. rubr. d. lib. 6.* (64) *Farinac. in decis. crim. lib. 2. decis. 65.* (65) *Statut. Bonon. lib. 6. & ibi Annibal. Monterf. v. Jus civile.* (66) *Ant. de Amat. decis. Rot. March. 59. n. 4.* (67) *Steph. Gratian. in decis. Rot. March. in Bull. Sixti V.* (68) *Hier. a Laurent. decis. Aven. 68. num. 8.* (69) *Fenron. in annot. ad Statut. Urb. cap. 42. n. 4.*

blice docuisse suo Seculo (70) *Andreas*, & *Petr. Ancharanus* testati (71) sunt.

XVIII. Veneti vero ex omnibus aliis Italiæ Populis minime Romanas Leges admiserunt, & ut Libertatem suam primævam contra omnem Imperatorum Romanorum vim & potestatem conservarunt, ita & Legibus semper suis usi sunt; cum hoc summum in omnibus gentibus libertatis sit testimonium, Legibus & Moribus suis uti. Ideo Interpretes nostri dum de Venetis loquuntur, alii dicunt (72) eos regi Consuetudinibus & Jure non scripto; alii Jure Naturali & Gentium (73), atque ita Venetorum testamenta valere coram duobus testibus, & Sententias eorum nunquam transire (74) in rem judicatam, quia volunt posse eas de facto revocare. *Bartolus* vero de Venetis testatur (75) eos manu Regia & pro arbitrio suo judicare: nam & in Statutis Venetorum reformatis sub Duce Venetiarum *Jacobo Theapolo* sancitum est (76), Judices debere causas ex iis Statutis judicare, & si in iis aliqua non decisa occurant (cum sint plura Negotia quam Statuta) Judices debent æquum & bonum ferre ex arbitrio suo, de quo possint coram Supremo Dei Tribunale rationem reddere.

 XIX. Ne-

(70) *Ceph. cons. 586. n. 6. vol. 4. Farinac. decis. crimin. num. 15. lib. 2. decis. Rot. Rom. per Duran. 236. num. 2. par. 1. Montens. a. Statut. Bonon. lib. 6. v. Jus commune.* (71) *Jo: Andr. ad cap. super specula, num. 6. de privil. Anchar. ad cap. cum de diversis n. 3. de excess. Prælat.* (72) *Ant. de Butrio ad cap. super specula, n. 6. de privil. Alber. ad l. 1. C. de sum. Trinit. n. 26.* (73) *Castren. cons. 424. lib. 1. Card. Tusch. conclus. 71. v. Venetorum Civitas.* (74) *Felin. ad cap. qualiter & quando, n. 15. de accusat.* (75) *Bart. in l. rerum, n. 3. ff. rer. amot. Oliban. in comment. de act. lib. 3. cap. 2. n. 9. par. 1.* (76) *Statut. Venet. in proleg.*

XIX. Negari tamen non poteſt, Venetos Jus Civile Romanorum colere & venerari, immeritoque eos ſuperbiæ redarguunt (77) aliqui, quod non dignentur Legibus Imperialibus parere, quia Juris Civilis Profeſſorum ut Aſſeſſorum in Judiciis ſuis opera & Conſilio(78) utuntur, pluresque Sententias Auditorum Venetorum in Scriptis promulgatas ſe Venetiis vidiſſe (79) ait *Decianus*, in quibus Jurisconſultorum reſponſa deſcripta ſunt, quod in Italiæ Civitatibus frequentiſſimum eſt, ut Judices ex conſilio Sapientis pronunciare debeant, atque ita Statutis plurimis cavetur; Judicesque Veneti in appellationibus *Patavinis* (80) ſecundum Jus Civile pronunciare debent; nam & Civitas Patavina Jure Communi regebatur (81), priuſquam in ditionem Venetorum incideret. Et Sereniſſimæ Reipublicæ Venetorum curam de conſervando Jure Civili, unica Academia Patavina demonſtrat, ad quam Clariſſimos Italiæ Juriſconſultos magnis Stipendiis invitant pro docendo Jure Civili, in qua præter alios plurimos Jus Civile nuper profeſſi ſunt *Tib. Decianus, Jacob. Menochius, Franc. Card. Mantica*, & *Anton. Peregrinus*, qui tantum Lucis & Ornamenti Juri Civili attulerunt.

XX. De reliquis Italiæ Dominiis minor eſt dubitatio. Florentini ſe obligatos putant Legibus Imperialibus

(77) *Bolognet. in addit. ad Jo: Anan. conſ. 53.* (78) *Angel. Matheac. de via & rat. Jur. cap. 36.* (79) *Decian. in apolog. ad verſ. Alciat. cap. 9.* (80) *Choppin. de comm. Gall. conſuetud. par. 2. § 4.* (81) *Peregrin. conſil. 63. num. 5. vol. 1.*

perialibus, iisque utuntur, quamvis possint & nolle uti, ait *Castrensis* (82). Et statutum Florentiæ conditum idem statuens cum Jure Civili inutile habetur, quia Jus Civile apud Florentinos est Jus (83) commune. Et in Repub. Lucensi pariter Jus Civile servatur (84), idemque esse Jus commune apud Lucenses Jurisconsulti Lucenses (85) attestantur: eaque de causa Statuta Lucensia mandato Senatus Lucensis a maximis ejus Seculi Jurisconsultis Castrensi & Imola (86) facta & accommodata sunt, esseque ideo intelligenda non ut idiotæ, sed ut Jurisconsulti intelligunt.

XXI. Mediolanum Civitas antiquissima Legibus Romanis diu paruit usque ad Longobardorum Regum Dominium, sub quo per ducentos Annos Legibus Longobardicis regebatur, quibus extinctis per *Carolum Magnum* Jura & consuetudines Feudorum sub illius Successoribus orta sunt, qui immensa Libertate plerasque Italiæ Ditiones sub Ducum, Marchionum, & Comitum Titulis in Feuda concesserunt; eademque per Jurisconsultos Mediolanenses (87) sub *Frederico Barbarossa* Imp. composita sunt, quibus hodie utimur: postea vero Civitate liberata per pactionem *Frederici* in pace Constantiæ, atque iterum a Galeatiis primo, deinde a Sfortiis in potestatem eorum redacta, varia Decreta, Statuta, & Constitutiones editæ sunt usque ad *Carolum V.* Imp. cu-

(82) *Castren. consil. 171. lib. 1. Tusch. concl. 344. v. Princ. Franciæ 9.º n. 12.* (83) *Magon. decis. Florent. 9.º n. 10.* (84) *Tusch. conclus. 445. v. Lucana Civitas.* (85) *Magon. decis. Lucen. 91. n. 10. & decis. 6. n. 5. Cornazzan. decis. Lucen. 236. n. 8.* (86) *Magon. decis. Lucen. 15. n. 48.* (87) *Tit. de feud. cognit. lib. 2.*

jus auſpiciis a *Philippo Sacco*, Senatus Mediolanenſis Præſide, *Fr. Lampugnano*, & *Ægidio Boſſio* Senatoribus & Juriſconſultis inſignibus in unum volumen compoſita ſunt, quæ hodie Jus Mediolanenſe conſtituunt: quæ omnia a *Franc. Craſſo* Juriſconſulto Mediolanenſi (88) exacte recenſentur.

XXII. Has vero Conſtitutiones & Statuta Commentariis illuſtrarunt *Cattellianus Cotta* & *Anton. Rubeus* Juriſconſulti Mediolanenſes (89), quas etiam ad Jus Civile Romanorum ut ad Jus commune in Judiciis accommodant, & ab eo Deciſiones cauſarum in ſtatutis & Conſtitutionibus omiſſarum (90) petunt. Et in Conſtitutionibus Mediolanenſibus ſtatutum eſt, in Senatum Mediolanenſem (qui conſtat uno Præſide & duodecim Senatoribus Juris Civilis Doctoribus, in quibus tres plerumque ſunt Hiſpani) neminem admittendum (91) niſi Juris Civilis Profeſſorem; & in ſingulis Civitatibus Poteſtates debere ſibi aſciſcere quatuor Legum Doctores (92) Aſſeſſores ſuos; & teſtatur *Baldus* (93) Mediolani ſicut & *Patavii* pro Jure Civili docendo Academiam antiquitus conſtitutam fuiſſe.

XXIII. Genuæ Jus dicitur per Judices Rotæ Juris Civilis Profeſſores (plerumque exteros non ſuæ Gentis) ex Statutis & Jure Civili Romanorum (94), ad

(88) *Franc. Craſſ. in libell. de orig. Jur. Mediolan.* (89) *Edit. Bergom. ann. 1594.* (90) *Ruginell. ad conſtitut. Mediolan. de appell. cap. 1. n. 3.* (91) *Statut. Mediolan. cap. 414.* (92) *Statut. Mediolan. rubr. de poteſt. cap. 6.* (93) *Bald. conſ. 77. lib. 5. Tuſch concl. 167. v. Mediolan. Civitas.* (94) *Flamin. Chartar. deciſ. Rot. Gen. 5. n. 16. & deciſ. 1. Rot. Gen. cauſ. execut. num 2.*

ad quod in casibus omissis & pro Statutorum interpretatione recurrunt. Et Duces Mantuæ teneri legibus Imperialibus, a multis traditum est (95), quod ab Imperatore investiti sunt: atque ita in Senatu Mantuæ (96) septem sunt Judices Juris Civilis professores, quorum unus Præsidis locum habet; & Mantuani Jure Civili Romanorum ut Jure suo communi (97) utuntur. Licet vero Duces Mutinæ sint Vasalli Ecclesiæ Romanæ, in omnibus tamen Judiciis Civilibus Jus Civile (98) potius quam Canonicum sequuntur.

XXIV. Duces vero Ferrariæ cum fuerint a Sede Romana investiti, plerumque Jus Canonicum in Curiis suis secuti sunt (99) ex *Cephali* & aliorum Sententia; sed contra eos *Tiberius Decianus* strenue defendit (100) Jus Civile tantum sequendum esse in Civilibus & prophanis causis in Dominio Ferrariæ, cum Duces a Pontificibus fuerint investiti omnibus Juribus Supremorum Principum; atque ideo a Sententiis Judicum Ferrariensium ad Ducem, non ad Pontificem fuisse appellandum; & apud eosdem Jus Civile (101) habet vim Juris communis; atque ideo Ferrariæ, cum Jus Civile & Canonicum contraria sunt, Judices benigniorem partem (102) pro evitatione pœnæ sequi debent.

(95) *Alex. conf. 1. lib. 2. Tusch. concl. 73. v. Mantuæ Dux.* (96) *Avity. in descript. Ducat. Mantuæ, §. gouvernement.* (97) *Bursat. Mantuan. cons. 199. n. 41. lib. 2.* (98) *Angel. cons. 29. Tusch. concl. 439. v. Mutinæ Civitas.* (99) *Ceph. cons. 586. n. 6. vol. 4. Card. Zabar. cons. 2. Tusch. concl. 95. v. Ferrariæ Civitas.* (100) *Decian. resp. 56. vol. 5.* (101) *Bertazzol. cons. 190. n. 3. & cons. 205. n. 6.* (102) *Bertazzol. cons. 465. n. 14. lib. 2.*

XXV. Duces etiam Sabaudiæ Supremos Senatus instituerunt, Camberiaci pro Ducatu Sabaudiæ, Turini pro Principatu Pedemontano, in quibus, ex earum Provinciarum Statutis (103) non alii quam Legum Doctores admittuntur in Præsides, Senatores, & Advocatos, & in iis Jus Civile non esse tantum Jus commune, sed & florescere, præter doctissimas Senatus Pedemontani decisiones, ab Ozascho ejus Senatus Præside editas, solus *Antonius Faber* acutissimus superioris Seculi Jurisconsultus in Codice Fabriano decisionum ejusdem Senatus demonstrat. Et Urbini pariter & Parmæ (104) Jus Civile in Judiciis observatur, nullique præter Juris Civilis Professores ad Jus dicendum admittuntur: & in Dominiis Ducis Urbini illud singulare est (105), quod Advocati possint coram Senatu tantum allegare Leges *Justinianæas*, & ex Doctoribus solos *Accursium*, *Bartolum*, *Baldum*, *Azonem*, *Alexandrum*, *Castrensem*, & *Jasonem*, in criminalibus solum *Angelum de Maleficiis*, Juris Canonici vero Interpretum omnium possunt authoritate uti.

XXVI. Et generaliter apud Jurisconsultos receptum est, Jus Civile Romanorum esse Jus commune (106) in Italia, Italosque post Statuta sua ad Ju-

ris

(103) *Neviran. in sum. Statut. Sabaud n. 3.* (104) *Avity. in descript. Ducat. Parm. §. gouvernement.* (105) *Avity. in descript. Ducat. Urb. §. gouvernement.* (106) *Ant. de Butr. ad cap. super specula, n. 6. & ibi, Jo. Andr. n. 2. de privil. Petr. de potest. Princ. cap. 3. qu. 4. n. 48. Ald. Mascard. de interpret. Statut. conclus. 1. n. 89. Peregrin. cons. 63. n. 5. vol. 1. Carol. Molin. cons. 15. n. 14. Roland. sum. art. Notar. par. 3. §. de Jure civili, Coquil. ad consuet. Nivern. in præfat.*

ris Romani observationem teneri; & decisiones causarum in Italia a Jure Civili Romanorum peti, Libri decisionum in omnibus Italiæ Principum supremis Curiis, quos editos habemus, abunde testantur.

XXVII. Quamvis vero omnes Italiæ Principes & Respublicæ sua Statuta condere soleant, quæ sunt eorum propriæ & Municipales Leges, iisque omnes homines a natura favere solent: Juris tamen Romani tanta est apud eos omnes veneratio, ut ei Leges suas postponant, easdemque per Jus Romanum suppleant, explicent, illustrent & interpretentur; & quoties inter Statuta sua & Jus Romanum repugnantia aut correctio incidit, libentius Statuta sua quam Jus Romanum corrigi patiuntur.

XXVIII. Statuta sunt eæ Leges, quas Municipales Romani appellarunt; quarum ferendarum Jus Municipibus suis (107) concesserunt, qui ad Jus & Munera Civium Romanorum admittebantur. Eorum sæpe mentio est in Legibus (108) Romanis, sed Statuta dici cœperunt a *Frederico* (109) Secundo. Atque ab eo tempore Leges, a Principibus & Civitatibus Italiæ latæ, Statuta dici cœperunt, & idem apud Nos, quod apud Romanos Leges (110) Municipales, denotant. Et unicuique Principi vel Reipublicæ concessum est Leges & Statu-

ta

(107) *Paurmeister. lib. 2. de Jurisd. Imp. Rom. cap. ult.* (108) *L. gradatim. 11. §. etsi leg. de muner. & honor. l. 2. §. Divus, de sepul. violat. l. 2. ff. de novat. l. 1. C. de emanc. liber.* (109) *Auth. Cassa, C. de Sacros. Eccles. Auth. omnes, C. com. de success.* (110) *Alciat. ad l. provincialium 46. n. 3. de verb. sign. Decian. lib. 2. tract. crimin. cap. 32.*

ta(111) condere pro commodis Populi sui in iis, quæ præter Jus commune accidunt, & aliquando in iis quæ Juri communi contraria sunt, quoties salus & utilitas Reipublicæ mutationem postulat. De iis vero, quæ Jure communi disposita sunt, si Statutum idem sanciat, Jus commune sequendum; Statutum vero ut inutile & superfluum (112) rejiciendum est, idemque potius Jus Romanum quam Municipale dicendum est.

XXIX. In ceteris vero si Statuta utiliter disponunt, sunt tamen semper stricti (113) Juris, stricteque interpretanda. Et pro casibus in Statuto omissis recurrendum est ad Jus (114) commune, eademque a Jure communi interpretationem passivam recipiunt (115); puta si de homicidio agat Statutum, intelligendum est secundum Jus commune, modo cum dolo commissum sit. Si Statutum agat de confiscatione bonorum, intelligenda tantum sunt bona Mobilia, non Feuda, & ita in aliis omnibus quæ a Jure communi constituta sunt. Contra vero, Statuta non admittere interpretationem activam a Jure communi(116), ut extendantur ad casus in Statutis non expressos, de quibus in Jure communi Romano constitutum est; eademque si in pluribus Jus commune cor-

(111) *Bart. & Dd. ad l. omnes populi, de Just. & Jur.* (112) *Decian. lib. 2. Tract. crimin. cap. 32. n. 8. Magon. decis. Florent. 98. num. 10.* (113) *Afin. de execut. cap. 1. n. 8. Coquillam d. præfat.* (114) *Grat. dec. Rot. March. 177. n. 9. Amat. decis. Rot. March. 29. num. 23.* (115) *Alder. Mascard. de Statut. interpret. concl. 2. n. 3. Bertazzol. cons. 281. n. 4. lib. 2. & cons. 405. n. 14. lib. 2.* (116) *Bart. ad l. omnes populi, num. 60. de Just. & Jur. Mascard. d. concl. n. 236.*

corrigere possunt, ita esse interpretanda, ut quam minime fieri possit Jus commune (117) corrigant & lædant. Ita enim de interpretatione Statutorum in Dominiis Italiæ Jurisconsulti nostri tradiderunt. De Statuto Florentino *Magonius* & *Asinius* (118) Florentini. De Statuto Lucensi *Corvazzonius* (119) Auditor Lucensis. De Satuto Mediolanensi *Ruginellus* (120) Mediolanensis. De Statuto Ferrariæ *Bertazzol.* (121) Consiliarius Ducis Ferrariæ. De Statuto Placentino *Fulgosius* (122) Placentinus. De Statuto Genuæ (123) *Cartarius* Rotæ Genuensis Auditor. De Satuto Mantuano *Bursatus* (124) Mantuanus. De Statuto Anchonitano *Stephanus Gratianus* (125) Rotæ Marchiæ Auditor. De Statuto Avenionensi *Hieronymus a Laurentiis* (126) Rotæ Avenionensis Decanus. De Statuto Fiviranensi *Cavalcanus* (127) Fiviranensis.

XXX. Et in interpretatione Statutorum Italiæ sæpe orta est controversia, cum una Civitas alteri dominatur, ut Florentia Civitati Pisanæ, Venetiæ Patavio, si Statutum inferioris Civitatis mandat servari Jus commune extra casus in Statuto expressos, an recurrendum sit ad Jus Civitatis Dominantis, eoque deficiente ad Jus Civile Romanorum; an vero so-

(117) *Ant. de Butr. & Dd. ad cap. cum dilectus, de consuet. Mascard. d. n. 236.* (118) *Magon. decis. Florent. 109. num. 6. Asin. de execut. §. 4. c. ip. 82.* (119) *Corvazzon. decis. Lucen. 236. n. 8.* (120) *Ruginell. ad constitut. Mediolan. de appell. cap. 1. n. 3.* (121) *Bertazzol. cons. 201. n. 28.* (122) *Fulgos. cons. 26. n. 71.* (123) *Chartar. decis. Rot. Gen. 5. n. 20.* (124) *Bursat. cons. 189. lib. 2. n. 41.* (125) *Gratian. decis. Rot. March. 5. n. 9.* (126) *Lauren. decis. Aven. 68. n. 8.* (127) *Cavalcan. par. 3. de ult. volunt. decis. 12. n. 12.*

ſolum Jus commune Romanorum intelligatur? Et pro Jure Civitatis Dominantis reſponderunt *Ludovicus* Romanus (128), aliique tradentes, Jus Romanum non eſſe ſervandum, niſi deficientibus Statutis Civitatis ſuperioris. Sed frequentius recepta eſt contraria Sententia (129) in iis ſtatutis intelligi ſolum Jus Civile Romanorum, atque ita Florentiæ ſæpius judicatum fuiſſe aſſerunt.

XXXI. Denique & illud in decus Juris Civilis in Italia cedit, quod tradit *Baptiſt. Aſinius* (130) Juriſconſultus Florentinus, in ſingulis Italiæ Dominiis Exteros & non Subditos teneri tantum ad Statuta locorum in ordinariis, quæ cauſarum forenſium proceſſus inſtruunt; cum in iis etiam per Exteros quaſi contrahatur: in deciſoriis vero eos ex ſolo Jure communi Romanorum obligari.

XXXII. Et facilis quidem eſt probatio, Romanos & Italos Legibus Romanis obligari, quibus ſolis regebantur uſque ad Gothos & Longobardos, qui immani barbarie & Leges Romanas & Literas omnes peſſumdare & obruere contendebant, & ipſum nomen Romanum extinguere nitebantur: verum iis pulſis redierunt Itali ad natívas & proprias Leges, iiſque jam fruuntur. Et quæ hactenus dicta ſunt, eo demum redierunt, ut explicent potiſſimum varios mo-

(128) *Roman. conſ. 218. n. 6. Matheac. de via & rat. Jur. lib. 1. cap. 35. Peregrin. conſ. 63. n. 5. vol. 1.* (129) *Dec. ad c. licet cauſam, de probat. Mandoſ. ad d. conſ. Rom. 218. in addit. Decian. lib. 2. tract. crimin. cap. 23. n. 4. Turamin. ad l. de quibus n. 4 ff. de legib. Maſcard. de interpret. concl. 2. n. 88. Cavalcan. deciſ. 12. num. 8. Burſat. conſ. 189. num. 45. lib. 2.*
(130) *Aſin. tract. de execut. cap. 78. num. 12.*

modos, quibus Italiæ Principes Leges Romanas admiserunt, postquam libertatem & immunitatem ab omni Imperii Romani Dominatione acquisiverant.

XXXIII. Et jam in Galliam transeundum esset, nisi superesset illa Italiæ pars, quæ Apuliam & Calabriam & reliquas Regni Neapolitani partes & Siciliam continet, ex quibus coaluit Regnum Neapolitanum & Siciliæ. Nam Insulæ Italiæ pars Italiæ sunt, & cujusque Provinciæ, ait (131) *Ulpianus*, & Sicilia modico freto ab Italia separata, pars (132) Italiæ habetur. De Regno igitur Neapolitano & Siciliæ proxime dicendum est.

(131) *L. insula 9. ff. de judic.* (132) *Castren. & Dd. in d. l. insulæ; Panzirol. in Notit. Occident. Imper. cap. 53.*

XIX. Negari tamen non poteſt, Venetos Jus Civile Romanorum colere & venerari, immeritoque eos ſuperbiæ redarguunt (77) aliqui, quod non dignentur Legibus Imperialibus parere, quia Juris Civilis Profeſſorum ut Aſſeſſorum in Judiciis ſuis opera & Conſilio(78) utuntur, pluresque Sententias Auditorum Venetorum in Scriptis promulgatas ſe Venetiis vidiſſe (79) ait *Decianus*, in quibus Jurisconſultorum reſponſa deſcripta ſunt, quod in Italiæ Civitatibus frequentiſſimum eſt, ut Judices ex conſilio Sapientis pronunciare debeant, atque ita Statutis plurimis cavetur; Judiceſque Veneti in appellationibus *Patavinis* (80) ſecundum Jus Civile pronunciare debent; nam & Civitas Patavina Jure Communi regebatur (81), priuſquam in ditionem Venetorum incideret. Et Sereniſſimæ Reipublicæ Venetorum curam de conſervando Jure Civili, unica Academia Patavina demonſtrat, ad quam Clariſſimos Italiæ Juriſconſultos magnis Stipendiis invitant pro docendo Jure Civili, in qua præter alios plurimos Jus Civile nuper profeſſi ſunt *Tib. Decianus*, *Jacob. Menochius*, *Franc. Card. Mantica*, & *Anton. Peregrinus*, qui tantum Lucis & Ornamenti Juri Civili attulerunt.

XX. De reliquis Italiæ Dominiis minor eſt dubitatio. Florentini ſe obligatos putant Legibus Imperialibus

(77) *Bolognet. in addit. ad Jo: Anan. conſ. 53.* (78) *Angel. Matheac. de via & rat. Jur. cap. 36.* (79) *Decian. in apolog. ad verſ. Alciat. cap. 9.* (80) *Choppin. de comm. Gall. conſuetud. par. 2. §. 4.* (81) *Peregrin. conſil. 63. num. 5. vol. 1.*

perialibus, iisque utuntur, quamvis possint & nolle uti, ait *Castrensis* (82). Et statutum Florentiæ conditum idem statuens cum Jure Civili inutile habetur, quia Jus Civile apud Florentinos est Jus (83) commune. Et in Repub. Lucensi pariter Jus Civile servatur (84), idemque esse Jus commune apud Lucenses Jurisconsulti Lucenses (85) attestantur; eaque de causa Statuta Lucensia mandato Senatus Lucensis a maximis ejus Seculi Jurisconsultis Castrensi & Imola (86) facta & accommodata sunt, esseque ideo intelligenda non ut idiotæ, sed ut Jurisconsulti intelligunt.

XXI. Mediolanum Civitas antiquissima Legibus Romanis diu paruit usque ad Longobardorum Regum Dominium, sub quo per ducentos Annos Legibus Longobardicis regebatur, quibus extinctis per *Carolum Magnum* Jura & consuetudines Feudorum sub illius Successoribus orta sunt, qui immensa Libertate plerasque Italiæ Ditiones sub Ducum, Marchionum, & Comitum Titulis in Feuda concesserunt; eademque per Jurisconsultos Mediolanenses (87) sub *Frederico Barbarossa* Imp. composita sunt, quibus hodie utimur: postea vero Civitate liberata per pactionem *Frederici* in pace Constantiæ, atque iterum a Galeatiis primo, deinde a Sfortiis in potestatem eorum redacta, varia Decreta, Statuta, & Constitutiones editæ sunt usque ad *Carolum V.* Imp. cu-

(82) *Castren. cons. 171. lib. 1. Tusch. concl. 344. v. Princ. Franciæ 92. n. 12.* (83) *Magon. decis. Florent. 92. n. 10.* (84) *Tusch. conclus. 445. v. Lucana Civitas.* (85) *Magon. decis. Lucen. 91. n. 10. & decis. 6. n. 5. Cornazzan. decis. Lucen. 226. n. 8.* (86) *Magon. decis. Lucen. 15. n. 48.* (87) *Tit. de feud. cognit. lib. 2.*

jus auspiciis a *Philippo Sacco*, Senatus Mediolanensis Præside, *Fr. Lampugnano*, & *Ægidio Bossio* Senatoribus & Jurisconsultis insignibus in unum volumen composita sunt, quæ hodie Jus Mediolanense constituunt: quæ omnia a *Franc. Crasso* Jurisconsulto Mediolanensi (88) exacte recensentur.

XXII. Has vero Constitutiones & Statuta Commentariis illustrarunt *Cattellianus Cotta* & *Anton. Rubeus* Jurisconsulti Mediolanenses (89), quas etiam ad Jus Civile Romanorum ut ad Jus commune in Judiciis accommodant, & ab eo Decisiones causarum in statutis & Constitutionibus omissarum (90) petunt. Et in Constitutionibus Mediolanensibus statutum est, in Senatum Mediolanensem (qui constat uno Præside & duodecim Senatoribus Juris Civilis Doctoribus, in quibus tres plerumque sunt Hispani) neminem admittendum (91) nisi Juris Civilis Professorem; & in singulis Civitatibus Potestates debere sibi asciscere quatuor Legum Doctores (92) Assessores suos; & testatur *Baldus* (93) Mediolani sicut & *Patavii* pro Jure Civili docendo Academiam antiquitus constitutam fuisse.

XXIII. Genuæ Jus dicitur per Judices Rotæ Juris Civilis Professores (plerumque exteros non suæ Gentis) ex Statutis & Jure Civili Romanorum (94), ad

(88) *Franc. Crass. in libell. de orig. Jur. Mediolan.* (89) *Edit. Bergom. ann. 1594.* (90) *Ruginell. ad constitut. Mediolan. de appell. cap. 1. n. 3.* (91) *Statut. Mediolan. cap. 414.* (92) *Statut. Mediolan. rubr. de potest. cap. 6.* (93) *Bald. cons. 77. lib. 5. Tusch concl. 167. v. Mediolan. Civitas.* (94) *Flamin. Chartar. decis. Rot. Gen. 5. n. 16. & decis. 1. Rot. Gen. caus. execut. num 2.*

ad quod in casibus omissis & pro Statutorum interpretatione recurrunt. Et Duces Mantuæ teneri legibus Imperialibus, a multis traditum est (95), quod ab Imperatore investiti sunt: atque ita in Senatu Mantuæ (96) septem sunt Judices Juris Civilis professores, quorum unus Præsidis locum habet; & Mantuani Jure Civili Romanorum ut Jure suo communi (97) utuntur. Licet vero Duces Mutinæ sint Vasalli Ecclesiæ Romanæ, in omnibus tamen Judiciis Civilibus Jus Civile (98) potius quam Canonicum sequuntur.

XXIV. Duces vero Ferrariæ cum fuerint a Sede Romana investiti, plerumque Jus Canonicum in Curiis suis secuti sunt (99) ex *Cephali* & aliorum Sententia; sed contra eos *Tiberius Decianus* strenue defendit (100) Jus Civile tantum sequendum esse in Civilibus & prophanis causis in Dominio Ferrariæ, cum Duces a Pontificibus fuerint investiti omnibus Juribus Supremorum Principum; atque ideo a Sententiis Judicum Ferrariensium ad Ducem, non ad Pontificem fuisse appellandum; & apud eosdem Jus Civile (101) habet vim Juris communis; atque ideo Ferrariæ, cum Jus Civile & Canonicum contraria sunt, Judices benigniorem partem (102) pro evitatione pœnæ sequi debent.

(95) *Alex. conf. 1. lib. 2. Tusch. concl. 73. v. Mantuæ Dux.* (96) *Avity. en descript. Ducat. Mantuæ, §. gouvernement.* (97) *Bursat. Mantuan. conf. 199. n. 41. lib. 2.* (98) *Angel. conf. 29. Tusch. concl. 439. v. Mutinæ Civitas.* (99) *Ceph. conf. 586. n. 6. vol. 4. Card. Zabar. conf. 2. Tusch. concl. 95. v. Ferrariæ Civitas.* (100) *Decian. resp. 56. vol. 5.* (101) *Bertazzol. conf. 190. n. 3. & conf. 205. n. 6.* (102) *Bertazzol. conf. 465. n. 14. lib. 2.*

XXV. Duces etiam Sabaudiæ Supremos Senatus instituerunt, Camberiaci pro Ducatu Sabaudiæ, Turini pro Principatu Pedemontano, in quibus, ex earum Provinciarum Statutis (103) non alii quam Legum Doctores admittuntur in Præsides, Senatores, & Advocatos, & in iis Jus Civile non esse tantum Jus commune, sed & florescere, præter doctissimas Senatus Pedemontani decisiones, ab Ozascho ejus Senatus Præside editas, solus *Antonius Faber* acutissimus superioris Seculi Jurisconsultus in Codice Fabriano decisionum ejusdem Senatus demonstrat. Et Urbini pariter & Parmæ (104) Jus Civile in Judiciis observatur, nullique præter Juris Civilis Professores ad Jus dicendum admittuntur: & in Dominiis Ducis Urbini illud singulare est (105), quod Advocati possint coram Senatu tantum allegare Leges *Justinianæas*, & ex Doctoribus solos *Accursium*, *Bartolum*, *Baldum*, *Azonem*, *Alexandrum*, *Castrensem*, & *Jasonem*, in criminalibus solum *Angelum de Maleficiis*, Juris Canonici vero Interpretum omnium possunt authoritate uti.

XXVI. Et generaliter apud Jurisconsultos receptum est, Jus Civile Romanorum esse Jus commune (106) in Italia, Italosque post Statuta sua ad Ju-

ris

(103) *Neviran. in sum. Statut. Sabaud n. 3.* (104) *Avity. in descript. Duc. di Parm. §. gouvernement.* (105) *Avity. in descript. Ducat. Urb. §. gouvernement.* (106) *Ant. de Butr. ad cap. super specula, n. 6. & ibi, Jo. Andr. n. 2. de privil. Petr. de potest. Princ. cap. 3. qu. 4. n. 48. Ald. Mascard. de interpret. Statut. conclus. 1. n. 89. Peregrin. cons. 63. n. 5. vol. 1. Carol. Molin. cons. 15. n. 14. Roland. sum. art. Notar. par. 3. §. de Jure civili, Coquill. ad consuet. Nivern. in præfat.*

ris Romani obſervationem teneri; & deciſiones cauſarum in Italia a Jure Civili Romanorum peti, Libri deciſionum in omnibus Italiæ Principum ſupremis Curiis, quos editos habemus, abunde teſtantur.

XXVII. Quamvis vero omnes Italiæ Principes & Reſpublicæ ſua Statuta condere ſoleant, quæ ſunt eorum propriæ & Municipales Leges, iiſque omnes homines a natura favere ſolent: Juris tamen Romani tanta eſt apud eos omnes veneratio, ut ei Leges ſuas poſtponant, eaſdemque per Jus Romanum ſuppleant, explicent, illuſtrent & interpretentur; & quoties inter Statuta ſua & Jus Romanum repugnantia aut correctio incidit, libentius Statuta ſua quam Jus Romanum corrigi patiuntur.

XXVIII. Statuta ſunt eæ Leges, quas Municipales Romani appellarunt; quarum ferendarum Jus Municipibus ſuis (107) conceſſerunt, qui ad Jus & Munera Civium Romanorum admittebantur. Eorum ſæpe mentio eſt in Legibus (108) Romanis, ſed Statuta dici cœperunt a *Frederico* (109) Secundo. Atque ab eo tempore Leges, a Principibus & Civitatibus Italiæ latæ, Statuta dici cœperunt, & idem apud Nos, quod apud Romanos Leges (110) Municipales, denotant. Et unicuique Principi vel Reipublicæ conceſſum eſt Leges & Statu-

ta

(107) *Paurmeiſter. lib. 2. de Juriſd. Imp. Rom. cap. ult.* (108) *L. gradatim. 11. §. etſi leg. de muner. & honor. l. 2. §. Divus, de ſepul. violat. l. 2. ff. de novat. l. 1. C. de emanc. liber.* (109) *Auth. Caſſa, C. de ſacroſ. Eccleſ. Auth. omnes, C. com. de ſucceſſ.* (110) *Alciat. ad l. provincialium 46. n. 3. de verb. ſign. Decian. lib. 2. tract. crimin. cap. 32.*

ta(111) condere pro commodis Populi sui in iis,quæ præter Jus commune accidunt, & aliquando in iis quæ Juri communi contraria sunt, quoties salus & utilitas Reipublicæ mutationem postulat. De iis vero,quæ Jure communi disposita sunt, si Statutum idem sanciat, Jus commune sequendum; Statutum vero ut inutile & superfluum (112) rejiciendum est, idemque potius Jus Romanum quam Municipale dicendum est.

XXIX. In ceteris vero si Statuta utiliter disponunt, sunt tamen semper stricti (113) Juris, stricteque interpretanda. Et pro casibus in Statuto omissis recurrendum est ad Jus (114) commune, eademque a Jure communi interpretationem passivam recipiunt (115); puta si de homicidio agat Statutum,intelligendum est secundum Jus commune,modo cum dolo commissum sit. Si Statutum agat de confiscatione bonorum, intelligenda tantum sunt bona Mobilia, non Feuda, & ita in aliis omnibus quæ a Jure communi constituta sunt. Contra vero, Statuta non admittere interpretationem activam a Jure communi(116), ut extendantur ad casus in Statutis non expressos,de quibus in Jure communi Romano constitutum est; eademque si in pluribus Jus commune cor-

(111) *Bart. & Dd. ad l. omnes populi, de Just. & Jur.* (112) *Decian. lib. 2. Tract. crimin. cap. 32. n. 8. Magon. decis. Florent. 98. num. 10.* (113) *Asin. de execut. cap. 1. n. 8. Coquillan d. præfat.* (114) *Grat. dec. Rot. March. 177. n. 9. Amat. decis. Rot. March. 29. num. 23.* (115) *Alder. Mascard. de Statut. interpret. concl. 2. n. 3. Bertazzol. cons. 281. n. 4. lib. 2. & cons. 405. n. 14. lib. 2.* (116) *Bart. ad l. omnes populi, num. 60. de Just. & Jur. Mascard. d. concl. n. 236.*

corrigere possunt, ita esse interpretanda, ut quam minime fieri possit Jus commune (117) corrigant & lædant. Ita enim de interpretatione Statutorum in Dominiis Italiæ Jurisconsulti nostri tradiderunt. De Statuto Florentino *Magorius* & *Asinius* (118) Florentini. De Statuto Lucensi *Corvazzonius* (119) Auditor Lucensis. De Satuto Mediolanensi *Ruginellus*(120) Mediolanensis. De Statuto Ferrariæ *Bertazzol.*(121) Consiliarius Ducis Ferrariæ. De Statuto Placentino *Fulgosius* (122) Placentinus. De Statuto Genuæ (123) *Cartarius* Rotæ Genuensis Auditor. De Satuto Mantuano *Bursatus*(124) Mantuanus. De Statuto Anchonitano *Stephanus Gratianus* (125) Rotæ Marchiæ Auditor. De Statuto Avenionensi *Hieronymus a Laurentiis* (126) Rotæ Avenionensis Decanus. De Statuto Fiviranensi *Cavalcanus* (127) Fiviranensis.

XXX. Et in interpretatione Statutorum Italiæ sæpe orta est controversia, cum una Civitas alteri dominatur, ut Florentia Civitati Pisanæ, Venetiæ Patavio, si Statutum inferioris Civitatis mandat servari Jus commune extra casus in Statuto expressos, an recurrendum sit ad Jus Civitatis Dominantis, eoque deficiente ad Jus Civile Romanorum; an vero so-

(117) *Ant. de Butr. & Dd. ad cap. cum dilectus, de consuet. Mascard. d. n. 236.* (118) *Magon. decis. Florent. 109. num. 6. Asin. de execut. §. 4. c. 1p. 82.* (119) *Corvarron. decis. Lucen. 236. n. 8.* (120) *Ruginell. ad constitut. Mediolan. de appell. cap. 1. n. 3.* (121) *Bertazzol. cons. 201. n. 28.* (122) *Fulgos. cons. 26. n. 71.* (123) *Chartar. decis. Rot. Gen. 5. n. 20.* (124) *Bursat. cons. 189. lib. 2. n. 41.* (125) *Gratian. decis. Rot. March. 5. n. 9.* (126) *Lauren. decis. Aven. 68. n. 8.* (127) *Cavalcan. par. 3. de usu. volunt. decis. 12. n. 12.*

ſolum Jus commune Romanorum intelligatur? Et pro Jure Civitatis Dominantis reſponderunt *Ludovicus* Romanus (128), aliique tradentes, Jus Romanum non eſſe ſervandum, niſi deficientibus Statutis Civitatis ſuperioris. Sed frequentius recepta eſt contraria Sententia (129) in iis ſtatutis intelligi ſolum Jus Civile Romanorum, atque ita Florentiæ ſæpius judicatum fuiſſe aſſerunt.

XXXI. Denique & illud in decus Juris Civilis in Italia cedit, quod tradit *Baptiſt. Aſinius* (130) Juriſconſultus Florentinus, in ſingulis Italiæ Dominiis Exteros & non Subditos teneri tantum ad Statuta locorum in ordinariis, quæ cauſarum forenſium proceſſus inſtruunt; cum in iis etiam per Exteros quaſi contrahatur: in deciſoriis vero eos ex ſolo Jure communi Romanorum obligari.

XXXII. Et facilis quidem eſt probatio, Romanos & Italos Legibus Romanis obligari, quibus ſolis regebantur uſque ad Gothos & Longobardos, qui immani barbarie & Leges Romanas & Literas omnes peſſumdare & obruere contendebant, & ipſum nomen Romanum extinguere nitebantur: verum iis pulſis redierunt Itali ad nativas & proprias Leges, iiſque jam fruuntur. Et quæ hactenus dicta ſunt, eo demum redierunt, ut explicent potiſſimum varios mo-

(128) *Roman. conſ. 218. n. 6. Matheac. de via & rat. Jur. lib. 1. cap. 35. Peregrin. conſ. 63. n. 5. vol. 1.* (129) *Dec. ad c. licet cauſam, de probat. Mandoſ. ad d. conſ. Rom. 218. in addit. Decian. lib. 2. tract. crimin. cap. 23. n. 4. Turamin. ad l. de quibus n. 4 ff. de legib. Maſcard. de interpret. concl. 2. n. 88. Cavalcan. deciſ. 12. num. 8. Burſat. conſ. 189. num. 45. lib. 2.*
(130) *Aſin. tract. de execut. cap. 78. num. 12.*

modos, quibus Italiæ Principes Leges Romanas admiſerunt, poſtquam libertatem & immunitatem ab omni Imperii Romani Dominatione acquiſiverant.

XXXIII. Et jam in Galliam tranſeundum eſſet, niſi ſupereſſet illa Italiæ pars, quæ Apuliam & Calabriam & reliquas Regni Neapolitani partes & Siciliam continet, ex quibus coaluit Regnum Neapolitanum & Siciliæ. Nam Inſulæ Italiæ pars Italiæ ſunt, & cujuſque Provinciæ, ait (131) *Vlpianus*, & Sicilia modico freto ab Italia ſeparata, pars (132) Italiæ habetur. De Regno igitur Neapolitano & Siciliæ proxime dicendum eſt.

CAP. IV.

(131) *L. inſula 9. ff. de judic.* (132) *Caſtren. & DD. in d. l. inſulæ; Panzirol. in Notit. Occident. Imper. cap. 53.*

CAP. IV.

De Usu & Authoritate Juris Civilis Romanorum *in Regno* Neapolis & Siciliæ.

I. REgnum Neapolitanum (quod complectitur Apuliam, Calabriam, aliasque Italiæ Provincias) una cum Sicilia, continet mediam Italiæ Partem (1), & Italia Orientalis dici potest. Neapolitani vero & Siculi in fide Populi & Imperatorum Romanorum constanter manserunt usque ad Honorium Imperatorem, circa Ann. Christi CCCC.XII. quo tempore Gothi (2) eos debellarunt: & post eos Longobardi (3) per ducentos Annos iis dominati sunt, usque ad *Carolum Magnum*, qui extincto Longobardorum Imperio in Italia, hujus Regni successionem (4) Imperatoribus Græcis reliquit, qui a Saracenis spoliati circa Annum DCCCC. XXIX. eosdem a Normannis postea spoliandos demandarunt, e quibus *Guiscardus* & *Rogerius* hoc Regnum adepti sunt (5) ex Donatione *Hadriani IV.* Pontificis Romani Anno M. C. LXXXVI. qui ab eo tempore anteaque hujus Regni concessionem in Feudum

(1) *Magin. ad Ptolom. Geograph. lib. 2. cap. 14.* (2) *Procop. lib. 1. histor. Goth. Mich Ritius de Regn. Sicil. Freber. in edit. Jur. Græc. Rom. in epist. ad Rudolph. II. Imp.* (3) *Paul. Warnefud. de reb. gest. Longobard. lib. 1. Mich. Ritius de Regn. Sicil. Decia*[illegible] *in apolog. advers. Alciat. cap. 8. Freber. in d. epist. ad Rud. Imp.* (4) *Colenucc. lib. 2. histor. Neapol. cap. 1. 2. 3. Paul. Warnefud. de gest. Longobard. lib. 1. 2. 6.* (5) *Colenucc. lib. 2. histor. Neapol. cap. 3.*

dum Sedi suæ vendicabant; cum interea tamen Imperatores Constantinopolitani aliquam hujus Regni partem sub Imperio suo (6) tenuissent.

II. Normannorum sobole extincta, *Henricus VI. Frederici Ænobarbi* filius in hoc Regno successit ex concessione *Celestini III.* Anno M.C.LXXXXI. post quem aliqui Imperatores successerunt. E quibus Conrado mortuo, cum *Manfredus* Nothus ejus frater Regnum sine Authoritate Pontificis occupasset Anno M. CC. LIV. ad eum oppugnandum *Urbanus IV.* Regem creavit *Carolum* (7) Andegavensem *Ludovici* Galliæ Regis fratrem, a quo *Manfredus* Regno & vita spoliatus est. *Caroli* Posteri successerunt usque ad *Ladislaum* Andegavensem, cujus soror *Joanna* Regni heres adoptavit *Ludovicum* Andegavensem, & deinceps Alphonsum (8) Arragoniæ Regem, qui in Regno successit, idemque reliquit Filio, & Successoribus usque ad Ferdinandum, qui a *Carolo VIII.* & *Ludovico XII.* Galliæ Regibus Regno pulsus est; & post hoc brevi intervallo *Ferdinandus* Arragoniæ Rex ducta *Isabella Castellæ* Regina hoc Regnum virtute Magni Consalvi (9) recuperavit, & mortuus Anno M.D.XVI. *Carolo V.* & Hispaniæ Regibus transmisit, qui hujus Regni possessione & Jure adhuc potiuntur.

III. Utrique vero & Andegavenses & Arragonii & an-

(6) *Colenucc. d. lib. 2. cap. 4.* (7) *Colenucc. d. lib. 2. cap. 5. 6. Thuan. hist. l. 1. Chopp. l. 2. de doman. Franc. tit. 1. n. 12. Ant. de Nigr. in constit. Regn. in prælud. n. 11.* (8) *Colenucc. d. cap. 5. Bodin. lib. 1. de Rep. cap. 9.* (9) *Thuan. histor. lib. 1.*

& ante eos Normanni hoc Regnum ex concessione Romanorum Pontificum semper adepti sunt, quod inter Feuda Romanæ Sedis ab omnibus (10) enumeratur, & Romanæ Ecclesiæ obtigit, sive ex donatione *Constantini* (11), sive ex concessione earum Civitatum & Provinciarum, quæ ab *Othone I. Joanni XII.* donatæ (12) sunt. Et hac Ratione hoc Regnum recensetur in Patrimonio *D.Petri*, appellatur Feudum (13), Feudum Ecclesiæ a Pontificibus Romanis Jure beneficii concessum, Emphyteusis (14) Ecclesiæ (unde succedunt in eo Fœminæ ut in Emphyteusi). Reges hujus sunt Vassalli & Ligii (15) Sedis Romanæ, & obnoxii juramento fidelitatis (nisi illius juramenti relaxatio per *Celestinum III.* facta Successoribus etiam prosit, de quo quærit (16) *Cujacius*) Investituram accipiunt sub Annuo censu Ecclesiæ Romanæ præstando, (qui aliquando fuit XLVIII. millium ducatorum Annuorum, postea in unum equum sive (17) Achiream conversus) per quam utile Dominium tantum adipiscuntur, directo Dominio penes Ecclesiam Romanam (18) manente, & ex hoc Regno) Pontifices sæpe concesserunt Feuda (19) Baronibus

(10) *Afflict. decis.282. Grammat. decis.1.n.21. Card. Tusch. v. Rex Neap. concl.346. Chopp:n. d. tit.1. num.12. Bodin. d. lib.1. cap.9. Ant. de Nigr. in constit. Regn. Neap. in præl ud. n.11. Arnis.e. de Jur. Majest. lib.1. cap.5.* (11) *Afflict. in constit. Neap. in prælud. quæst.24. num.1.* (12 *Jo:Franc. Leo in Thesaur. for. eccles. par.1. cap.12. n.8. Tusch. v. Rex. Sicil. concl.351. & in v. Rex Apuliæ, concl.391.* (13) *Card. Tusch. d. conclus.351.* (14) *Tu-* (15) *Franc. Guicciard. lib.1. histor. Bodin. d. lib.1. cap.9. Ant. de Nigr. in d. prælud. n.11.* (16) *Cujac. ad cap. veritatis 14. de jurejur.* (17) *Socin. Jun. cons.126. n.39. lib.3. Mar. Muta in capitul. Regn. Sicil. in proœm. Reg. Jacob.* (18) *Tusch. d. concl.351.* (19) *Afflict. dec.282. n.11. Tusch. v. Rex Neap. concl.346. num.11.*

ronibus ejusdem Regni; & Reges non possunt exercere Jurisdictionem in Clericos hujus Regni, nisi de Feudo (20) agatur. Et Bannitus Neapoli habetur pro Bannito in omnibus Ecclesiæ Romanæ (21) Dominiis, quia est de Districtu Ecclesiæ; & Reges habent Jurisdictionem in hoc Regno a Romana Ecclesia, eamque ob causam *Franciscus I.* Galliæ Rex monuit Cardinalem Bibirnum (22) Pontificis in Gallia Legatum, ne Pontifex pateretur *Carolum V.* Imperatorem assumere Titulum Regis Neapolis & Siciliæ, quod illud Regnum Sedis Romanæ Feudum esset.

IV. Hæc vero de Dominio Civili intelligenda sunt, non de illa potestate quam hi Reges in Regno Siciliæ vendicant, de qua egit Cardinalis *Baronius XI.* Tomo Annalium suorum, quem *Philippus* Hispaniæ Rex a Subditis suis teneri Edicto suo Anno M.DC.X. gravibus pœnis (23) prohibuit.

V. Reges vero Neapolis & Siciliæ esse liberos ab omni Imperatoris Potestate, sicut & plerosque Europæ Principes, habendos esse in hoc Regno pro Imperatoribus & Monarchis, habere Jura Supremorum Principum, omnes (24) agnoscunt; eosdemque,

L quam-

(20) *Grammat. decis. 61. n. 17. Tusch. in loc. cit.* (21) *Farinac. in pract. crimin. qu. 103. n. 24.* (22) *Laysean. des signeur. cap. 2. num. 82.* (23) *Edict. Philipp. II. contr. Card. Baron. Avity. in Geograph. tit. de Sicile.* (24) *Afflict. in Constit. Neapol. in prælud. qu. 20. n. 1. & decis. 128. n. 4. Ant. de Nigr. ad capit. Regn. in prælud. n. 10. & 31. Ant. Surgens lib. 1. de Neap. illustrat. cap 14. Peregrin. cons. 4. n. 6. lib. 1. Tusch. v. Rex Apul. concl. 340. Marin. Frecc. de subfeud. lib. 1. de orig. Baron. num. 35. Carol. de Grass. de except. excep. 1. n. 11. Thuan. histor. lib. 1. Borrell. de Cath. Reg. Præstan. cap. 31. num. 20.*

quamvis investitos a Pontifice, quoad Subditos suos exercere Jura Supremorum Principum, & posse Leges contra Jus Romanum (25) constituere: iidem tamen Leges Romanas admiserunt, non ex Imperatorum Potestate, sed vi rationis. Et recte arguit *Andr. de* (26) *Isernia*, non valere Argumentum, hujus Regni Incolas non teneri Romanis Legibus, quia Imperatorum Dominationi subditi non sint.

VI. Inter has Dominantium Mutationes Leges Romanæ solæ valebant usque ad Imperium Gothorum, qui Legibus & Literis infesti nullas in Italia Leges relinquebant. Longobardi vero cum Italis (27) humanius agebant, multa pietatis suæ testimonia in Ecclesiam Romanam reliquerunt, multasque Leges condiderunt, quas Capitularia *Caroli* appellari dicit *Alvarottus* (28). Eædemque ita invaluerunt, ut post deletos Longobardos *Carolus Magnus* eas in Italia conservaverit, iisdemque *Carolus Magnus* & Imp. insequentes & Reges hujus Regni postea varias Constitutiones suas adjecerint, Legesque Longobardicas *Carolus* Rex hujus Regni in unum librum congessit, qui adhuc extat. Leges vero Longobardorum Rotharis eorum Rex, primo scriptis (29) mandari jussit Anno DC. XLIV, multæque harum Legum reliquiæ in Italia & præsertim in hoc Regno (30) adhuc manent; harumque Legum æquitatem

(25) *Afflict. in d. prælud. qu. 2. Ant. de Nigr. in d. prælud. num. 31. 32.* (26) *Andr. de Isern. ad 1. Constit. Neapol. in proœg. n. 2.* (27) *Cod. leg. antiquar. par. 1. post præfat.* (28) *Alvarot. in proœm. feud. n. 15 Choppin. de doman. Franc. par. 2. §. 4.* (29) *Ciron. lib. 5. observ. Jur. Canon. cap. 3.* (30) *Ciron. d. cap. 3.*

tem & prudentiam *Andr. de Isernia*, aliique plurimi (31) in multis laudarunt, multasque Leges Longobardicas refert Hostiensis (32) eam ob causam in Jus Canonicum relatas & Canonizatas fuisse.

VII. Longobardi tamen inter suas Leges etiam Romanas colueruut, & in multis observarunt (33) usque ad *Carolum Magnum*, qui eodem studio Jus Romanum & Codicem *Theodosianum* (34) confirmavit, & in Longobardorum Regno totaque Italia Jus Romanum, præsertim in Successionibus, Contractibus, & Jurejurando observari (35) jussit; & Subditis suis in Italia libertatem indulsit, qua Lege vivere vellent (36), Longobardica an Romana, eandemque libertatem concessit in Gallia, ut utra vellent Lege Salica vel Romana, uterentur.

VIII. Ita Leges Longobardicæ in Italia & in hoc Regno valebant usque ad *Lotharium* Imperatorem, a quo Jus Civile Romanorum restitutum tantam sui admirationem apud omnes excitavit, ut ab eo tempore Jurisconsulti nostri Leges Longobardorum contemnere videantur; & quoties in earum mentionem incidunt, Jus Longobardorum barbarum, Asininum, Lex sine ratione, Fæx non Lex, per homines barbaros & ratione carentes conditum

 ab

(31) *Andr. de Isern. super feud. passim. Jul. Ferret. in annot. ad Bart. de differen. Jur. civil. & Longobard. ad rubr. Molinæ. ad consuet. Parisien. tit. 1. n. 37. Kranz. in Dania. lib. 3. cap. 22.* (32) *Hostien. ad cap. Raynutius, n. 30. de testam.* (33) *Jul. Ferrett. in d. rubr. ad Bart.* (34) *Ciron. d. lib. 5. cap. 4. & 7.* (35) *Ciron. d. cap. 4. & 7.* (36) *Christinæ. dec. Belg. 212. n. 76. vol. 4. Ciron. d. lib. 5. cap. 4.*

ab iis (37) appellatur, idemque ex ea causa ab Aula recessisse & in desuetudinem abiisse (38) affirmant. Extincto enim Longobardorum Imperio in Italia, & leges eorum exterminatas fuisse (39) censendum est. Atque ita, si reliquiæ hujus Juris Longobardici supersunt, in iis tantum locis manent, ubi Consuetudine receptæ sunt, neque vim habent a ratione, sed a Consuetudine, quæ precariam vim solam habet, & a Legis Imperio pendet (40), per quam potest revocari.

IX. Ex his constat, magnam semper fuisse Juris Romani in hoc Regno authoritatem, quod Longobardi in multis Legum suarum articulis secuti sunt, & *Carolus Magnus* ejusque Successores confirmarunt, & Pontifices Romani hujus Regni Dominium adepti, non mutarunt; quod licet pro Potestate sua facere potuissent, cum tamen non mutaverint, ad Reges per eos investitos cum his Legibus Regnum (41) transivit; easdemque hi Reges consensu suo confirmarunt, exceptis solum iis casibus, in quibus Juri Romano, vel Consuetudine vel Constitutionibus Regum est derogatum.

X. Quamvis vero Leges Longobardicæ in aliquibus hujus Regni locis observentur, ut Salerni, Amal-

(37) *Luc. de Penn. ad l. conductores, C. de conductor. Isern. in prælud. feud. qu. 2. n. 35. Caravit. super rit. Magn. Cur. Vicar. rit. 292. n. 2. Maran. cons. 27. n. 7. Fab. de Ann. cons. 28. Christinæ. d. decis. 212. n. 76.* (38) *Alvarott. in proœm. feud. n. 15. Fab. de Ann. d. cons. 28. Maran. disp. 2. n. 10. Christinæ. d. dec. 212.* (39) *Bald. ad cap. translati, de constit. Christinæ. d. n. 76.* (40) *Bart. & Dd. ad l. de quibus, ff. de legib.* (41) *Afflict. ad constit. Neapol. in prælud. qu. 20. num. 1. Jul. Ferrett. in addit. ad Bart. in d. rubr.*

Amalphi, & alibi, non tamen habent aliam vim quam ex Consuetudine. Ideoque affirmanti, Civitatem aliquam uti Jure Longobardico, incumbit (42) probatio, sicut ea, quæ sunt facti, semper probari debent; pro Jure enim Romano communi præsumitur. Et Longobardorum Jus in hoc Regno censetur(43) speciale, Romanum vero commune, cui, ut generi per speciem, derogari non potest; cum receptum sit in diversis Legibus generi per speciem(44) non derogari: tantoque potentius est Jus Romanum Longobardico, ut in aliquibus Articulis veluti in successionibus Jus Romanum(45) ubique in Regno valeat; & in iis locis, in quibus Jure Longobardico utuntur, in casibus non expressis in Jure Longobardico ad Jus Romanum ut ad Jus Commune(46) recurrunt, & ab eo Juris Longobardici ambigui vel obscuri Interpretationem (47) petunt.

XI. Inter omnes etiam hujus Regni Leges quamvis prima Authoritas deferatur a Regibus Constitutionibus suis, cum sint Supremi Principes, Legesque condere, abrogare, & mutare possint, eamque ob causam multi asserant eas esse Jus commune (48)

(42) *Luc. de Penn. in d. l. conductores, Isern. in prælud. feud. qu. 2. n. 35. Maran. cons. 34. n. 1. Fab. de Ann. cons. 28. n. 10. Caravit. rit. 292. num. 3. Christinæ. d. dec. 212. Carol. Tapia. lib. 1. de Jur. Regn. Neapol. ad constit. puritatem in annot. v. 6. Andr. Molfes. ad cons. Neap. n. 2. qu. 29. num. 14.*
(43) *Afflict. ad constit. puritatem, n. 8. Luc. de Penn. ad d. l. conductores.*
(44) *L. Sanctio legum 41. ff. de pœn. Dec. ad l. toto Jure, n. 10. ff. de reg. Jur. Dyn. ad cap. generi, de reg. Jur. in 6.* (45) *Maran. cons. 27. num. 7. 8.*
(46) *Afflict. ad constit. obscuritatem, rubr. 40. Jul. Ferret. ad Bart. in d. rubr. Christinæ. d. decis. 212. n. 76.* (47) *Afflict. ad d. constit. obscuritatem, Ferret. ad d. rubric.* (48) *Ant. de Nigr. in constitut. Regn. in præludi. n. 33. Maran. d. cons. 27. num. 7. Fab. de Ann. cons. 28. n. 11.*

hujus Regni ; frequentius tamen Juriſconſulti Neapolitani & Siculi affirmant , Jus Civile Romanorum eſſe Jus commune (49) hujus Regni ; & hi Reges , Conſtitutiones ſuas ad Jus Civile Romanorum reduci, & ab eo interpretationem accipere (50) mandaverunt. Ideoque non extendi ultra caſus in iiſdem (51) expreſſe nominatos, atque ita in Conſtitutione contra Delinquentes non puniri Mandantes : itaque eſſe interpretandas Conſtitutiones ſuas , ut quam minime fieri poſſit, Jus Romanum corrigant & lædant, & in caſibus omiſſis in Conſtitutionibus ſuis ad Jus Civile Romanorum (52) recurrendum eſſe .

XII. Denique cum *Fredericus* Rex in Conſtitutione ſua Anno M.CC.XXI. mandaverit (53) Jus dici in hoc Regno primo ex Regum Conſtitutionibus , deinde ex Conſuetudinibus locorum , poſtea ex Jure Longobardico , & demum ex Jure Romano , eam Conſtitutionem relative & qualificative (ut loquuntur) (54) interpretantur , ut in iis ſolum Civitatibus & locis Jus Longobardicum Romano præferatur,in quibus Jure Longobardico ex conſuetudine utuntur . Et cum aliæ Conſtitutiones Regni ju-

(49) *Afflict. ad conſt. purit. n.8. Maran. d.n.7. Ant Surgens lib.1. de Neap. illuſtrat. cap.17. n.10. Gaſp.de Leo conſ 77.n.17. inter conſil.diverſ. Fab.de Ann.conſ.28. n.10. Chriſtinæ. d.decſ.212. n.76. Paul. Balearon. ad lib.Feud.in præl.ud. quæſt.3.* (50) *Afflict.ad conſtit.Neapol. in prælud. qu.20. Surgens d.cap.17. n.10. Ant.de Nigr. ad capit.Regn.in prælud.n.33. & 45.* (51) *Ant.de Nigr.d.n.33.* (52) *Gloſſ.in conſtit.pœnam eorum & ibi Afflict. Ant.de Nigr.in c.prælud.num.46. Burg.de Paz. ad l.1. Taur. n.577.* (53) *Conſtit. purit. in conſtit. Regn. Neapol.* (54) *Afflict. in d.conſtit. puritat. num.8. & in conſtit. Juris gentium , num.26. Maran. conſ.27. num.7.*

jubeant caufas dijudicandas effe fecundum Conftitutiones, Confuetudines,& Jura (55), communis earum eft Interpretatio, in iis denotari primo Jus Romanum ante Longobardicum, tum ob excellentiam ejufdem, tum quod Jus Romanum hujus Regni Jus commune (56) fit.

XIII. Ex his conftat, quæ fit Authoritas Juris Civilis Romanorum in Dominiis Principum Italiæ. Jam de ejufdem Authoritate in Gallia quærendum erit, de qua in fequenti Capite.

(55) *Afflict. ad conftitut. Juris gentium, num.26. & in prælud.q.20. Chriftinæ. d.decif 212.n.76.* (56) *Luc.de Penn.ad d.l.conductores, Afflict. in d. conftit. Juris gentium, num.26. Burg. de Paz. ad d.l.2. Taur. num.521. Ant. de Nigr. in d.prælud. num.45.*

CAP. V.

De Ufu & Authoritate Juris Civilis Romanorum *in Regno* Galliarum.

I. SUperatis Alpibus devenimus ad ampliffimum Galliarum Regnum, e quo dum Galli contendunt Imperatorum Romanorum Dominationem & Legum Romanarum Authoritatem excludere, easdem interea præ omnibus aliis Gentibus exornarunt, folique Galliæ Jurifconfulti fuperioris feculi, incipiendo a *Gulielmo Budæo*(ut antiquiores taceam)tanto in Leges Romanas ftudio incubuerunt, tantamque literarum omnium Græcarum, Latinarum, Juris

humani Divinique omnis cognitionem ad eas illustrandas attulerunt, ut a Theologis reliquarumque Scientiarum omnium Possessoribus se superari passi non fuerint. Et Jurisprudentia Romana, si apud alias gentes extincta esset, apud solos Gallos reperiri posset. In usu porro Forensi tanta est Fori Gallici eloquentia, ut sola Romana sit posterior, & ad illam admirandam Fori Romani eloquentiam proxime accedat. Ignea siquidem Gallorum ingenia penetrant omnia, ut ad quodcunque se intendant, sive Artes sive Eloquentiam, sive Arma, felicissime(1) assequantur.

II. Sed, dum de legibus Romanis in Gallia agimus, quærendum primo, quamdiu fuerit Gallia sub Imperio Romano: & deinceps de Romanis Legibus, quomodo apud Gallos in usu olim fuerint, & modo habeantur.

III. Inter Romanos & Gallos ante *Julium Cæsarem* varia bella gesta sunt & ancipiti Marte sæpe pugnatum. Unde a rerum Romanarum Scriptoribus traditum (2) est, Romanos cum ceteris gentibus de gloria, cum Gallis de salute certasse. Et cum certa ætas pro stipendiis faciendis esset definita, in bello Gallico nec Sexagenarii nec Sacerdotes Militia soluti erant. Tandem vero *Julius Cæsar* post decennale bellum universam Galliam sub Imperium Romanum redegit, Gallique communi orbis Terrarum fato Romanis cedere coacti sunt. Ante *Julium Cæsarem, Occitania,*

(1) *Scalig. contr. Cardan.* (2) *Thuan. histor. lib. 1. ex Salust.*

citania, Provincia *Delphinatus* & Sabaudia erant in Provinciæ formam (3) redactæ a Romanis, & Magistratus annuos cum mero Imperio Roma missos accipienbant; & postea universa Gallia a *Cæsaris* ætate Romanis Imperatoribus paruit, primo a Legatis & Proconsulibus, post *Constantinum* a Præfectis Prætorii Galliarum & Vicariis Galliarum administrata usque ad *Honorium* Imperatorem (4), qui Vandalorum, Alanorum, & postea Gothorum armis oppressus, *Athaulpho* Gothorum Regi Aquitaniam & Narbonensem cedere (5) coactus est; eidemque cessit sub pacto, ne in Italia pedem figeret. Et sub ejus Imperio *Franci Rheno* trajecto, Galliam ingressi sunt, & Regem suum *Pharamundum* constituerunt circa annum Christi CCCC.XX. cujus Posteri & Successores Gallorum Monarchiam adhuc possidet.

IV. Romanorum tamen dominatio non fuit extincta in Gallia usque ad Clodoveum, qui occiso Præfecto Prætorii, Imperatoris vindictam metuens, Romanos milites & Magistratus omnes Gallia expulit(6)circa annum Christi CCCC.LXXXVIII.& sub eo cœpit Regnum Franco-Gallorum (7) quod adhuc in Gallia manet & efflorescit. Atque ita Romanorum potestas in Gallia ad Francos translata est, sed pari injustitia. Neque enim Romanis aut Francis justa fuit bel-

(3) *Maynard. decis. Tholos. 98. num. 4. lib. 4. idem in qu. de droict. esent. lib. 7. cap. 26.* (4) *Pancirol. ad notit. Imper. Occident. cap. 68. Franc. de Amay. ad l. præcipimus, C. de Canon. Largit. lib. 10.* (5) *Jornand. de reb. Goth. cap. 30. Ant. Dominic. de prærog. allod. cap. 5.* (6) *Hottoman. de antiqu. Jur. Regn. Gall. lib. 2. cap. 2. Anth. Fontan in Edict. & ordin. Reg. tom. 1. in præfat.* (7) *Thuan. lib. 1.*

bellorum causa in Gallos,& qui horum bellorum causas examinant,utrinque justitiam desiderant,& Francos non habuisse justam Galliæ invadendæ causam (8) afferunt.

V. Quamvis vero *Johannes Igneus* & aliqui Jurisconsulti Gallici, præ nimio libertatis Patriæ tuendæ studio, tradant (9) Galliam nunquam fuisse Romano Imperio subditam, neque Romanos Galliam per decem annos continuos unquam possedisse; atque ea de causa Gallos non habuisse patriam potestatem in liberos Romano Imperio (10) subditos: communiter tamen fatentur Scriptores Gallici (11), Romanos Imperatores Gallis, ut Subditis suis, dominatos fuisse usque ad *Honorium*(12),& ex eorum jussu & Imperio Romanorum Lingua & Legibus usos fuisse Gallos usque ad tempora *Francisci I.* Galliamque inde alteram Romam habitam fuisse;quod & clarissime constat ex rescriptis Imperatorum ad Præfectos, Proconsules, & Legatos suos in Galliam (13) transmissis, quæ in Libris *Justinianæis* reperiuntur. Et *Accursii* argumentum multis(14) ineptum videri, dum

(8) *Salas de legib. tract.14. disput.7. sect.12. Card. Bellarm. lib.3. de Laicis, cap.6.* (9) *Jo: Igne. in repetit. l. necessarias, §. non alias, ff. de S.C. Sillan. n.66. Jo: Ferrald. de privil. Regn. Franc. privil.1. Jac. Godofred. ad consuet. reform. Norman. v. reformees, in princ.* (10) *Gl. ad §. Jus autem Instit. de nupt. Dauth. in comm. de testam. §. qui testam. fac. poss. n.169.* (11) *Jo: Tilius lib.1. de reb. Gall. cap.1. Hottom. d. lib.2. cap.2. Imbert. in Enchirid. Jur. Gall. §. Gallorum filii, Coquill. ad consuetud. Franc. cap.2.* (12) *Hotoman de antiqu. Jur Regn. Gall. lib.1. cap.2. Pancir. in notit. Occident. Imp. cap.3. & 68. Castald. de Imper. qu.13. Knich. de Jur. super cap.4. n.83.* (13) *L. spadonem 15. §. ult. ff. de excus. l.2. §. jubemus, C. de off. præf. Præt. Afric. l. Graulats. C. de adulter. l.2. C. de municip. & origin. lib.10.* (14) *Imbert. d. §. Gallorum filii, Borrell. de Cath. Reg. præstant. cap.65. n.2.*

dum Gallos non fuisse subditos Romano Imperio asserit, quia in filios patriam potestatem non habuerunt: & in eo etiam plures egregii Jurisconsulti Galliæ ab *Accursio* discedunt, asserentes (15) Gallos non solum in Provinciis Juris Scripti, sed & in consuetudinariis Patriæ potestatis Jus in Liberos suos in Gallia habere. Unde filiusfamilias etiam post contractum matrimonium non potest condere testamentum (16), nisi Patre Authore: & filiafam. post nuptias manet sub patria potestate, & non est in potestate mariti (17) ultra dotem & operas, quas marito debet.

VI. Post Romanos Gallia pulsos & Franco-Gallorum Regnum a *Pharamundo* constitutum, Gallorum Reges successione continua (interjectis tantum aliquibus Familiarum mutationibus) florentissimum hoc Regnum tenuerunt per mille ducentos annos; quod nulli magno Regno aut Monarchiæ unquam contigit; suaque Dominia libera ab omni Imperatorum Romanorum Dominatu conservarunt. Gallorum etiam Reges fuisse semper supremos Principes & Imperatoribus Romanis non subditos aut obnoxios, Jurisconsulti omnes non Galli solum, sed & Itali Hispanique consentiunt, eosdemque præ ceteris Regibus Orbis Christiani summis Elogiis celebrant.

VII. Rex Galliæ est Imperator & Monarcha (18) in

(15) *Choppin. de com. Gall. consuet. cap.2. n.2. Imbert. d. §. Gallorum filii, Rovillard. reliefs. forens. tit. puissance paternelle Pimell. ad Rubr C. de bon. matern. num.12.* (16) *Choppin. d. cap.2. n.2.* (17) *Rovillard. d. §. puissante paternell.* (18) *Bald. ad l. exempla; C. de probat. Petr. Rot. ad consuet. Pictav. tit.1. des fiefs. art.1. Bonteill. au grand. coustum. lib.2. tit.1.*

in suo Regno, omniaque Jura Imperialia, quæ Imperatori competunt, ad Regem Galliæ (19) spectant, Juraque omnia concessa Imperatori habent locum in Rege (20) Galliæ; habet Jus, Leges & Constitutiones (21) promulgandi, habet intentionem suam fundatam in universo Regno suo quoad Jurisdictionem (22) & Imperium, Superiorem non recognoscit, cum a Deo immeditate Regnum (23) teneat. Quoad subditos suos a Canonistis dicitur temporalis Deus (24) & Polus Antarcticus, qui non est eorum hemisphærii: inter reliquos Reges est ut Stella (25) Matutina, quæ præ omnibus aliis Stellis emicat & fulget, solumque Imperatorem & Regem Galliæ habere Jus imagines suas aureis nummis imponendi (26) traditum est, & quia arbitrio suo Leges condit, in Constitutionibus & Edictis suis semper subjungit Clausulam (27) (*Tel est nostre Plaisir.*) Sola vero requiritur in iis approbatio & consensus Curiarum Supremarum, & Parlamentorum (28), ne quid a Rege emanet, quod contra Leges Regias aut utilitatem Regni sit, aut Jus Tertii lædat.

VIII. Hinc etiam asserunt Galli, Regem suum pos-

(19) *Boer. decis.8. Franc. de Claper. cons.23. qu.1.* (20) *Franc. de Claper. in decis. Provinc. cons.1. qu.1. Cavalk. com.con.com. qu.824. n.2.* (21) *Borrell. de Cath. Reg. præstan. cap.31. n.24.* (22) *Benedict. ad c. Raynutius, v. uxorem, nom. Adelas. n.17. & 170. de testam.* (23) *Terrien. de droict. civil. de Normand. lib.1. cap.3. v. loix.* (24) *Prob. ad Jo: Monach. rubr. de sum. Triniten 6. n 2.* (25) *Bald. ad c. fin. de prohib. feud. alienat. per Fred. num.24.* (26) *Procop. lib.3. de bell. Goth. Aimæ Robert. lib.2. rer. judicat. cap.1. Servin. lib.2. Playdo.60. qu.5* (27) *Panon. au. troisesm. Notair. tit. de claus. cur. lib.5.* (28) *Petr. Bassol. ad Instit. tit. de Jur. nat. gent. & civil.*

posse cogere Barones aliosque, qui Jura Regalia exercent, ad ostendendum & probandum (29) titulum suum; cum Jura Regalia antiquitus penes Reges solos essent, quæ nemo exercebat sine Delegatione Regia. Eademque primus *Hugo Capetus* ejusque posteri inferioribus Dominis concesserunt, Utili tantum Dominio (30) in eos translato, directo Dominio apud Reges ipsos remanente. Et ampliorem habere Regem Galliæ potestatem in suo Regno, quam Imperatorem in Imperio, aliqui (31) tradiderunt.

IX. Communis vero omnium Sententia est(32), Regem Galliæ neminem Superiorem in Regno suo recognoscere, Imperatori Romano non esse subditum, eove inferiorem. Idemque Pontifices Romani in rescriptis suis (33) agnoverunt, licet ipsi in multos alios Europæ Principes Jus Supremum Sedi suæ vendicent. Quamvis vero *Johannes Teutonicus* in Glossis suis ad ea rescripta adjecerit(34), Regem Galliæ de facto non recognoscere Imperatoris Romani potestatem, de Jure vero recognoscere debere: id fuisse illius commentum nulla ratione excogitatum dicunt Juris Canonici & Legum Interpretes, asserentes

(29) *Molinæ. ad consuet. Paris. tit. de censib. §. 73. n. 3.* (30) *Coquill. in respons. ad consuet. Franc. cap. 6.* (31) *Bourceill au grad. const. lib. 2. tit. 1.* (32) *Jolgne. in repetit. d. §. non alias, Boer. decis. 8. n. 4. Castald. de Imper. qu. 53. Cassanæ. in Catalog. glor. mund. par. 5. consider. 28. Duaren. de feud. cap. 1. Ferrald. de privileg. Regn. Franc. privil. 1. Carol. de Grassal. de Regal. Franc. lib. 1. tit. 6. Bellug. in spec. princ. rubr. 11. §. his igitur, Cævall. com. con. com. qu. 824. Card. Tuscp. v. Rex Franciæ, conclus. 344.* (33) *C. per venerabilem, qui filii sint legit.* (34) *Gl. in d. c. per venerabilem, v. recognoscant.*

tes (35) Galliæ Regem, non esse Imperatori subditum, eumque nec de Jure nec de Facto debere recognoscere. E diverso iidem porro docent, Imperatorem in Gallia esse tanquam privatum (36), nullum in Gallia habere territorium, nec posse Jurisdictionem (37) exercere. Notarium Imperialem in Gallia non posse Instrumenta publica (38) rogare, & cum Imperator & Rex Galliæ in eodem loco conveniunt, Imperatorem non præcedere, sed simul cum Rege Galliæ (39) procedere debere; Regemque Galliæ nec Imperatori nec ulli Principi fuisse unquam Feudatarium, prædicat (40) *Cujacius*, quod de aliis Regibus paucissimis dici potest. Ex his omnibus consequens est, Leges Romanas nullam habere Authoritatem in Gallia ex potestate Imperii Romani, sed ex Imperio Rationis, easdemque ex solo Regum consensu admissas esse.

X. Cum vero Leges Romanæ non eodem modo admissæ fuerint in singulis Galliæ partibus, eædemque aliter in Aquitania & Narbonensi Gallia, quam in Gallia Celtica & Belgica receptæ fuerint, distinguendæ sunt Galliæ partes, ut constet, quomodo in singulis Provinciis Galli Romanis Legibus obtemperaverint.

XI. Gal-

(35) Innoc. & Alb. in d. cap. per venerabilem, Felin. in cap. novit. de judic. Oldr. id. cons. 69. Petr. de potest. Princ. cap. 3. qu. 4. num. 26. Afflict. in constit. Neapol. in prælud. qu. 20. n. 5. Menoch. cons. 2. n. 102. lib. 1. Gabr. com. conclus. lib. 5 concl. 3. Salas de legib. tract. 14. disp. 7. sect. 8. Card. Tusch. d. conclus. 344. Borrell. de Cath. Reg. præstan. cap. 65. (36) Rebuff. ad l. Barbarius, n. 31. ff. de off. Prætor. (37) Ferrald. de privil. 1. & cons. 506. lib. 2. (38) Boer. decis. 242. n. 4. Tusch. d. concl. 344. (39) Guid. Pap. decis. 239. n. 2. (40) Cujac. lib. 1. de feud. tit. 2.

XI. Gallia universa divisa fuit a *Julio Cæsare* in Galliam Aquitanicam, Celticam, & Belgicam, quibus *Augustus* addidit (41) quartam Narbonensem: inter eas vero sola Aquitanica, Narbonensis, & Celtica sunt sub Imperio Regis Christianissimi. Belgicæ vero partes aliquæ aliis Principibus cesserunt, & inter eas Provincias, quæ hodie in Gallia enumerantur, aliæ semper Leges Romanas observarunt, aliæ Consuetudines & Mores proprios. Ideoque pro instituti nostri ratione, sequenda est ea divisio Galliæ, qua utuntur Jurisconsulti Gallici, Galliam universam in duas partes dividentes (42), in Provincias nimirum Juris Scripti, quæ Jure Romano in Libris *Justinianæis* scripto utuntur; & Provincias Consuetudinarias, quæ Moribus & Consuetudinibus propriis reguntur, quæ tamen omnes utuntur Jure Romano variis modis, ut mox docebimus, & postquam enumeratæ fuerint Provinciæ Juris Scripti, constabit quæ pro Provinciis Consuetudinariis habendæ sint.

XII. Provinciæ Juris Scripti numerantur (43) Aquitania, Gallia Narbonensis, Præfectura Lugdunensis cum Matisconensi & Foresia, & generaliter omnes Provinciæ, quæ sunt sub territoriis Parlamentorum

(41) *Pancirol. ad notit. Imper. Occident. cap. 68. Severt. in sum. cas. reservat. in Gall.* (42) *Stephan. Aufrer. in Styl. Cur. Parlam. Paris. f. 41. Gul. Ranchin. lib. 2. var. lect. cap. 3. Guesnooys conferen des coustumes de Franc. in præfat. Estien. Pasquier. Recherch. de Franc. lib. 9. cap. 40. Ciron. lib. 5. observ. Jur. can. cap. 6.* (43) *Guil. Benedict. ad cap. Raynutius, v. & uxorem nom. Adelas. n. 498. de testam. Annæ Robert. lib. 2. rer. Judic. cap. 1. Servin. lib. 2. Playd. 60. qu. 5. Romillard. d. §. puissance paternell. Pasq. d. lib. 9. cap. 40. Anton. Dominic. in prærog. allod. cap. 10. Avity. in Geogr. Europ. tit. de royaume de France.*

mentorum Tholosani, Burdegalensis & Gratianopolitani; in quibus omnes Causæ secundum Jus Civile Romanorum exacte dijudicantur. Ad has Provincias Italiæ finitimas Leges Romanæ facile pervenerunt. Gallia Narbonensis (quæ prius Bracchata dicta est) a *Fabio Maximo* domita inter Provincias Romanas quarta (44) recensetur, & Jus Italicum consecuta (45) immunitatem habuit a tributo & Censu, multique Narbonenses in Senatum Romanum electi sunt ante *Augusti* tempora, atque Gallia Togata dicta (46) est, quod Jus Civitatis Romanæ & Jus Togæ Romanæ gestandæ Narbonenses haberent. Præterea Aquitania, Delphinatus, & Sabaudia erant Provinciæ Romanæ ante *Julium* (47) *Cæsarem*, & Legibus Romanis utebantur, omnesque hæ Provinciæ Leges Romanas servabant, & per Præsides & Proconsules Romanos regebantur usque ad *Honorium*, qui Jus suum in iisdem *Athaulpho* Gothorum Regi cessit.

XIII. Gothici Reges has Provincias adepti Romanas Leges eis permiserunt; e quibus Theodoricus erat Romani Juris studiosissimus, ejusque Consistorium more Romano adornatum depingit eo seculo *Sidonius* (48) *Apollinaris*, & *Alaricus I.* Rex Gothorum pro Aquitanis & Narbonensibus Codicem *Theodosianum* edidit (49) Anno Christi D.VI. per *Ania-*

(44) *L.2.§.32.ff.de orig.Jur.* (45) *L.fin.ff.de censib.Jo:Fab.ad §.per traditionem,Instit.de rer.divis.* (46) *Maynard.dec.Tholos.8.lib.4.n.4.* (47) *Maynard.quæst.du droict.escrit.lib.7.cap.26.* (48) *Sidon.lib.1.epist.2.Ant.Dominic.de prærog.allod.cap.6.* (49) *Pasq.Recherch.d.lib.9.cap.40.Ciron.lib.5.obser.Jur.Canon.cap.1.Dominic.d.cap.6.*

Anianum Cancellarium suum, qui ad eum Codicem & Pauli Sententias Cajique Institutiones Notas ascripsit. Fuitque deinceps Codex *Theodosianus* apud Gentes Christianas valde celebratus, quo usus est *Ethelbertus* noster Cantii Rex, & dicebatur Lex Romana, fuitque in magna veneratione apud Patres Ecclesiæ in Conciliis, ejusdemque Authoritatem *Ivo* & *Gratianus* in Decretis suis deinceps adhibuerunt.

XIV. Alarico autem postea cæso, Gothisque expulsis Aquitania & Narbonensi per Clodoveum Francorum Regem, a Regibus Francicis conservatæ sunt Leges Romanæ in his Provinciis; mansitque in iisdem Jus Romanum(50) illæsum a *Clodoveo* usque ad *Carolum Magnum*; Francique in his Provinciis non induxerunt legem Salicam, quæ Francorum propria erat, sed iisdem Legum Romanarum usum concesserunt; quod alii tribuunt humanitati Francorum, alii Majestati Legum Romanarum, quas postea Franci Victores ab his Populis victis mutuati sunt: & per Leges Romanas distinguebantur hæ Provinciæ a reliqua Gallia. Nam hæ Gallia Romana; reliquæ Galliæ partes Gallia Francica dicebantur, & Narbonenses Aquitanique dicti sunt Romani: quæ omnia ex *Marculphi* Formula eorumque seculorum Scriptoribus abunde constant.

XV. *Carolus Magnus*, Franciæ Regnum & Occidentis Imperium consecutus, in his Provinciis

(50) *Ciron. lib. 5. observ. Jur. Canon. cap. 2. & 6. Dominic. de prærog allod. cap. 7.*

Leges Romanas(51)conservavit.Nam *Innocentius III.* testatur (52) eum confirmasse Leges *Theodosianas* ; & *Carolus* in Capitularibus Leges Romanas laudavit in multis ; eumque in his Provinciis Leges Romanas omnes approbasse,& iis nihil derogasse, doctissimus Academiæ Tholosanæ Cancellarius *Innocentius Cironius* (53) existimavit . Ideoque Capitulum *Caroli Magni* CC.LXIX. lib.sexto , quod prohibet usum Legum Romanarum in Judiciis,adulterinũ (54) esse arguit : quia in primis *Caroli* Capitularibus Leges Romanæ sæpe allegantur & confirmantur , & est inter ea Capitularia,quæ confuse congessit Benedictus Levita, idemque potius e Legibus Gothicis in Codice Visigothorum petitum fuisse . Et post excessum *Caroli Magni* sub *Carolo Calvo* & Successoribus *Carolinis* in his Provinciis Leges Romanas semper observatas fuisse,earum Provinciarum Jurisconsulti(55) testantur , inter quos eximia scientia *Antonii Dominici* in Libro de Allodiis conspicitur.

XVI. Sub Tertia vero Regum Linea in his Provinciis usque ad hunc diem Leges Romanas fuisse observatas,Historici & Jurisconsulti Gallici omnes consentiunt, & Arelatenses , Galliam scilicet Narbonensem, suo seculo usos fuisse Jure Scripto , *Antonius de Butrio* (56) testatur.

XVII. Hæ vero Provinciæ usæ sunt Jure Romano

(51) *Dominic. de prærog. allod. cap.12.* (52) *C.novit.13. de judic.* (53) *Ciron. ad C.super specula , de privil. in 5. collect. Honor. & lib.5. observ. Jur.Canon. cap.4.* (54) *Ciron. d.cap.4. Dominic. d.cap.12.* (55) *Dominic. de prærog. allod. cap.14. Ciron. d.lib.5. cap.8.* (56) *Anton. de Butr. ad cap.super specula,de privileg.*

mano Regum suorum consensu & Consuetudine diuturna: ex qua ita horum incolarum Mores cum Jure Romano coaluerunt, tantusque hujus Juris amor eos incessit; ut, cum earum Provinciarum aliquæ per Reges Galliæ alienatæ ad Coronam redierint ex Testamento vel ex Donatione, vel alia Successione, Conditio semper apposita fuit, ne Legibus & Consuetudinibus Gallicis obnoxiæ essent, sed omnia inter eos Judicia ex Jure Romano exercerentur, sicut antea observatum fuerat. Comitatum Tholosanum acceperunt Reges Galliæ ex Donatione ultimi Comitis, sub conditione (57) ut Incolæ & Subditi servarent antiqua Jura & Privilegia sua, eademque per hanc unionem cum Regno Galliæ non amitterent; & ut Rex Galliæ esset Comes Tholosanus. Atque ita Comitatus fuit unitus Regno Galliæ principaliter, non accessorie, ut loquitur *Bartolus*; per quod genus unionis (58) antiqua Jura non extinguuntur. Et in ea unione Contractus initus est inter Regem Galliæ & Ordines ejus Provinciæ (59), ut in eo Comitatu & tota *Occitania* Incolæ Jure Romano uterentur, & ne exteri ibi morientes Jure *Albinatus* tenerentur. In Comitatu Provinciæ & *Delphinatus* successit *Ludovicus XI.* ex Testamento *Caroli* Comitis Provinciæ, ex familia Andegavensi ultimo mortui, cum fideicommisso (60) ut Incolas in antiquis Juribus & Mo-

 ribus

(57) *Maynard. decis. Tholos. 58. n. 58. Fr. de Claper. in decis. Provinc. cons. 1. qu. 1. n. 17.* (58) *Bart. ad l. si convenerit. §. si nuda, ff. de pign. act. Felin. ad cap. translato, de constit.* (59) *Gul. Benedict. ad c. Raynutius v. & uxore in nom. Adelas. n. 499.* (60) *Fr. de Claper. in decis. Provinc. cons. 1. qu. 1. num. 14. & cons. 3. qu. 2.*

ribus conservaret. Unde, cum Legibus Romanis antea semper usi fuerint, non possunt Reges eas abrogare, & subjicere populum Legibus aut Moribus Gallicis; sicut hæres gravatus servo libertatem dare (61), non potest operas aut jugum aliquod servitutis imponere.

XVIII. In Provinciis Juris Scripti ea est Authoritas Legum Romanarum, ut omnia Causarum Judicia a Jure Romano petenda sint; Constitutiones Regiæ illæ solum admittuntur, quæ pro expeditiore litium processu editæ sunt, & ut loquuntur Jurisconsulti Gallici (62), in Præparatoriis Judiciorum Constitutiones Regiæ servantur, in Decisoriis Jus Romanum prævalet. Postquam vero Sententiæ latæ sunt in his Provinciis secundum Jus Scriptum, si ab iis appellatum fuerit ad Supremum Senatum Parisiensem (qui est in Provincia Consuetudinaria, & Jure Consuetudinario plerumque utitur) Causæ appellationum in secunda Instantia ex Jure Romano decidendæ (63) sunt. Atque ita in Institutione Parlamenti Parisiensis Edicto *Philippi Pulchri* sancitum est; & cum aliquæ partes harum Provinciarum a Parlamento Burdegalensi ad Parisiense translatæ essent, conservatum est iisdem beneficium Juris Scripti, & Causæ eorum secundum Jus Scriptum in Senatu Parisiensi judicandæ (64) sunt. In his Provinciis

(61) *L. Campanus, §. si quis hac ff. de oper. libert.* (62) *Benedict. in d. v. & uxorem nom. Adelas. n. 499. Maynard. decis. Tholos. 57. num. 2.* (63) *Chopp. in. de com. Gall. consuetud. par. 2. §. 2. n. 4. Jory. in addit. ad Girard. de edict. creat. offic. lib. 1.* (64) *Choppin. d. par. 2. §. 4.*

vinciis Teſtamenta conduntur, Contractus celebrantur, & Judicia omnia exercentur ſecundum Jus civile (65) Romanorum; & Sermone etiam Romanæ uſæ ſunt, uſque ad *Franciſcum Primum*, qui Majeſtatis Romanæ minuendæ vel ſuæ augendæ ſtudio, lingua Gallica omnia agi permiſit.

XIX. In his Provinciis multa Privilegia conceduntur ex Jure Romano, quæ in Provinciis Conſuetudinariis permiſſa non ſunt. In his bona damnatorum non vindicantur Fiſco (66) niſi in Crimine læſæ Majeſtatis, quia ab Imperatore *Juſtiniano* ita conſtitutum eſt. In his Teſtamentum filiæfam. octodecim annorum (67) non valet, quia Jus Romanum in ea ætate Minori teſtandi facultatem non concedit, & in iiſdem, quia ſunt Jura Patriæ poteſtatis ſicut in Jure Quiritum, filiafam. etiam poſt contractum Matrimonium non eſt ſui Juris, nec ſine Authoritate Parentis (68) teſtari poteſt. In his Provinciis valet pactum, ne Mater ſuccedat liberis (69) quia Jure Romano ita conſtitutum eſt. In iiſdem, prior licitator per oblationem ſecundi liberatur ſecundum Jus Civile, cum in reliquis Galliæ partibus aliter (70) obſervetur. In iiſdem Conſuetudines Feudales (71) admittuntur, quia Jus Romanum eas admittit, licet in reliquis Galliæ Provinciis Jura Feudorum (72) non recipiantur,

(65) *Papan. du prem. Notair. tit. de ſtipulat. Rovillard. d. §. puiſance paternell.* (66) *Choppin. d. §. 2. n. 4. authent. bona damnatorum, C. de bon. proſcript.* (67) *Rovillard. d. §. puiſsance paternell.* (68) *Choppin. d. §. 2. n. 2.* (69) *Carol. Molinæ. conſ. 15. n. 14.* (70) *Franc. de Claper. in dec. Provinc. conſ. 2. qu. 1, n. 20.* (71) *Choppin. d. §. n. 4. Franc. de Claper. conſ. 10. qu. 1. n. 20.* (72) *Molinæ. ad conſuet. Pariſ. tit. des fiefs. n. 106. Gueſn. conſerv. des couſtum. de Franc. in præfat. Chriſtin. dec. Belg. 212. n. 78.*

quia proprias Consuetudines Feudales habent. Ideoque etiam in his Provinciis, cum de Feudis quæstiones incidunt, prius ad Jus Romanum quam ad Jura Feudorum recurrendum esse existimavit (73) *Carolus Molinæus*. Et in his Provinciis porro Juris Romani Authoritas maxime apparet ex Appellationibus a Sententiis Judicum; in quibus Formulæ & Clausulæ Legum Romanarum adhibentur, omniaque secundum Leges Romanas aguntur. A quibus reliquæ Provinciæ Consuetudinariæ multum differunt in appellationibus, easdemque differentias *Joannes Imbertus*, *Stephanus Anfrerius* (74) aliique exacte tradiderunt.

XX. Maximum vero Juris Romani beneficium est in his Provinciis, quod exteri morientes in reliquis Galliæ Provinciis non possunt Testamenta condere de bonis suis, nec heredem ab intestato habere, quia omnia bona peregrinorum in Gallia morientium cedunt fisco Regis; adeo ut Flandri, Burgundi, & Mediolanenses, licet olim fuerint subditi Regum Galliæ, tamen quia hodie de facto iis non obediunt, habentur pro peregrinis, bonaque eorum (75) Jure Albinatus a Fisco occupantur. Sed in Provinciis Juris Scripti, Comitatu Tholosano, tota *Occitavia*, Comitatu Provinciæ, & *Delphinatu*, ceterisque, Peregrini habent Successores bonorum ex Testamento vel ab intestato, quia hæ Provinciæ utuntur Jure Romano,

(73) *Molinæ. d.n.106.* (74) *Anfrer. in styl. Cur. Parlam. Paris. Imbert. in pract. civil. & crimin. lib. 2. cap. 6. Loyseau. des offices lib. 1. cap. 14.*
(75) *Bacquet. de droict. d. Aubaine. par. 1. cap. 8. & 9.*

no, ex quo omnia bona morientium ad Heredes transmittuntur.

XXI. Denique, licet hæ Provinciæ Juris Scripti habeant singulæ suas Consuetudines particulares, quæ Statuta appellantur, & in his Provinciis habent locum (76) Consuetudinum, & Latino sermone Scripta sunt, quæ plurimi Jurisconsulti Galliæ Commentariis suis e Jure Romano ductis (77) illustrarunt; eandemque vim apud eos habent, ut Statuta in singulis Italiæ (78) Civitatibus: Consuetudines tamen istæ sunt Jus privatum earum Provinciarum, sed Jus Commune nullum habent præter (79) Romanum. Et generaliter Jus Civile Romanorum in his Provinciis esse Jus Commune, a Gallis omnibus communiter (80) receptum est.

XXII. Reliquæ Provinciæ Galliæ, scilicet Gallia Celtica, & aliquæ Regiones Belgicæ, sunt Consuetudinariæ, quæ numero & amplitudine Provincias Juris Scripti multum superant. Hæ vero Consuetudinibus suis & Constitutionibus Regum reguntur, quæ e Legibus Romanis maxima ex parte petitæ sunt, iisdemque deficientibus, ad Jus Civile Romanorum in Judiciis & Decisionibus Causarum con-

 fugiunt,

(76) *Guesn. conferen. des coustumes de Franc. in præfat.* (77) *Choppin. de leg. And. municipal. in præfat.* (78) *Guesn. in d. præfat.* (79) *Charond. memorabl. observat. du droict. Franc. tom. 2. v. droict.* (80) *Eguin. Baro. ad l. si reus, ff. de pact. & lib. 1. de Jur. benefic. tit. 3. Molinæ. ad d. tit. 1. des fiefs n. 108. & cons. 15. n. 14. Papon. du prem. Notair. tit. des Juges. Charon. du droict. Franc. tit. des legs. lib. 3. & tom. 1. lib. 4. cap. 13. Annæ. Robert. lib. 2. rer. judic. cap. 1. Maynard. quæst. de droict. escrit. cap. 90. Coquill. ad consuet. Nivern. in præfat. Bassot. ad instit. de Jur. natur. gent. & civil.*

fugiunt, ut mox constabit.

XXIII. Post Romanos Francorum armis Gallia ejectos, præter Consuetudines generales permixtas cum Legibus Romanorum, quibus diu paruerant, singulæ Provinciæ suas Consuetudines inter se multum discrepantes (81) retinuerunt, variæque Consuetudines novæ ortæ sunt, ex conflictu Francorum, Vandalorum, Burgundionum, aliorumque Populorum in variis Galliæ partibus sese mutuo expellentium, quarum usum Reges Francorum iis permiserunt; dum interea Gothi in Aquitania & Narbonensi Gallis Romani Juris usum concesserunt, ut jam dictum est.

XXIV. Et præter has Consuetudines, Reges Francici suas addiderunt Constitutiones pro regimine Gallorum, quæ omnes generali nomine Lex Salica dictæ sunt. Ea vero primo a *Pharamundo* Rege primo, ascitis Sapientissimis & Jurisconsultissimis Francorum Gallorumque, anno CCCC.XXIV. condita est (82) (de quo tamen inter Gallos (83) non convenit) & ad eam plures Reges Francici insequentes Constitutiones addiderunt usque ad *Carolum Magnum*, qui Legem Salicam auxit suis Capitularibus (84), in quibus XXIII. Articulos addidit Legi Salicæ. Aliosque condiderunt *Ludovicus* & *Lotharius* ejus filii, quorum primi Libri quatuor exacte col-

(81) *Raudens. decis. Pisan. 41. n. 17. Gothofred. ad consuet. Norman. v. reformeres.* (82) *Benedict. ad cap. Raimutius v. in eodem testamento. n. 166. Papon. in prolegom. ac Arrest. Cur. Franc. Pet Rat. ad consuet. Pict. tit. des fiefs. art. 1.* (83) *Anth. Fontan. in const. & edict. Franc. in præfat. tom. 1.* (84) *Fontan. in d. præfat.*

collecti sunt per Abbatem *Ansegisum*. Tres vero editi sunt postea, sed non pari fide, per Benedictum Levitam (85), qui in illis multa adulterina, vel ex Scriptoribus non probatis immiscuit. In hac Lege Salica celeberrimus est ille Articulus de fœminarum Successione in Terra Salica, de quo Angli Gallique bello diuturno certarunt, & Jurisconsulti Gallici adhuc (86) contendunt: an de Terra Coronæ Regiæ sola, an etiam de privatorum hereditatibus intelligendus sit.

XXV. Ita regebantur Galli Lege Salica sub Regibus Francorum, neque in desuetudinem abiit usque ad Tertiam Lineam Regum, in qua Reges Galliæ deinceps condebant Edicta & Constitutiones suas pro Jure & Majestate sua, eodem modo, quo Galliæ Reges adhuc utuntur; e quibus priorum Regum Constitutiones pleræque temporum injuria deperditæ sunt. Constitutiones vero & Edicta Regum post *D. Ludovicum* ab anno M.CC.XXVIII. conservata & edita apud Gallos habentur (87) quæ in immensum numerum jam excreverunt.

XXVI. Consuetudines Gallicæ in multis ortæ sunt a Legibus Romanis. Neque enim Franci una cum Romanis Leges eorum statim expulerunt (88) e Gallia, sed iis indulserunt suas Consuetudines, quæ ad Leges & Mores Romanos erant accommodatæ ex usu

(85) *Dominic. de prærog. allod. cap. 7.* (86) *Fontan. in d. præfat.*
(87) *Fontan. in constit. & edict. Franc.* (88) *Papon. in arrest. Cur. Franc. in proleg. Coquill. ad consuet. Franc. cap. 1. & 2. ad consuetud. Nivernens. in præfat. & in resp. ad consuetud. cap. 314.*

usu diuturno, a seculo *Julii Cæsaris* ad *Honorium* & *Valentinianum* Impp. cum toto eo tempore Galli sub Legum & Magistratuum Romanorum administratione fuissent; & post Francorum Imperium in Gallia (89) remanserunt multi Romani, quibus uti Romanis Legibus permissum fuit. Unde Consuetudines multæ Gallorum ex Romanorum Legibus petitæ sunt, eædemque inter Consuetudines Gallicas sunt antiquissimæ. Consuetudines vero, quas a Francis habuerunt, sunt posteriores, earumque plures post *Hugonem Capetum* ortas fuisse (90) censent: nam & Leges Salicæ multæ a Jure Romano petitæ sunt, & in iis Leges Romanæ laudantur, & ob sterilitatem Legum Salicarum, quia plures Causæ occurrebant, quæ non poterant Lege Salica terminari, Galli eo tempore ad Leges Romanas (91) recurrebant. Et probabilis est eorum sententia, qui existimant (92) *Eginhartum* intelligi de Legibus Salica & Romana, ubi affirmat, in Gallia sub *Carolo Magno* duas (93) Leges fuisse.

XXVII. Ex diversitate Consuetudinum in his Provinciis laudant Galli Clementiam Regum (94) suorum, qui singulis harum Provinciarum Populis, uniuscujusque Provinciæ Consuetudinibus uti, indulserunt. Præ reliquis vero laudant *Carolum VII.* Gallorum Regem, qui, post Anglos ex suis discor-

dis

(89) *Coquill. in d. præfat. ad consuet. Nivern.* (90) *Coquill. d. cap. 314.* (91) *Ciron. ad d. cap. super specula, n. 5. & lib. 5. observ. Jur. Canon. cap. 6. & 7.* (92) *Ciron. d. lib. 5. cap. 7.* (93) *Eginhart. in vita Carol. Magn.* (94) *Annæ. Robert lib. 2. rer. judic. cap. 1. Godofred. ad consuetud. reform. Norman. v. reformees.*

diis & defectione Ducis Burgundiæ debellatos, recuperata Regni Gallici Dominatione, primam curam habuit Legum & Reipub. confusæ per diuturna Anglorum bella componendæ; & ante omnia Consuetudines singularum Provinciarum per viros Juris Romani Consultissimos, ad postulationem Ordinum singularum Provinciarum delegatos componi jussit, & in scripta redegit (95) ad evitandam probationis Consuetudinum difficultatem per turbas testium: iisdemque singulæ Provinciæ adhuc utuntur. Et earum Interpretationem habemus ex Jure Civili Romanorum per doctissimos Galliæ Jurisconsultos, qui in describendis Consuetudinibus singularum Provinciarum maximam partem hauserunt ex Jure Romano, ut constat (96) in Consuetudinibus Bituricensibus, aliisque: iidemque singularum Provinciarum Consuetudines Commentariis suis (97) ex Jure Civili petitis illustrarunt. Et post eum in eandem curam incubuerunt (98) *Ludovicus XI. & XII. Franciscus I. Henricus II.* & demum *Henricus III.* in Conventu ordinum Blesensi Juris Gallici componendi munus ex Consuetudinibus Provinciarum & Regum Constitutionibus demandavit celeberrimo *Barnabæ Brissonio* (99) aliisque primariis Galliæ Jurisconsultis,

(95) *Baro. ad l. nonnunquam* 11. *de Just. & Jur. Charon. memorabil. observat. du droict. Franc. tom.* 2. *v. droicts. Coquill. ad consuet. Nivern. in præfat. Godof. ad d. v. reformees. Annæ* Robert. *d. lib.* 2. *cap.* 1. *Guesn. conferen. des coustum.* de *Franc. in præfat.* (96) *Pasq. Recherch. lib.* 9. *cap.* 38. (97) *Choppin. de legib. And. municipal. in præfat. Coquill. in d. præfat. ad consuet. Nivern.* (98) *Guesn. in d. præfat. in conferenc. des coustum.* (99) *Charon. Pandect. du droict. Franc. lib.* 1. *cap.* 25 *tom.* 1. *Choppin. de commun. Gall. consuetud. par.* 1. §. 4. *num.* 5.

ſultis, qui illud perfeciſſent, ſi infelix Regis *Briſſoniique* mors felix propoſitum non impediviſſet. Idemque Juriſconſulti Galliæ conjunctis votis adhuc videntur (100) exoptare.

XXVIII. Apud Reges vero magna fuit ſemper veneratio & Authoritas Juris Romani in his Galliæ Provinciis a primis Regum Francicorum temporibus. *Agathias* (101) teſtatur, Gallos ætate *Juſtiniani* Jus Romanum in Contractibus, & Matrimoniis, & in aliis ſervaſſe. Atque ita ſub primis Regibus plurima apparent Legum Romanarum veſtigia (102), Scriptoreſque Gallici ab initio Monarchiæ Francicæ multa Judiciorum Exempla, ſecundum Leges Romanas, exhibent. In prima Regum Linea ſub *Dagoberto*, filii Ducis Aquitaniæ paterna hereditate fuerunt privati per Sententiam in publico Gallorum Concilio latam (103) ſecundum Leges Romanas, quod Patris interfecti necem ſecundum Leges Romanas non vindicaſſent. Et *Gregorius* Turonenſis commemorat (104) *Guntranum* filium *Clotharii I.* quendam *Andarchium* peritum in Codice *Theodoſiano* ad ſummos honoris gradus evexiſſe.

XXIX. In ſecunda Regum Linea *Carolus Magnus* juſſit quoſdam per quæſtionem habitam (105) ſe-

(100) *Gueſn. in d. præfat. Charon. in reſp. du droict. Fran. in præfat. & lib. 1. cap. 25.* (101) *Agath. lib. 1. de bell. Goth.* (102) *Papon. in arreſt. Cur. Franc. in proleg. Coquill. in d. præfat. ad conſuet. Nivernen.* (103) *Aymon. de geſt. Franc. lib. 4. cap. 28. Cabot. lib. 2. diſput. cap. 1.* (104) *Gregor. Turon. lib. 40. cap. 40. Antumn. conferen. de droict. Franc. ad tit. 1. de orig. Jur. lib. 1.* (105) *Rovillard. reliefs. forenſ. tit. puiſſance paternell. ex chron. veter.*

ſecundum Leges Romanas, ut læſæ Majeſtatis reos, damnari, qui Pontificem ſuum depoſuerant; eundemque *Carolum* in univerſa Gallia Leges Romanas approbaſſe, laudaſſe,& in multis ſervaſſe, Galli (106) probat. Hucuſque vero Galli nihil de Jure Romano habuerunt,præter Codicem *Theodoſianum*,& aliquas ejus Juris partes. Libri autem *Juſtinianæi* hactenus delituerunt uſque ad *Lotharii* tempora, poſt quæ Jus Romanum deinceps in Academiis & Judiciis Galliæ ſemper floruit. Et ſub tertia Regum Linea Jus Romanum viguiſſe in Judiciis,ſatis conſtat per ordinationes Curiæ Supremæ Pariſienſis in veteri ſtylo, quæ pro maxima parte ex Jure Romano tranſcriptæ ſunt; Codiciſque *Juſtinianæi* translationem antiquam in Linguam Gallicam fuiſſe factam a temporibus *Lotharii*(107) Imperatoris,multi opinantur,eandemque *Cujacius* (108) ſæpe laudat.

XXX. Cum igitur Jus Gallicum in his Provinciis conſtet ex Conſuetudinibus Provinciarum, & Conſtitutionibus Regiis; inter has quem locum habeat Jus Civile Romanorum,non videntur Juriſconſulti Gallici inter ſe convenire. Alii enim nullum agnoſcunt Jus Commune (109) in Gallia Conſuetudinaria, præter conſuetudines, eaſdemque vel ambiguas

(106) *Ciron. lib.5. obſerv. Jur.Canon.cap.4.5.& 7.* (107) *Freber. in edit. Jur. Græc. Rom. in epiſt. ad Rud.II. Imp.* (108) *Cujac. lib.16. obſerv.24. & in præfat. ad lib.11. Cod.* (109) *Rebuff. in proœm. Reg.Conſt. gl.5. n.19. Moninæ. ad conſuet. Pariſ.tit.des fiefs. n.106. Imbert. in Enchiria. Jur.Gall. §.error. Coquill. in quæſt. ad conſuet.Franc.cap.2. & ad conſuet.Nivern. in præfat. Mayner.quæſt.du droict. eſcrit. lib.1. cap.26. Servin. lib.2. playd.60. Sur la cauſ.du teſtam. de Comte de Laval. qu.5. Godefred. ad conſuet.reform. Normann. v.conſuetudines.*

guas vel obscuras esse illustrandas per alias Consuetudines vicinarum Provinciarum, præsertim Parisiensis, quæ reliquarum Mater est, & ab iisdem debere Interpretationem recipere. Jus vero Romanorum non habere vim Legis in Gallia, quæ nullas alias Leges agnoscit præter suas: sed in judiciis tantum, ut Rationem, ut Exemplum, ut Æquitatis normam, ut Authoritatem Prudentium, ut veram Justitiæ rationem, ut Artem & Scientiam Juris posse adduci & allegari. Legesque Romanas non aliam habere vim in Gallia, quam bonos (110) Mores: ideoque interdictum fuisse a *Philippo III. & IV.* Leges *Cæsareas* contra Constitutiones suas in Judiciis Galliæ (111) allegare; Regesque Galliæ in Academiis erigendis pro Juris Romani studio semper apponere Clausulam, se propterea non agnoscere Jus Romanum habere vim Legis in Gallia. Eaque de Causa Jurisconsultos exteros de hoc Articulo tractantes affirmare, Leges Romanas non habere Legis Authoritatem in (112) Gallia, Gallosque Legibus Romanis pro arbitrio suo uti vel non uti (113) posse, Judicesque Gallorum in admissionibus suis ad Judicum Munera solenni Sacramento (114) promittere, se Constitu-

tiones

(110) *Imbert, in d.§.error.* (111) *Choppin. de doman. Franc. lib. 2. tit. 15. num. 5. Charon. ad lib. 11. Cod. Henr. tit. 1, art. 3. Coquill. ad consuet. Franc. lib. 1. 2. Delomm. de jurisprud. Gall. in præfat.* (112) *Baid. ad l. nem. C. de sent. & interloc. om. jud. n. 1. Arened. ad constit. Reg. lib. 1. tit. 2. in rubr. n. 14. Molin. de [illegible] mogen. Hispan. lib. 3. cap. 12. n. 11. Burg. de Paz. ad l. 1. Taur. num. 515. Suarez. lib. 3. de legib. human.* (113) *Castren. cons. 171. lib. 1. Carn. Tusch. p. Jus civile, conclus. 582.* (114) *Rebuff. ad constit. Reg. in proœm. gloss. 5. num. 20. Bracciol. in apol. contr. Buc. [illegible] cap. 10.*

tiones Regias & Consuetudines (nulla mentione facta de Legibus Romanis) observaturos .

XXXI. Alii vero in his Provinciis Juri Romano vim Juris Communis attribuunt , & ad illud observandum , etiam in Supremis Curiis (115) teneri Judices , & ex eo debere sub pœna nullitatis (116) Sententias ferre . Et fuit hæc quæstio olim agitata inter duos Senatus Parisiensis primarios successive Præsides , *Petrum Lizetum* & *Christophorum Thuanum* (117) ; in qua *Lizetus* contendebat Jus Civile Romanorum esse Gallorum Jus Commune , ideoque Consuetudines & Constitutiones, quæ sunt Jus Gallicum, esse Jus strictum , stricteque interpretandum. *Thuanus* vero dicebat Consuetudines & Constitutiones esse Gallorum Jus Commune; Jus vero Romanum tantum Rationis Scriptæ , in Gallia locum habere . Et hæc Opinionum diversitas ad insequentes Galliæ Jurisconsultos dimanavit.

XXXII. In eo autem omnes Jurisconsulti Gallici (118) consentiunt , in omnibus causis , in quibus deficiunt Consuetudines & Constitutiones Regiæ , debere Judices ad Jus Romanum recurrere, & ex eo judicare ; & acerrime (119) repræhendunt illos Judices suos , qui, deficientibus Consuetudinibus & Con-

(115) *Rebuff. de reprob. test. n. 175. Coaron. du droict. Fran. lib. 3. resp. 66. & ad edict. Franc. I. de secun. nupt. lib. 3.* (116) *Pasq. Recherch. lib. 9. cap. 38.* (117) *Coquill. ad consuet. Nivern. in præfat.* (118) *Molinæ. d. n. 106. tit. des fiefs. Baro. in constit. ad Senat. & omn. Pop. & de re benefic. lib. 1. tit. 3. Choppin de com. Gall. consuet. par. 2. n. 2. & 4. Terrien. du droict. de Norman. lib. 1. cap. 2. v. Loix. Chesn. notab. quæs. de droict. tit. 64. Girard. des offic. lib. 1. tit. 2. Delomm. de Jurib. Regalib. lib. 1. cap. 16.* (119) *Baro. de re benefic. lib. 1. tit. 3. Rancbinus, l. b. 2. var. lect. cap. 3.*

Conſtitutionibus ſuis, putant ſe poſſe arbitrio ſuo uti, ſeque teneri ad Jus Romanum ex ſola ratione, quam arbitrii ſui faciunt. Quorſum enim tam ſeverum examen in admiſſione Judicum Galliæ, non ſolum de vita & moribus, ſed & de peritia & ſtudio Legum Romanarum, niſi ad eas neceſſario (120) tenerentur & vim Legis haberent? Eaſdemque poſt Leges ſuas Galli neceſſario ſequendas imponunt Judicibus ſuis (121) ex ſumma earum æquitate, juſtitia, & prudentia, ob quas reliquæ etiam Gentes Europææ eaſdem ſequuntur, & ad illud Jus, ut ad ἐυνομίαν (122) confugiunt. Voluerunt ſcilicet Reges Galliæ, cum Mores & Leges ſuæ deficerent, ut Judices ſui uterentur eo Jure, quo Roma omnium Gentium & Terrarum Orbis Domina uſa eſt, & ut magis ex Legis neceſſitate, quam ex arbitrio ſuo Jura (123) redderent. Et agnoſcunt porro Galli Leges Gallicas pro maxima parte cum Jure Romanorum (124) convenire; præſtantiſſimam partem Legum Galliæ e Jure Civili (125) deſumtam eſſe; Jus Galliæ eſſe multo magis incertum (126) quam Jus Romanum; Leges Romanas Gallicis longe præferendas (127) eſſe, magiſque exerceri Gallorum ingenia (128) in explicatione Legum

(120) *Paſq. Recherch. lib. 9 cap. 38. Ranchin. d. cap. 3.* (121) *Charon. reſp. du droict. Franc. lib. 3. tit. des legs. & lib. 3. cap. 87. & ad edict. Franc. 2. lib. 3.* (122) *Baro. ad l. ſi reus, C. de pact.* (123) *Carol. Fabrott. in edit.* βασιλικῶν *in epiſt. ad Cancell. Franc.* (124) *Godofred. ad conſuetud. Norman. v. conſuetudines.* (125) *Delomm. de Juriſprud. Gall. in præfat. & lib. 1. de jurib. Regal. cap. 16. Rovill. tr. d. ſ. puiſſance paternell.* (126) *Charon. du droict. Franc. lib. 3. reſp. 66. Ranchin d. lib. 2. cap. 3.* (127) *Rabot. lib. 2. diſput. cap. 1. & 4. Charon. d. reſp. 66.* (128) *Godofred. in d. v. conſuetudines.*

gum Romanarum, quam Gallicarum; licet gentes universæ soleant suis potius Legibus, quam peregrinis delectari. Præsertim vero in Causis Criminalibus Galli omnes sequuntur Jus Civile in omnibus Provinciis, non solum Juris Scripti, sed & in Consuetudinariis: ubi per Consuetudinem aut Constitutionem non est ei (129) derogatum; idemque ut rationem clarissimam in Criminalibus puniendis laudant & exequuntur. Et desiderant Galli Legum suarum reformationem, cupientes ex Edictis Regiis, Sententiis Supremarum Curiarum, & Jure Romano novum Codicem Juris Gallici (130) componi.

XXXIII. Consuetudinum etiam Galliæ maximam partem a Jure Romano (131) petitam fuisse asserunt. Ideoque consuetudines ex eodem Jure esse supplendas, & ab eo interpretationem accipere debere. Ideoque, cum certa ætas Testamenti condendi ex Consuetudine Britanniæ non esset definita, judicatum est (132) Majorem quatuordecim annis posse Testamentum condere, quia Jure Romano ita est constitutum; & ex eadem causa in Provincia Melodimensi Testamentum Virginis natæ quatuordecim annos fuit validum, quia ex Consuetudine Melodimensi (133) non fuit prohibitum. Si quæ vero Consuetudines sunt contra Jus Romanum (134), ut Retractus Gentilitius, aliæque, habentur pro odio-

(129) *Papon. au second. Notair. tit. des juges.* (130) *Charo. du droict. Franc. in præfat.* (131) *Coquill. resp. ad consuetud. cap. 6. & cap. 314. Delom. d. cap. 16. Rovillar. d. §. puissance paternell.* (132) *Servin. d. playd. 60. en la caus. du testam. de Cont. de Lavat. in princ. qu. 5.* (133) *Bouchel. & Jely arrests. cap. 33.* (134) *Bouteill. au grand. coustum. tit. 1.*

ſis & ſtricte interpretandis; & Stylus Judiciorum in Gallia præter Jus Romanum admittitur ; ſecus vero, ſi cum Jure Romano (135) pugnet. Atque ita Conſuetudo Laodunenſis, rejiciens fœminas a teſtimonio judiciali, rejecta eſt.

XXXIV. Ex eadem ratione conſentiunt Juriſconſulti Gallici omnes, Gallos uti Legibus Romanis, ut Romani uſi ſunt (136) Legibus *Rhodiis*. Illis vero uſi ſunt Romani in cauſis maritimis, ubicunque Legibus Romanis non adverſarentur, propter *Rhodiorum* inſignem juſtitiam & peritiam (137) Rei Navalis; ideoque iiſdem, in Societatem ſuam aſcitis, Libertatem permiſerunt. Rejecerunt vero Leges *Rhodias* in iis ſolum caſibus, in quibus contrariæ erant (138) Legibus *Cæſareis*: uti in ea Lege *Rhodia*, per quam bona Naufragorum a Fiſco occupata ſunt, quæ damnata fuit ab Imperatoribus. Et ex ea cauſa neglectas Leges *Rhodias* à Romanis & raro in Codice *Juſtinianæo* commemoratas fuiſſe, aliqui (139) exiſtimarunt.

XXXV. Atque ita Jus Romanum factum eſt Jus Gallicum (140), ex Conſuetudine Galliæ, & ex conſenſu Regum Galliæ, qui ei Juris authoritatem tribuerunt. Neque aliam authoritatē Juri Romano in Gallia concedunt,

(135) *Chopp. de comm. Gall. conſuetud. in præfat. pag. 4.* (136) *Cujac. ad Paul. ſentent. lib. 1. tit. 7. Papon. arreſt. Cur. Franc. in proleg. Chopp. in de doman. Franc. l. 2. tit. 15. n. 5. Gueſn. conferen. des couſtum. de Franc. in addit. ad tit. 1. de feud. Bouch. & Jely, arreſt. de Pariſ. cap. 33.* (137) *Forcat. in cupid. cap. 9. Cujac. d. tit. 7.* (138) *L. deprecatio ad l. Rhod. de jact.* (139) *Pruchmann. §. ſoluta poteſtas cap. 3. n. 125.* (140) *Autumn. conferen. des ordonnanc. lib. 1. tit. 2. Paſq. d. lib. 2. cap. 38. Ranchin. d. cap. 3.*

dunt, præter eam, quæ a Regum Consensu & Moribus Gallorum indulta est. Atque inde Consuetudo in Gallia inolevit, quod cum Galli opus habent Restitutione in Integrum, quæ a Jure Civili conceditur, veluti de læsione minorum, de circumventione ultra dimidium justi precii, de rescissione contractuum ex dolo vel fraude, de beneficio Senatusconsulti Vellejani, aliisque remediis, quæ ex æquitate Juris Civilis dantur, non possunt Judices ea decernere Litigantibus sine Literis Regiis e Cancellaria (141) impetratis, ne viderentur *Cæsarum* Potestatem agnoscere. Sed si petatur Restitutio aliqua ex Consuetudine vel Constitutione Regia, veluti de nullitate contractuum usurariorum, vel contractuum cum Uxoribus sine consensu Maritorum, vel similibus, Judices Gallici, sine Literis Regiis, possunt ea omnia concedere.

XXXVI. Constitutionibus etiam *Cæsareis* non eandem semper Galli authoritatem tribuunt, sed illorum præsertim *Cæsarum* Constitutiones amplectuntur, qui Romam tenuerunt, Gallosque sub Imperio habuerunt. Posteriorum vero Imperatorum Constitutiones, qui Constantinopoli sedem habuerunt, non æque agnoscunt, scilicet *Valentiniani III. Martiani, Zenonis, Anastasii, Justini, & Justiniani*; quia sub iis Franci, Galliam ingressi, Romanorum Dominationem excusserant, quod observavit *Guido*

(141) *Imbert. in enchirid. Jur. Gall. §. contractus, Ciron. lib. 5. observ. Jur. Can. cap. 8.*

do Coquillius Nivernensis (142) Procurator Fisci in Provincia Nivernensi: quem Patriæ suæ alterum *Papinianum* celeberrimus *Ludovicus Servinus* advocatus Regius (143) appellat.

XXXVII. In Academiis Galliæ Jus Civile Romanorum cœpit efflorescere, quamprimum *Irnerius* sub *Lothario* Bononiæ illud professus fuisset. Mox enim amplis stipendiis accersiti ex Italia *Placentinus* & *Azo* in Academia (144) Montispessulana, in Tholosana (145) *Franciscus Accursius* junior, & *Petrus de Bellapertica*: aliique libros *Justinianæos* publice legerunt diu, ante Academias in Gallia pro Legum studio institutas; eratque Legum Professio in Academia Parisiensi (146) ante Academias Legum erectas, & ante prohibitionem *Honorii III.* Pontificis, qui anno Christi M.CC.XX. Jus Civile Parisiis (147) legi prohibuit. Nam Aurelianensis Academia pro Legum studio prima inter Gallicas erecta fuit (148) per *Clementem V.* & *Philippum Pulchrum* Galliæ Regem anno M.CCC.XII. & postea reliquæ Academiæ Gallicæ pro Legum Cæsarearum studio per Reges Galliæ, & Pontifices institutæ sunt (scilicet Tholosana, Andegavensis, Pictaviensis, Montispessulana, Cadomensis, Burdegalensis, Bituricensis, Caduricensis,

(142) *Coquill. in com. ad consuet. Nivernen. in præfat. & in resp. ad consuet. Franc. cap. 1. & 2.* (143) *Servin. d. playd. 60. qu. 5.* (144) *Pancirol. lib. 2. de Clar. leg. interpret. cap. 20. Pasq. Recherch. d. lib. 9. cap. 37. Ciron. d. lib. 5. observ. Jur. cap. 5. & ad d. cap. super specula.* (145) *Pancirol. d. lib. 2. cap. 29. & 46. Pasq. d. cap. 37. Ciron. d. cap. 5.* (146) *Charon. ad lib. 11. Cod. d'Henry. tit. 1. art. 3. Choppin. lib. 3 de Doman. Franc. tit. 27. n. 13. Ciron. ad d. cap. super specula.* (147) *C. super specula, de privileg.* (148) *Choppin. d. lib. 3. tit. 27. Pasq. d. lib. 9. cap. 37.*

ſis, Nannetenſis, Valentinia, Gratianopolitana, Remenſis) e quibus Cadomenſem Academiam in Normannia pro Legibus Romanis *Richardus II.* Angliæ Galliæque Rex (149) excitavit. Adeo enim ad Leges *Cæſareas* propenſa ſemper fuerunt Gallorum ingenia, ut ante Academias ſuas pro Legibus erectas, publico conſenſu invitarent præſtantiſſimos Juris-conſultos ſuos Italoſque, magnis ſtipendiis, ad docendum Jus Civile in priſtinis Academiis (150) ſuis, quibus tantum Theologiæ, Philoſophiæ, & Artium docendarum facultas hactenus conceſſa fuerat.

XXXVIII. Quæ autem fuerit cauſa prohibitionis illius per *Honorium III.* promulgatæ, Galli varie opinantur. *Rebuffus* (151) eam latam fuiſſe pro Clericis ſolum, non pro Laicis, eoſdemque ſolos obligare aſſerit; neque etiam eum potuiſſe obligare Laicos ex defectu poteſtatis, cenſuit *Carolus* (152) *Molinæus*. Alii putant, (153) *Honorium* ita juſſiſſe favore ſtudii Theologici, & ne in primaria Regni Civitate Regumque Sede Leges Imperatoriæ viderentur agnoſci (atque ita in antiqua Collectione Decretalium reperiri) & ne reliquæ Academiæ vacuæ relinquerentur, omneſque eo concurrerent pro Legibus audiendis, cum tamen nulla tum eſſet Academia pro Legum Profeſſoribus. Eorum vero conjectura eſt maxime probabilis, qui exiſtimant (154) *Ho-*

(149) *Choppin. & Paſq. in loc. ci.* (150) *Paſq. d. lib. 9. cap. 35.* (151) *Rebuff. tract. nominat. qu. 5.* (152) *Paſq. d. cap. 35.* (153) *Coquill. ad conſuetud. Franc. cap. 1. 2. & ad conſuetud. Nivern. in præfat. Girard. des offic. lib. 1. tit. 2.* (154) *Ciron. d. cap. ſuper ſpecula, & lib. 5. obſerv. Jur. Can. cap. 8. Paſq. d. cap. 35.*

Honorium voluisse conciliare authoritatem Juri Canonico, & ut ex eo solo omnes Causæ Gallicæ, præsertim Ecclesiasticæ, deciderentur; eademque ex verbis Decretalis *Honorii* aperte colligitur. Eandem tamen prohibitionem Reges posteriores *Carolus IX.* & *Henricus III.* Edictis suis promulgarunt. Interdixerunt enim Jus Civile Parisiis (155) doceri, aut gradus Academicos in eo Jure conferri, ne submittere se viderentur Legibus Imperialibus in Sede Regni sui & Curiis suis Supremis, & ne reliquæ Academiæ suæ negligerentur. Eandemque prohibitionem Senatus Parisiensis Decretis suis nuper (156) confirmavit.

XXXIX. Tantum vero honorem Juri civili Romanorum deferunt Galli, ut in Academiis suis nullæ aliæ Leges publice doceantur, præter Leges Romanas (157); in solo Jure civili gradus Scholastici in Academiis Gallicis conferuntur; nemo in Gallia admittitur (158) in Judicem aut Advocatum, nisi in utroque aut altero Jure Doctor aut Licentiatus fuerit; iis solum Dignitatum porta in Curiis Galliæ Supremis aperta est, sicut & apud reliquas Europæ Nationes (paucissimis exceptis) soli Juris Romani Consulti Judicum & Advocatorum munera (159) exer-

(155) *Charon. ad lib. 11. Cod. d'Henr. tit. 1. art. 5.* (156) *Arrest. Parlam. Paris. ann. 1577. Fontan. in Edict. & constit. in præf.* (157) *Baro. ad epist. Justin. ad Tribon. Girard. des offic. lib. 1. tit. 2. Servin. d. playd. 60. qu. 6. Delom. de Jurib. Regal. tit. 1. cap. 16.* (158) *Baro. l. nonnunquam 11. ff. de Just. & Jur. Guesnoy. conferen. des ordonn. lib. 1. tit. 21. & lib. 2. tit. 5. Pasqu. d. lib. 9. cap. 38. Bernard. de la Roche Flanin des Parlamen. de Franc. lib. 3. cap. 6. Servin. d. qu. 5.* (159) *Cabot. lib. 2. disp. Jur. cap. 4.*

exercent. Tantumque eſt Juris Romani apud Gallos ſtudium, ut plures numerentur in Gallia Juris civilis ſtudioſi & Profeſſores (160), quam in Germania, Italia, & Hiſpania; & adjiciunt aliqui plures lites in Curiis Galliæ, quam apud reliquas gentes vicinas univerſas (161) reperiri. Et in illa magna copia Juris Civilis Profeſſorum in Gallia ſuperiore ſeculo, qui numerantur in Schola & in Foro, unicus *Jacobus Cujacius* non poteſt reticeri, cui tot encomia Galli merito tribuunt, ut appellent eum Jurisconſultorum ſui & retro ſeculorum (162) Principem; a quo nativam Juris lucem & ſcientiam ea Ætas habuit, & poſtera debitura eſt, Tholoſæ ſuæ & orbis decus (163), & quod nulla ætas Juriſconſultum doctiorem, acutiorem, aut judicii ſincerioris vidit aut (164) videbit.

XL. Nec omitti debent Burgundiæ & Belgicæ ditiones, quæ olim pars Galliæ fuerant; quarum aliquæ adhuc Regis Galliæ Imperio parent; aliquæ ceſſerunt aliis Principibus, quæ tamen eodem modo, ut in Gallia, Jure civili Romanorum adhuc utuntur. Burgundiæ olim Reges (165) imperarunt, poſtea Duces, utrique Principes Supremi. Eademque primo per matrimonium Regno Franciæ (166) unita,

(160) *Paſqu. d. cap. 28.* (161) *Godefrid. ad conſuet. reform. Normann. v. conſuetudines in princ.* (162) *Thuan. hiſtor. lib. 62. & lib. 99.* (163) *Ciron. in paratit. decretal. in præfat.* (164) *Cauſabon. in Not. ad Lamprid. v. Africanus.* (165) *Chaſſanæ. ad conſuet. Burgund. in proœm. Loyſeau. des ſeigneur. cap. 2. n. 70.* (166) *Chaſſanæ. ad conſuet. Burgund. tit. des fiefs. rubr. 3. §. 5.*

ex alio matrimonio cum *Maria* (167) *Caroli* ultimi Ducis Burgundiæ filia Hispanis cessit. Sed hi Duces postea fuerunt Regum Galliæ Feudatarii, Pares Franciæ, & in Coronatione Regum Galliæ Jus augustum Diadema (168) gestandi habuerunt, paremque Romanis authoritatem concesserunt. Burgundiam enim inter Provincias Juris Scripti enumerat (169) *Chaßanæus*; atque ideo Jus civile Romanorum esse Jus commune in Burgundia; & Consuetudines Burgundiæ Interpretationem accipere debere a Jure Romano; & esse ita interpretandas, ut Jus Romanum minime corrigant aut lædant; & pro decisione omnium Causarum in Consuetudinibus Burgundiæ omissarum ad Jus Romanum esse (170) recurrendum.

XLI. Belgicæ vero Ditiones (quæ ex iisdem Nuptiis cum *Maximiliano* Austriaco in familiam Austriacam (171) illatæ sunt) pro aliqua parte sunt Consuetudinariæ, reliquæ Juris Scripti; & in iisdem post Consuetudines & Edicta Principum causæ ex Jure Scripto sunt decidendæ; & ex eorum Principum Edictis in casibus omissis ad Jus Romanum (172) est recurrendum; & in omnibus harum Provinciarum Curiis (173), tam Parlamento Mechlinensi,

(167) *Camili. Borrell. de Cath. Reg. præstan. cap. 254.* (168) *Choppin. lib. 3. de doman. Franc. tit. 8. n. 1.* (169) *Chassanæ. ad consuet. Burgund. tit. des successiones, rubric. 7.* (170) *Chassanæ. in concl. consuet. Burgund.* (171) *Choppin. de doman. Franc. lib. 2. tit. 4. num. 12.* (172) *Paul. Christinæ. dec. Belg. 343. vol. 1. Franc. Zypæus in notit. Jur. Belg. tit. de legib.* (173) *Lud. Guicciard. in descript. Provinc. Belg. §. descriptio generalis.*

nensi, quam Cancellaria Brabantiæ, aliisque inferioribus locorum Tribunalibus, Præsides & Consiliarii omnes sunt legum Doctores aut saltem Licentiati; causasque dijudicant ex Jure Civili & Canonico, post locorum Statuta, Consuetudines, & Constitutiones Principum: quæ tamen ita promulgantur, ut cum Jure Civili & Canonico plurimum conveniant. Atque ita constitutum fuit a *Johanne* Burgundiæ Duce in pluribus Edictis suis, quod & postea confirmatum est a *Carolo* Burgundiæ Duce, cum Senatum Meclinensem(174) instituéret, appellationibus ad Parlamentum Parisiense deinceps interdictis.

XLII. Inter Belgas vero Batavi (175) præcipui gloriantur, se nunquam fuisse a Populo Romano debellatos; nec Bataviam fuisse unquam inter Provincias Romanas Populi Romani vel *Cæsarum*: sed in societatem Romanorum admissos, & ab iis Socios, Amicos, & Fratres Populi Romani & Imperii Romani dictos (176) fuisse, atque ita, ex mutua utriusque Populi Societate, Amicitia & Commerciis, Leges Romanorum a Batavis fuisse receptas. De tempore vero, quo Batavi receperint Leges Romanas, ipsi hæsitant. Alii conjiciunt cœpisse harum Legum usum a Constitutione *Antonini Pii* (177), per quam omnes in Orbe Romano Cives Romani facti sunt; atque ita eos, ut ceteros omnes Cives Romanos, eorum Leges amplexos fuisse. Alii putant, eos justitia & pul-

(174) *Damhouder. in prax. rer. civil. cap. 5. n. 8. Lud. Guicciard. in loc. cit.* (175) *Tacit. de mor. German.* (176) *Grot. de antiquit. reip. Batav. cap. 3. & 5. Lud. Guicciardin. in descript. Holland. § anacephalæos.* (177) *L. 17. ff. de stat. hom. & Novell. 78. cap. 5.*

pulchritudine Legum Romanarum incitatos, easdem recepisse, postquam Imperator *Justinianus* eas ordine pulchro concinnaverat. Alii libentius referunt originem Legum Romanarum apud Batavos ad tempora *Guilielmi* Hollandiæ Comitis filii, qui Imperator Imperii Occidentalis ab Electoribus creatus, voluit, ut Batavi Jure Imperiali & Romano deinceps uterentur. Alii (cum origo Legum Romanarum apud Batavos tam incerta sit) arbitrantur Batavos paulatim (178) & tacite eas recepisse, Patronis Causarum eas ob earum præstantiam allegantibus, & Judicibus ex Regulis Juris Romani causas dijudicantibus. Sed omnes demum in hoc consentiunt (179), Batavos diu Jure Romano usos fuisse, & modo uti in Judiciis suis, ubicunque causa proposita per Leges aut Consuetudines Provinciæ non est determinata. Et in hoc denique prædicanda est Batavorum gloria, qui fortitudine & constantia sua Leges Romanas suasque ad remotissimas Orbis Terrarum Partes in Asia, Africa, America propagarunt.

XLIII. Atque ita Galliam sine invidia possunt Galli appellare veram Jurisprudentiæ Romanæ (180) Sedem; qui, dum contendunt contra authoritatem Legum Romanarum pro Majestate Regum suorum tuenda, ipsi easdem præ reliquis Gentibus exornarunt, & ab iisdem vicissim ornamentum acceperunt. Et hæc de Gallia dicta sint, quantum ex Jurisconsul-

tis

(178) *Franc. Zypæ. in notit. Jur. Belg. tit. de legib. ex Grot. Isag. Jur. Holland. lib. 1. cap. 2.* (179) *Paul. Merula in synops. prax. civil. in Provinc. Holland. Zeland. & West-Friez. lib. 1. tit. 4. cap. 1. edit. ann. 1619. Zypæ. d. cap. 2.* (180) *Pasq. Recher. lib. 9. cap. 39.*

tis Gallicis assequi potui. Exactam porro Juris Romani in Gallia delineationem expectamus omnes e Tractatu eximii Antecessoris Tholosani *Jo: Costa* de Origine Juris in Gallia; quem *Innocentius Cironius* Cancellarius Tholosanus (181) laudavit. E Gallia transeundum jam est ad Regna potentissimi Regis Hispaniæ, de quibus in sequenti Capite tractandum erit.

(181) *Ciron. lib. 5. observ. Jur. Canon. cap. 6. & 7.*

CAP. VI.

De Usu & Authoritate Juris Civilis Romanorum *in Regnis* Hispaniæ.

I. INgredimur jam Hispaniam, cujus Regna olim inter varios Reges divisa sub potentissimi Regis Hispaniarum *Philippi* Corona modo coierunt: Hispanis vero Romanæ Leges semper placuerunt, ex ea similitudine Morum & Virtutum, quæ inter utrumque Populum intercessit. Cum inter Europæas Gentes nulla propius accedat ad Romanam, gravitate, constantia, & prudentia, quam Hispanica. Ipsique Galli, Hispanorum æmuli, Gentem Hispanicam esse admodum sagacem (1), bellicosissimam, & ceteros Europæ Populos ingenii præstantia superare (2) testantur;

(1) *Jac. Aug. Thuan. hist. lib. 1.* (2) *Bodin. lib. 5. de rep. cap. 1.*

ſtantur; & Imperium Gallicum Hiſpanicæ Magnitudini cedere agnoſcunt; & , ubi Galli deſierunt, Hiſpanos rerum potiri incepiſſe.

II. Dum vero de Legibus Hiſpanicis & Romanis tractamus , ante omnia cognoſcendum , quamdiu Hiſpani ſub Romanorum Dominatione fuerunt: iiſque pulſis quamdiu Alanis , Vandalis , Svevis, & Gothis, poſtea vero Mauris & Sarracenis paruerunt. Et denique,quando ad libertatem propriam ſub Regibus ſuis a ſe conſtitutis redierunt ; cum veriſſime aſſerat *Antonius Olibanus* (3) in Regio Concilio Arragoniæ Senator , Legum uniuſcujuſque Provinciæ veram cognitionem ab Antiquitatibus & Hiſtoriis cujuſque Gentis petendam eſſe.

III. Hiſpaniam primo aggreſſi ſunt Romani per *Gn.* & *P.Scipionem* Africanos initio ſecundi Belli Punici , quod Saguntini in fide Carthaginenſium Sociorum ſuorum conſtantes extremo paſſi ſint , & demum perierint. Tum vero licet magna pars Hiſpaniæ, per fortitudinem Africani , Romanis acquiſita fuerit : tamen inter Hiſpanos & Romanos per ducentos poſtea annos ancipiti fortuna dimicatum eſt, ſub *Indibili* Rege,& *Sertorio* Duce fortiſſimo, aliisque. Hiſpania interea aliquando a Romanis poſſeſſa, aliquando amiſſa ; donec poſtea ſub *Auguſto* Cantabri demum debellati ſunt, & univerſa Hiſpania Romanis ſtipendiaria (4) facta eſt.

IV. Ab eo tempore Hiſpania Romanis paruit uſque

(3) *Ant.de Oliban.in com.de act.par.1.lib.3.cap.2.n.1.* (4) *Panцirol.notit.Imper.Occident.cap.67.Thuan.hiſtor.lib.1.*

usque ad annum (5) Christi CCCC. X. quo Gothi Hispaniam Romanis ereptam tenuerunt. Interea vero Populus Romanus aliquas Hispaniæ partes per Prætores suos, plerumque *Cæsares*, totam Hispaniam Populo Romano subjectam per Proconsules, Legatos, Præsides, & post *Constantinum Magnum*, per Præfectos Prætorio Galliarum, Comites aut Vicarios gubernabat; quod ex Scriptis Jurisconsultorum Romanorum in Pandectis, & Constitutionibus, Rescriptisque Imperatorum in Codice abunde (6) constat. Omnesque fere Jurisconsulti Hispani aliique agnoscunt (7), Hispaniam universam fuisse diu sub Dominatione Romanorum. Solus *Martinus Navarrus* (8) negat, Hispanos fuisse subditos Romanis, sive, quod vi injusta & sine titulo idoneo devicti sunt; sive, quod aliqui Hispaniæ Populi, præsertim Navarræi & Cantabri, in eorum Dominationem nunquam consenserunt.

V. Post attritas deinceps *Cæsarum* vires in Occidente, Vandali, Svevi, & Alani (9), a Stilicone acciti,

(5) *Covarr. ad cap. peccatum, §.9. num.9. de reg. jur. in 6. Pancir. d. notit. cap.71. Thuan. lib.1.* (6) *L. relegatorum, §. interdictio, ff. de interd. & releg. l 2. §. capta, ff. de orig. jur. l. pr. cia rerum, §. fin. ff. ad l. Falcid. l. servus, §.1. ff. de statu lib. l. cum possessor. ff. de censib. l.2. C. de offic. præf. præt. Afric. l. si a furioso, C. de donat. ante nupt. l. cum servum, C. de serv. fugit. l. vitia, C. de acq. poss. l. fin. C. si per vim.* (7) *Castald. de Imper. qu.53. Oliban. in comm. de act. par. 1. lib.3. cap.2. n.3. Matiens. in dialog. relator. par.3. cap.34. n.6. Gutierr. pract. quæst. lib.3. quæst.13. num.2. Bellug. in spec. Princip. rubr.14. §. veniamus, n.12. per cap.8. lib. Maccabææ. Franc. de Amay. ad l. præcipimus, C. de Canon. Largit. lib.10.*
(8) *Navarr. in relect. ad cap. novit, de Judic. not.3. n.160.* (9) *Roder. Toletan, lib.2. Rer. Hispan. §.4, Covarr. lib.1. pract. quæst. cap.1. num.1. Thuan. d. lib.1.*

citi, Hiſpaniam aliquandiu tenuerunt. Ad quos expellendos *Honorius* Imp. uſus opera Gothorum, iis dedit Aquitaniam & Galliam Narbonenſem, quibus non contenti Reges Gothorum, Hiſpaniam invadunt, quam, exactis Romanis, quiete poſſederunt per trecentos fere annos uſque ad annum Chriſti DCCXIV. (10) quo Mauri & Sarraceni, per fretum Herculeum Hiſpaniam ingreſſi, Gothos profligarunt, *Roderico*, ultimo Gothorum Rege, cæſo; in quo prælio omnis fere Gothorum nobilitas cecidit, & tota Hiſpania ceſſit Ditioni Sarracenorum; præter eos Gothos (11) qui in Aſturorum & Cantabrorum montibus ex eo tempore remanſerunt, a quibus præcipua hodie inter Hiſpanos nobilitas originem ſuam repetit. Ideoque Biſcaynos Hiſpani tradunt (12) eſſe originarios Hiſpaniæ Populos, cum aliis Populis nunquam commixtos; eorumque idioma fuiſſe unum ex iis ſeptuaginta duabus Linguis, quas Deus in confuſione Turris Babylonicæ Gentibus inſpiravit: eademque de cauſa Biſcaynos originarios omnes Hidalgos & Nobiles eſſe prædicant. Mauri vero Sarracenique Hiſpaniam tenuerunt, ſupra ſeptingentos annos uſque ad annum M.CD.XCII. quo *Ferdinandus* & *Iſabella* eos Hiſpania univerſa (13) expulerunt, præter illas Maurorum reliquias, quas *Philippus II.* e Granatæ Regno hoc ſeculo ejecit.

VI. A Sar-

(10) *Covarr. d. cap. 1. n. 1. & ad c. peccatum, §. 9. n. 9.* (11) *Navarr. d. notab. 3. n. 160. Gutierr. d. lib. 1. qu. 17. num. 160. Covarr. d. cap. 1. num. 1. Thuan. d. lib. 1.* (12) *Navarr. & Gutier. in loc. cit.* (13) *Covarr. pract. quæst. lib. 1. cap. 1. num. 1. Thuan. in loc. cit.*

VI. A Sarracenorum vero & Maurorum tyrannide primi se liberarunt Navarræi & Legionenses (14), Regesque sibi elegerunt, illi *Hennecum*, hi vero *Pelagium*, ob res strenue gestas contra Mauros. Eosque reliqui Hispani imitati sub electis a se Regibus, vel sub aliis Hispaniæ Regibus contra Mauros auxilia suppeditantibus, in varia Regna se diviserunt; quæ omnia, per admirandam ejus Gentis vel prudentiam vel felicitatem, sub unius Regis Dominatione hodie (15) concurrunt. Arragoniæ Regnum fuit recuperatum per *Hennecum* Regem Gentis Gothicæ a Mauris, & ab eo transmissum ad *Ramirum*. Regnum Castellæ per *Pelagium*. Regnum Valentiæ & Cathaloniæ Dominium per Regnum Arragoniæ. Regnum Toleti per *Alfonsum IV.* Castellæ Regem. Cordubæ, & Granatæ Regnum per *Ferdinandum* filium Regis *Legionis*. Murciæ Regnum per *Alfonsum X.* Regem Castellæ. Galliciæ Regnum per *Alfonsum* Regem Asturiæ & Legionis. Granatæ & Gibraltaris Regna per *Ferdinandum*, & *Isabellam*. De solo Navarræ Regno est controversia inter Hispanos & Gallos: quia Regnum illud per *Hennecum* a Mauris recuperatum anno CM. XII. penes ejus Posteros mansit. Idemque ad Gallos deinceps transivit, ex Nuptiis *Gastonis* Comitis Fuxensis cum *Eleonora* filia *Joannis* Regis Castellæ, & *Blanchiæ* Reginæ Navarræ, quorum filia *Catharina* Fuxensis nupsit *Joanni Labretano*, Patri *Henrici*

La-

(14) *Garribai. Histor. Hispan. lib. 8. cap. ult. Navarr. in d. Notab. 3. num. 117.* (15) *Camill. Borrell. de Cath. Reg. præst. m. cap. 46.*

Labretani, cujus filia *Joanna Labretana* nupta *Antonio Bourbonio* peperit *Henricum Magnum*, in quo Jus Regni Navarræi ad Coronam Galliæ accessit.

VII. Sed *Ferdinandus* Rex Catholicus, sub Jure Regni Arragoniæ, per concessionem *Julii II.* Pontificis Romani, idem *Joanni Labretano* Regi Navarræ ademit; cui *Julius* Sacris interdixerat, quod negaverat (16) transitum Copiis *Ferdinandi* & *Henrici VIII.* Regis nostri, pro Pontificis auxilio contra *Ludovicum XII.* Regem Galliæ missis; & *Joannem* Regno Navarræ exutum Benearnum se recipere coegit. Idemque Reges Hispaniæ, *Ferdinandi* Posteri, adhuc possident. Et pro Jure Hispanorum in Regno Navarræ scripserunt Jurisconsulti (17) Hispanici contra *Mart.Navarrum*, *Bodinum*, & *Carolum Molinæum*, qui asserunt (18), teneri Reges Hispaniæ Navarram *Labretani* Posteris restituere. Ex quo consilio deliberavit *Philippus II.* anno M.D.LIX. de concedenda Sardinia aut alia Provincia cum supremo Imperio, Regi Navarræ (19) in compensationem Regni sui; quem tamen postea, alio consilio usus, elusit.

VIII. Ita, pulsis tandem ex Hispania universa Mau-

(16) *Thuan. lib.1. Bodin. lib.1. de repub.cap.9.* (17) *Jo:Lup.de retent.Navarr. par.5.§.3. Ant.de Padill.ad l.per agrum*, C.*de servit.& aqu. num.22. Ant.Nebrissen.de bell.instit. Ferdin.& Isabell.contr. Navarr.Borell. de Cath.Reg.præstan.cap 46. num.104. Anastas.Germon.de sacr.immunit. lib.3. cap.13 num.41.* (18) *Navarr.lib.de finib.humanar.act. Bodin. lib.1. de Repub. cap.9. Carol.Molinæ, ad consuet.Paris. pag.1.§.39. num..* (19) *Thuan. histor. lib.23. Famian. Strad. histor. Belg. dec.1. lib.3. num.1562. Servin. Playdoy. quæstion. si les bants Navarrois.*

Mauris & Sarracenis, & ceteris Hispaniæ Regnis per uniones & affinitates ad Regnum Castellæ prospere accedentibus, Hispani ad miram Imperii amplitudinem pervenerunt. Acquisitis porro in Europa, Regno Neapolis & Siciliæ, Ducatu Mediolanensi, Burcundia, & præcipua parte Belgii, insigni parte Africæ & Asiæ, cum America pœne universa, Romanos Imperii ambitu superarunt. Et Gens, hactenus inter Pyrenæos montes, Oceanum & Mare Mediterraneum conclusa, exterisque gentibus per multa secula parere assueta, præcipuis Orbis Terrarum partibus imperare videtur (20), nomenque Hispanorum ante obscurum, Terrarum Orbi formidolosum esse cœpit.

IX. Dum vero de authoritate Legum Romanarum in Hispania agimus, illud Hispanorum & reliquarum Europæ Gentium consensu receptum est; Reges Hispanorum nullo modo subesse Romano Imperio, sed esse Principes supremos & sui Juris, Legibusque Romanis non astringi. Easdem in Hispania non ex vi Sanctionis & Imperii, sed ex earum justitia & ratione, receptas fuisse. Omnes enim Jurisconsulti, non Hispani modo, sed & Galli Italique, asserunt, Reges Hispaniæ esse liberos & solutos ab omni Dominatione Imperatorum Romanorum; quod proprio sanguine & expensis, sine auxilio Romano-

O rum,

(20) *Thuan d. lib. 1.*

rum, Sarracenos & Mauros Hispania (21) ejecerint; quod teneant sua Regna, ut res captas in bello (22) & Jure Gentium; quod Imperatores, Hispaniam pro derelicta (23) habentes, Jus quod habuerunt amiserint; quod per tempus immemoriale Hispanos pro Jure suo non interpellaverint (24); & quod, sine lapsu tanti temporis, & cessante Sarracenorum extrusione, potuerant Hispani statim Romanorum Dominationem exuere, si vires nancisci potuissent; quia Romani sine titulo (25), per vim & injuste Hispanis imperarunt; & ad Hispaniam amissam postliminio redire potuerunt. Nec *Carolus Magnus* Hispaniam postea Jure Imperatoris Romani recuperavit, quod asserit *Jo: Faber* (26), quia *Alfonsus* Galliam & Asturiam, reliquas Hispaniæ partes Sarraceni tenebant, seculo *Caroli Magni* & usque ad tempora *Ferdinandi* & *Isabellæ*, qui (27) eos exterminabant.

X. Ex his rationibus Reges Hispaniæ neminem Su-

(21) *Gl. in cap. Adrianus, dist. 63. Abb. & Dd. ad cap. novit. de Judic. Bald. ad l. ex hoc Jure, de Just. & Jur. Abb. ad cap. per venerabilem, qui fil. sint legit. Navarr. d. notab. 3. n. 105. Castald. de Imper. qu. 53. Curset. de potest. reg. par. 3. qu. 22. n. 19. Redin. de Majest. Princ. in princ. n. 15. Old. ad cons. 69. Bellug. in spec. Princ. rubr. 14. §. veniamus, n. 25. Vasq. lib. 1. controv. illustr. cap. 22. n. 11. Card. Tusch. v. Rex Hispaniæ, conclus. 345. n. 1. Gryphiand. de Weichbild. Saxon. lib. 1. cap. 10.* (22) *Arened. ad Constit. Reg. lib. 4. tit. 1. n. 16. Avendan. de exequen. reg. mand. cap. 3. num. 3.* (23) *Villalob. in antin. Jur. civil. & Hispan. in princ. num. 1. Bellug. §. veniamus, n. 25.* (24) *Felin. in cap. cum non liceat, de præscript. Covarr. ad cap. peccatum, par. 2. §. 9. num. 9. de reg. Jur. in 6. Vasq. lib. 2. controv. illustr. cap. 82. n. 21.* (25) *Castald. de Imp. qu. 53. Villalob. d. num. 1. Vasq. d. num. 21.* (26) *Jo: Faber in proœm. Instit. n. 10.* (27) *Gryphiand. de Weichbild. Saxon. lib. 1. cap. 10. num. 7.*

Superiorem (28) recognoſcunt, ſed in ſuis Regnis ſunt Imperatores & Monarchæ; ſuique Juris & Supremi Leges pro ſubditis poſſunt condere (29), Juris Romani Sanctionibus derogantes; & nullius Superioris (30) Legibus tenentur; nec de Jure nec de facto Imperatores Romanos (31) recognoſcunt. Et cum hæc Controverſia olim agitata eſſet inter *Henricum* Imperatorem Romanum, & *Ferdinandum* Regem Hiſpaniæ in Concilio Turonenſi ſub *Victore II.* Pontifice Romano; ubi Imperator apud Pontificem per Legatos ſuos conqueſtus eſt contra *Ferdinandum*, quod diceret, ſe exemtum ab omni Jure Romani Imperii, & ſe Imperatorem nominaret; & rogavit, ut coram Legatis a Pontifice conſtitutis hæc cauſa diſceptaretur. Qui auditis utrinque litigatoribus, pro Libertate Regis Hiſpaniæ (32) pronunciarunt: Regeſque Hiſpaniæ non modo Imperatores & Monarchæ, ſed & Summi Regum (33) omnium, inter Chriſtianos, prædicantur. In hac tamen Regum Hiſpaniæ immunitate a Dominatione Imperatorum

O 2 il-

(28) *Navarr. d. notab. 3. n. 161. Perez. ad ordinat. Regn. Caſtell. in proœm. qu. 1. Greg. Lopez, ad l. 17. tit. 27. par. 3. Gomez. ad §. Injuria, Inſtit. de act. Salgad. de reg. protect. par. 1. cap. 1. num. 26.* (29) *Affict. in Conſtitut. Reg. in prælud. qu. 2. Bellug. in d. §. veniamus, n. 13. Arened. in Reg. Conſtit. in prælud. lib. 2. tit. 1. Pinell. ad rubr. C. de bon. matern. n. 12. Olan. in antinom. Jur. Civil. & Can. in præfat. num. 2.* (30) *Pererr. in d. proœm. q. 1. Villalob. in antinom. Jur. Civil. & Hiſpan. in pr. n. 1. Borrell. de Cath. Reg. præſtant. cap. 31. n. 21. Cabed. deciſ. Luſit. 211. n. 3.* (31) *Engelbert. Abb. de Ortu, & interit. Rom. Imper. cap. 16. Menoch. conſ. 2. n. 102. Corſet. de poteſt. Reg. par. 3. qu. 22. n. 19. Gabriel. com. concl. lib. 5. concl. 3. Salas de legib. qu. 95. diſp. 7. ſect. 8.* (32) *Marian. lib. 9. de reb. Hiſp. cap. 5. Azor. inſtit. Morall. par. 2. lib. 11. qu. 5.* (33) *Burg. de Paz. in proœm. relect. ad leg. Taur. n. 144. Carol. de Graſſ. de except. excep. 1. num. 21.*

illud a plerisque Jurisconsultis conceditur, eum pro Ducatu Burgundiæ esse Imperatori subditum; & habere suffragii Jus in Comitiis Imperii Germanici; eundemque Jurisdictioni Cameræ Imperialis esse obnoxium (34), contendunt.

XI. Neque soli Hispaniæ universæ Reges, se liberos a Romani Imperatoris potestate esse, asserunt, sed & singulorum Regnorum Hispaniæ Reges eandem immunitatem sibi semper vendicarunt. Ita Castellæ Reges esse Supremos Principes suique Juris, & non subesse Romanis Imperatoribus, sed Castellam, ut res in bello captas (35) possidere, Hispani asserunt. Eandemque libertatem postulant Reges Legionis, qui primi Hispanorum, pulsis Sarracenis, Jus pristinum recuperarunt, & neminem postea Superiorem (36) recognoverunt. Idemque Regnum postea Castellano unitum, eidem tamen postpositum est, quod Legionense olim erat Castellano Feudatarium. Quam Sententiam adversus *Carolum Molinæum Ludovicus* (37) *Molina* defendit. Eadem ratione Reges Navarræi, se esse solutos a Potestate Imperatorum Romanorum, asserunt; quod Regnum suum a Sarracenis proprio Marte recuperaverint; atque ideo se posse Leges contra Jus Civile Romanorum (38) promulgare.

XII. De-

(34) *Gail. de pac. publ. cap. 6. num. 14. Mindan. de process. lib. 1. cap. 38. n. 15. Math. Stephan. de Jurisd. 1. l. 2. cap. 7. n. 19.* (35) *Avendan. de exequen. mandat. reg. Hisp. cap. 1. n. 1. Arened. ad constit. Reg. l. 4. tit. 1. n. 11.* (36) *Gl. in cap. & si necesse v. restituere, de donat. int. vir. & ux. Navarr. d. notab. 3. n. 117. Borrell. de Cath. Reg. præstan. cap. 46. n. 170.* (37) *Molin. de majorat. tract. 2. disp. 614.* (38) *Navarr. d. n. 117. Afflict. in constit. Regn. in prælud. quæst. 2.*

XII. Denique Arragoniæ Reges eadem libertate contra jugum Imperii Romani gavisi sunt, quia recuperarunt a Sarracenis; & inter Supremos Principes (39) enumerantur; utuntur titulo (*per la gracia de Dios*); possunt Leges condere (40) contra Jus Romanum. Quorum etiam Potestas licet videatur coerceri, quod non possint Leges condere nisi in Comitiis Regni sui, & cum consensu (41) Procerum, Episcoporum, Militum, & Civium; dicuntur tamen Reges Supremi; & eorum Leges appellantur Leges Regis; ipseque illis est (42) solutus; solusque potest Legum violatores punire, & cum iisdem dispensare. Eodemque Jure utitur Princeps Cathaloniæ & Comes Barcinonæ (quæ est Cathaloniæ Metropolis) eodemque modo in Comitiis leges sancit Et licet Cathalonia fuerit Arragoniæ unita, ea tamen unio facta fuit principaliter & non accessorie, quæ ex Sententia *Bartoli*(43) priora Cathaloniæ Jura conservat. Et Principes Cathalonii suis Legibus Juribusque(44) fruuntur, paremque potestatem cum Regibus Arragoniæ habent.

XIII. Ex his constat, quomodo Hispania primo Romanis, deinde Vandalis, Alanis & Svevis; po-

(39) *C. Abbate, & ibi gl. & Innoc. de sent. & re jud. in 6. Burg. de Paz. in proœm. relect. ad leg. Taur. num. 31. Borell. de Cath. Reg. præstan. cap. 46. n. 53. Card. Tusch. concl. 339.* (40) *Afflict. in constit. Reg. in prælud. qu. 2. Bellug. in Spec. Prin. rubr. 13. §. quædam.* (41) *Bodin. lib. 1. de repub. cap. 8.* (42) *Salas de legib. qu. 95. disp. 14. sect. 2. §. 2.* (43) *Bart. ad l. si convenerit 2. §. si Judex, ff. de pign. act. Jos. de Sess. decis. Arragon. 113. n. 30. August. Barbos. ad cap. per venerabilem, qui fil. sint legit.* (44) *Oliban. in comm. de act. par. 1. lib. 3. cap. 2. n. 9. & cap. 3. num. 7. Ciron. lib. 5. observ. Jur. Canon. cap. 6.*

ſtea Gothis, demum Mauris & Sarracenis ceſſerit; & denique libertatem ſub propriis Regibus adepta fuerit. Jam ſupereſt a nobis quærendum, quas Leges Hiſpani habuerunt in tot Dominantium mutationibus; & in ſingulis quomodo Romanas Leges admiſerunt; & quem locum inter Leges Hiſpaniæ Jus Civile Romanorum hodie ſortiatur.

XIV. Dum Hiſpania erat ſub Romanis Imperatoribus, ſolis utebantur Hiſpani Legibus Romanis, ut Juriſconſulti Hiſpani (45) tradunt; idemque Conſtitutiones & Reſcripta Imperatorum in Pandectis & Codice clariſſime probant, de quibus ſupra dictum eſt. Poſt eos Vandali, Alani & Svevi, dum Hiſpania potiebantur, vel incerto Jure utebantur (46), vel, ſi certas habebant Leges, non conſtat de aliis quam Romanis. Gothi deinceps iis ſuccedentes primo erant valde propenſi in Leges Romanas, & eorum Rex *Athaulphus* Anno CCCC. XII. Edicto mandat Subditis ſuis, ut Romanas (47) Leges ſimul cum Gothicis ſervent. Et *Athalaricus* in Conſtitutione ſua ad populum Romanum, idem Jus Romanis & Gothis commune futurum (48) eſſe pollicetur. Poſt eos *Alaricus* Rex Gothorum Codicem *Theodoſianum* per *Anianum*, Cancellarium ſuum, promulgari (49) juſſit, qui etiam Notas in *Pauli* Sententias, & *Caji* Inſtitutiones (50) compoſuit. Sed inſequentes Reges Go-

(45) *Matien. in dialog. relat. par. 3. cap. 34. n. 5. Oliban. in d. lib. 3. cap. 2. num. 3.* (46) *Oliban. d. cap. 2. num. 14.* (47) *Melch. Goldaſt. conſtit. Imper. tom. 3.* (48) *Melch. Goldaſt. d. tom. 3.* (49) *Ciron. lib. 5. obſerv. Jur. Can. cap. 2.* (50) *Decian. in apolog. adverſus Alciat. lib. 2. cap. 7.*

Gothorum, odio Romani Nominis, & æmuli Legum Romanarum, earumque memoriam delere cupientes, Codicem *Theodosianum* (51) amplius ferre non potuerunt; sed Leges Genti suæ condiderunt.

XV. Primus autem *Evaricus* seu *Thodoricus* Leges Gothis scripsit, quæ postea per *Alaricum* ejus filium, & *Levvilgeldum*, Regesque Gothorum insequentes ex suis Decretis (52) auctæ fuerunt. Et demum Codicem Legum Visigothorum (qui fuerunt Gothi Occidentales in Hispania, sicut reliqui Gothi in Gallia & Italia Orientales Gothi seu Ostrogothi dicti sunt) duodecim Libris (53) comprehensum imitatione Codicis *Justinianæi* promulgarunt, in quo prohibetur usus Romanarum omniumque aliarum Legum, præter Leges Gothicas(54) in eo Libro contentas. Sed in eo tamen Codice plurima ex Legibus Romanis (55) petita sunt, idemque magnam deinceps auctoritatem consecutus est inter Burgundiones (56), Saxones, aliosque Populos; & in Conciliis Ecclesiæ hæ Leges Gothorum sæpe laudantur. Atque ita Leges Gothicæ cum Romanis permixtæ observatæ sunt, non solum a Gothis, sed & a Sarracenis, & demum ab Hispanis (57) usque ad *Alfonsum X.* qui abrogatis ex desuetudine Gothicis Legibus, Romanas introduxit, & Leges Romanas Hi-

 spanico

(51) Ciron. lib. 5. observ. Jur. Canon. cap. 1. & 4. (52) Ciron. d. lib. 5. cap. 2. (53) Decian. in apolog. d. cap. 7. Choppin. lib. 2. de doman. Franc. tit. 15. n. 5. (54) Cod. leg. antiqu. edit. per Lindenbrog. par. 1. post præfat. (55) Ant. August. lib. 2. de emend. Gratian. dial. 2. Decian. d. cap. 7. Ciron. d. lib. 5. cap. 7 Choppin. d. n. 5. Cod. leg. 5. Antrin. de Visigoth. legib. lib. 2. tit. 1. & 8. (56) Ciron. d. lib. 5. cap. 2. (57) Ciron. d. lib. 5. cap. 7.

ſpanico ſermone ſcriptas (58) Hiſpanis edidit. Neque enim Leges Gothicas unquam abrogatas fuiſſe (59) conſtat in Hiſpania aliter, quam per deſuetudinem; cum in pleriſque Hiſpaniæ Regnis valuerunt uſque ad *Alfonſum IX.* qui Leges Romanas in Hiſpaniam poſtliminio reduxit, & in pleriſque Hiſpaniæ Regnis uſque ad *Alfonſum* obſervatæ fuerunt. Ita *Raymundus* Princeps Cathaloniæ compoſuit Uſaticos Barcinonenſes ex Legibus Gothicis & Conſuetudinibus Feudorum pro ſupplendo Jure Gothico (60) ubi defecit. Et in Regnis Arragoniæ Legioniſque *Alfonſus* Rex Legibus Gothicis, pro cauſis de novo emergentibus (61), ſuas adjecit, & in Caſtellæ Regno, uſque ad *Alfonſum* Sapientem, authoritatem habuerunt.

XVI. Poſt ejectos Sarracenos & Mauros, Hiſpaniæ Reges, relictis Legibus Gothicis, Jus ſuum pro Subditis ſuis conſtituerunt: quod in Conſtitutionibus, Ordinamentis, Pragmaticis, Conſuetudinibus, Legibuſque Fori & Legibus ſeptipartitis (quas alii *Alfonſo IX.* alii *X.* aſcribunt, forſan quia ille componi juſſit, hic confirmavit) continetur (62). Ex his omnibus componitur Jus, quod Hiſpani Jus Regium appellant: quanquam Leges ſeptipartitæ, quas *Alfonſus* (ex eo ſapiens dictus) promulgavit, potius Leges Romanæ, quam Hiſpanicæ (63) dicendæ ſint. Nam

(58) *Covarr. lib. 1. var. reſol. cap. 14. n. 5. Choppin. d. n. 5.* (59) *Ciron. d. lib. 5. obſerv. cap. 1.* (60) *Oliban. comm. de act. par. 1. lib. 3. cap. 2. n. 9.* (61) *Roder. Toletan. lib. 5. cap. 19. Ciron. d. cap. 6.* (62) *Recopil. de las leyes por Philipp. II.* (63) *Borrell. de Cath. Reg. præſtan. cap. 68. n. 8.*

Nam *Alfonsus* Romanas Leges Idiomate Hispanico pro usu Gentis suæ edi jussit, usus opera *Petri Lopez* & *Bartolomæi d'Arienza* in Jure Civili peritissimorum; easque Leges appellavit Romanas in Linguam Hispanicam (64) translatas; & fuisse (65) petitas, asserit, ex Imperatorum Constitutionibus in Codice *Justinianæo*, & Jurisconsultorum Scriptis in Pandectis; & vix unquam reperiri contrarias (66) Legibus Romanis: atque ideo ad Leges Romanas esse (67) reducendas, ne iis derogent; & a Legibus Romanis earum Interpretationem petendam (68) esse, & ita esse interpretandas, ut evitetur inter eas omnis discordia (69) & contradictio: cum Conditorum propositum fuerit Leges Hispanicas reducere ad Romanas (70), quantum verba pati possunt (71). Et ad Leges Partitarum adjecerunt Glossas eximii Professores Juris Romani, *Gregorius Lopez*, *Diaz de Montalvo*, aliique, qui eas a Jure Civili & Canonico petierunt. Inter eos autem laudatur præ ceteris *Gregorius Lopez*, cui & Rota Romana (72) plurimum defert.

XVII. De hoc vero Jure Regio in Hispania & Jure Civili Romanorum inter maximos Hispaniæ Ju-

(64) *Covarr. lib. 1. var. resol. cap. 14. n. 5. Avity. in descript. Europ. tit. de Hispan.* (65) *Choppin. de doman. Franc. lib. 2. tit. 15. n. 5.* (66) *Burg. de Paz. in relect. ad l. 11. Taur. n. 443. & 565. Villalob. in antin. m. Jur. civil. & Hispan. in princ. n. 15.* (67) *Burg. de Paz. ad d. l. 1. n. 565.* (68) *Covarr. lib. 1. var. resol. cap. 14. n. 1.* (69) *Gonzal. ad reg. 8. Cancell. de mensib. gl. 43. n. 80. Burg. de Paz. d. n. 565.* (70) *Villalob. in d. præfat. num. 15.* (71) *Petr. Barbos. ad tit. Cod. de novo Cod. facien. n. 11. Gonzal. ad d. reg. 8. gl. 9. cap. 1. num. 111. par. 1. Oman. in concord. Jur. com. & Hispan. in præfat. ad Lector.* (72) *Gonzal. d. gl. 9. cap. 1. Barbos. d. n. 11.*

Jurisconsultos diu controversum fuit: an solum Jus Regium habeat vim Juris Communis; an etiam Jus Romanum pro Jure Communi sit habendum. Nam alii solum Jus Regium asserunt esse Jus Commune in Hispania, & Jus Romanum habere vim rationis solam: alii vero etiam hujus Juris vim Romano simul cum Jure Regio attribuunt. Rursus de Jure *Cæsareo* & *Canonico* disceptatur; nam aliquando Jus *Cæsareum* pro *Canonico*, aliquando Jus *Canonicum* pro *Cæsareo* admittitur. Deficiente Regio, pro Moribus uniuscujusque Regni: aliqui etiam relinquunt Arbitrio Judicis, quod Jus primo sequendum sit, prout ex causæ qualitate sibi æquius visum fuerit. De singulis hisce Articulis aliquid est dicendum.

XVIII. Prima Opinio, quod solum Jus Regium vim Juris Communis habeat, multorum Sententiis (73) confirmatur. Qui pro tuenda Majestate Regum suorum asserunt, Hispanos Legibus & Imperio *Cæsarum* non teneri; & Leges Romanas non aliter admittunt in Hispania, quam ut rationem naturalem, & Dicta Sapientum, & non aliter, quam ut concurrunt cum Jure Regio Hispaniæ, idemque confirmant; nec nisi per Regias Constitutiones approbatæ fuerint. Et eam ob causam Legem fuisse latam in Hi-

(73) *Jo: Lup. in repetit. rubr.* de *donat. int. vir. & ux. num.* 19. *Did. Perez ad ordin.* Regn. Castell. *in proœm. qu.* 2. *Molin.* de *primogen. lib.* 3. *cap.* 12. *n.* 11. *Villalob. in antinom. Jur. civil. & Hisp. in princ. n.* 10. *Morl. in Empor. qu. par* 1. *tit.* 1. *qu.* 16. *n.* 13. *Bellug. in Spec. princ. rubr.* 11. *§. his igitur, num.* Gutierr. de juram. confirm. præl. 3. cap. 14. n. 5. Arened. ad constit. Reg. lib. tit. 2. num. 1. Lopez in pract. crimin. cap. 147. Salas de legib. qu. 95. disp. sect. 9.

Hiſpania prohibentem ſub pœna Capitis, Leges Romanas in Judiciis (74) allegari, cujus Legis poſt Oldradum plures Juriſconſulti Hiſpani meminerunt.

XIX. Secunda Opinio a multis etiam Hiſpaniæ Juriſconſultis (75) defenditur, ſcilicet Jus Romanum in Hiſpania Juris Communis vim habere, & deficiente Jure Regio, cauſas ex Jure Civili Romanorum eſſe dijudicandas; & Leges Romanas appellari ſæpe Jus Commune in Legibus Partitarum & Ordinamenti, & in Legibus Madriti editis anno M.D.II. & Leges Hiſpanicas ex Jure Civili Romanorum eſſe interpretandas; eaſdemque, ſi ſunt correctoriæ Juris communis, eſſe ſtrictiſſime interpretandas; & non extendi ad caſus omiſſos (ſed hos eſſe relinquendos diſpoſitioni Juris communis) eaſque deviantes a Jure communi eſſe reſtringendas, quantum fieri poteſt; & Jus commune Romanorum, ut Jus commune Hiſpaniæ a Legibus in Lege prima Tauri eſſe approbatum; atque ideo Legem partitarum, prohibentem alienationem rerum Eccleſiaſticarum, cenſeri prohibuiſſe (76) conceſſionem uſusfructus, quia ita in Jure Civili conſtitutum eſt. Et ex eadem ratione cum appellans, in Cauſa appellationis ſuccumbens,

(74) *Oldrad.conſ.69.Jo:Andr.& Dd.ad cap.ſuper ſpecula,de privil.Mich.Ulcur.de regim.mund.par.1.qu.2.n.8.Molin.de Monarch.Franc.cap.30. Salas de legib.qu.95. diſp.7.ſect.8. Arened.ad conſtit.Reg.lib.2.tit.1.num.2. Lopez.in pract.crim.cap.141. & ibi Dirz.Suartz. lib.3. de leg.human.§.8.n.4.* (75) *Burg.de Paz.in relect.ad l.1.Taur.n.548.& 590.Olban.in com.de act.par.1.lib.3.cap.2.n.8. Gomez.ad Reg.8. Cancell.ad gl.43.n.80. Caſtill.Soto Mayor lib.1.quotid.controverſ.cap.1.n.52.Pinell.in repet.rubr. C.de bon.matern.par.2.n.12.* (96) *L.4.tit.7.par.7.Caſtill.Soto Mayor. lib.quotid.controverſ.cap.54.num.54.*

bens,ex Legibus Castellæ (77) sit condemnandus in expensis , ea Lex intelligenda est secundum Jus Civile,ex quo appellans justam habens appellandi caussam excusatur (78) ab expensis: quia non est credendum Leges Castellæ voluisse facile recedere a dispositione Juris Civilis.

XX. In Cathalonia etiam post Usaticos & Consuetudines,iisque deficientibus recurritur ad Jus Civile (79) Romanorum; atque ideo responsum est(80), Laudum duorum Arbitrorum de tribus absente tertio valere, quia Leges Romanæ servantur in Cathalonia , nisi Canonibus contrariæ sint .

XXI. Navarræ vero Regnum licet fuerit unitum Regno Castellæ principaliter non accessorie seu submissive , ut loquuntur Jurisconsulti Navarræi : tamen utuntur Legibus suis,iisque deficientibus(81) recurrunt ad Jus Civile . Quamvis autem *Jo:Martinez* de Olano vehementer contendat, Navarræos post Leges & Consuetudines suas debere sequi Jus Regni Castellani primo , & non Jus Civile Romanorum ; quia Regnum incorporatum debet sequi Leges Regni , cui incorporatur , ut loquitur : fatetur tamen Navarræos omnes summe elaborare pro Jure Romano post Leges suas , & ita in eo Regno praxi re-

(77) *L.1.tit.23.lib.4.ordinan.Castell.Arened.ibid.n.28.Covarr.pract. quæst.cap.27.n.4.* (78) *Bald.ad l.eos §.cautione , num.4.C.de appellat. Petr.Barbos.ad l.eum qui,n.79.ff.de judic.* (79) *Olibanair com.de act. par.1.lib.3.cap.2.n.9.* (80) *Cels.Hugo.cons.51.n.10.* (81) *Martin de Olano in concord.antinom.Jur.com.& Hispan.in præfat.n.8.& 9.Recopilat.de las leyes de Navarr.lib.1.tit.3.l.4. Armendariz.in addit.ad leg. Navarr.d.lib.1.tit.3.l.4.*

receptum esse, ut Jus Civile sequantur; Regesque suos, cum Regno initiantur, illud Juramento promittere. Indosque, postquam ab Hispanis debellati Hispanorum Imperio cesserint, Jure Regio Hispaniæ & Jure Cæsareo regi (82) traditum est. Maximique Hispaniæ Jurisconsulti asserunt (83), Leges Romanas, non ex Jurisdictione *Cæsarum*, sed ex patientia & tolerantia Regum suorum in Hispania, vim Juris habuisse; easdemque ab Hispanis hospitio voluntario receptas esse; & in Hispania Jus Regium & Jus Romanum in societatem coaluisse; & unum idemque Jus habendum esse; & præsertim in pœnis infligendis in Hispania (84) Jus Regium & Romanum concurrere; & Jus Regium in pœnis Jus Civile sequi.

XXII. Cum etiam Regnum Castellæ, inter Regna Hispaniæ maximum, per uniones ex prudentia ejus Gentis & successu temporum reliqua Hispaniæ Regna ad se attraxerit, ideo propalant Castellam (85), ceteros Hispanos omnes debere sequi Jus Regium Castellæ, deficientibus Legibus & Consuetudinibus propriis, quia membra caput suum sequi oportet. Arragonii tamen, Lusitani, & reliqui Hispani omnes vehementer (86) renituntur, cum Regna sua unita fuerint Regno Castellano principaliter non ac-

(82) *Franc. de Avil. in leg. prætor. in præfat. v. istis, par. 12. n. 13.*
(83) *Fern Vasqu. lib. 3. de success. creat. §. 26. limit. 31. n. 70. Pinell. ad rubr. C. de bon. matern. par. 2. n. 12. Burg. de Paz ad d. l. 1. Taur. 521.* (84) *Gomez. tom. 3. var. resol. cap. 1. n. 39. Matienzo dial. relat. par. 3. cap. 4. num. 8. Salas de legib. tract. 14.* (85) *Martin. de Olan. in concord. antinom. Jur. Com. & Reg. in præfat. n. 8.* (86) *Jos. de Sess. decis. Arragon. 113. n. 29. Burg. de Paz. in relect. d. l. 1. n. 451. Oliban. com. de act. par. 1. lib. 3. cap. 2. num. 8. & 9.*

acceſſorie, eidemque non ſubmiſſa, ſed (ut loquuntur) adæquata; adque ideo, ubi Leges patriæ non diſponunt, admittunt tantum Jus *Cæſareum*, & *Canonicum*; Leges vero Caſtellanas reſpuunt, cum non habeant Legum poteſtatem ultra Territorium ejus Regni; & non major authoritas iis tribuatur, quam ſententiæ unius (87) Doctoris; eademque Regna poſt uniones cum Caſtella manſiſſe in primæva libertate; & non admitti inter eadem Regna remiſſionem delinquentium (88) affirmarunt.

XXIII. Poſt Jus Regium Hiſpaniæ in iis cauſis, de quibus in Jure Regio nihil eſt ſtatutum, an recurrendum ſit primo ad Jus *Canonicum*, an ad Jus *Cæſareum*, inter Juriſconſultos Hiſpanos non ſatis convenit. Alii, deficiente Jure Regio, Jus Canonicum ſolum pro Jure Communi agnoſcunt, & ad illud pro deciſione cauſarum recurrendum eſſe, affirmant (89); quod in Jure Canonico maxima ſit æquitas, iidemque in foro Regio, ubi agitur de animæ periculo & de peccato, Jus Canonicum Juri Regio Hiſpaniæ anteponunt; & in Regno Arragoniæ, deficientibus Legibus fori, judicandum eſſe ex Jure Canonico, a *Jacobo* Rege (90) Arragoniæ ſtatutum eſt.

XXIV. Alii

(87) *Fragoſ. de regim. reip. Chriſtian. par. 1. lib. 4. diſp. 10. §. 3. num. 183.*
(88) *Petr. Barboſ. ad l. heres abſens. §. proinde, n. 141. ff. de judic.* (89) *Did. Perez. ad ordin. Regn. Caſtell. in proœm. quæſt. 3. Gutierr. de juram. confirm. par. 3. cap. 17. n. 8. Amat. Roderig. de proceſſ. in cauſ. civil. cap. 10. n. 26. Azeved. ad conſt. Reg. lib. 4. tit. 1. l. 1. n. 16. Auguſt. Barboſ. ad tit. de emend. Cod. in proœm. n. 7. Suar. de legib. lib. 3. §. 8. num. 5.* (90) *Joſ. de Seſſ. deciſ. Arrag. 92. par. 1. num. 9.*

XXIV. Alii contrariam sententiam defendunt (91), quod deficiente Jure Regio in Hispania, recurrendum sit ad Jus Civile Romanorum, non ad Jus Canonicum; quod Leges Hispaniæ maxima ex parte petitæ sint e Jure Civili, non e Jure Canonico; & Jus *Cæsareum* multo magis conducat ad Reipublicæ gubernationem, quam Jus Canonicum; & quod Senatores Regii Judicesque in Prætoriis Regiis, & omnibus aliis Curiis Regiis, ubi deficit Jus Regium, causas ex Jure Civili Romanorum dijudicant; ipsique Reges Hispaniæ in Legibus suis Jus Civile Romanorum sæpe Jus Commune (92) appellant. Alii vero inter utramque opinionem fluctuantes hanc controversiam religioni & arbitrio Judicum (93) relinquunt; qui perpensis Partium Juribus & causarum circumstantiis, Jus Civile vel Canonicum sequantur, prout sibi æquius visum fuerit, ubi in aliquo articulo Jus Civile & Canonicum dissentiunt.

XXV. Alii demum aptissime has Opinionum varietates conciliant (94) distinguentes de Tribunalibus, scilicet in foro Ecclesiastico post Jus Regium, & aliquando etiam postposito Jure Regio, Jus Canonicum sequendum esse. In foro autem seculari, ubi

(91) *Burg. de Paz. d. n. 520. Oliban. com. de act. par. 1. lib. 3. cap. 2. n. 8. Matien. in dial. relat. par. 3. cap. 34. n. 8. Pinell. ad rubr. C. de bon. matern. par. 2. n. 22. Choppin. de doman. Franc. lib. 2. tit. 15. num. 5.*
(92) *L. 3. tit. 11. lib. 1. ordin. l. 1. Taur.* (93) *Flor. Diez. de Mena. lib. 1. pract. quæst. qu. 2. n. 4. Martin. de Olan. in concord. antinom. Jur. in præfat. n. 4.* (94) *Morl. in emtor. quæst. forens. par. 1. tit. 1. qu. 16. n. 13. Burg. de Paz. in relect. l. 1. Taur. n. 590. Fragos. de regim. reip. Christian. par. 1. lib. 4. disp. 10. §. 3. num. 189.*

ubi Jus Regium silet, Judices debere sequi Jus Civile, exceptis solum iis causis, in quibus Jus Civile a Jure Canonico correctum est, veluti Matrimoniis, Usuris, Præscriptionibus, aliisque, in quibus observatio Legum Romanarum peccatum inducit. In ista vero opinionum varietate, illud ab omnibus concessum (95) est, etiam ab iis, qui Jus Canonicum Civili anteponunt; quod si in aliqua causa nec Jure Regio Hispaniæ nec Jure Canonico aliquid cautum est, debere Judices in utroque foro ex Jure Civili judicare.

XXVI. Inane vero est illud argumentum, quo Interpretes nostri sæpe utuntur adversus Juris Civilis authoritatem & *Cæsarum* Potestatem in Hispania, petitum a Lege antiqua Hispaniæ, quæ prohibebat causarum Patronos & Judices, sub pœna capitis, allegare Leges *Cæsareas* in Judiciis, cum multi Jurisconsulti Hispaniæ afferant, non satis constare talem Legem fuisse unquam in Hispania latam: & si talis unquam fuerit Lex, fuisse conditam a Regibus Gothicis, non Hispanis. Et Hispani consentiunt universi, eam Legem per desuetudinem & contrarium multorum seculorum usum fuisse abrogatam.

XXVII. Talem vero fuisse olim Legem in Hispania, primo & præcipue tradit (96) *Oldradus*, ejusque testimonio freti sequentes Jurisconsulti Hispaniæ

(95) *Morl. in d. quæst. 16. num. 13. Arened. ad constit. Reg. lib. 2. tit. 1. num. 17. Salas. de legib. tract. 14. disp. 7. sect. 10. num.* (96) *Oldrad. cons. 69.*

niæ & aliarum Gentium(97) ejusdem Legis meminerunt: quod nimis frequenter accidit in Juris nostri Interpretibus, inter quos cum eximius aliquis Doctor quid tradiderit, insequentes Jurisconsulti, re non perpensa, eum inconsulto sequuntur, quod in iis *Panormitanus*, *Ph.Decius* (98) aliique reprehendunt. Hispani vero sequentes, qui magis exacte de hac Lege quæsiverunt, asserunt, sibi non constare certo testimonio Historiarum aut Jurisconsultorum talem Legem (99) fuisse conditam. Iique qui *Oldradi*, eumque sequentium authoritati acquiescunt, eam ascribunt primis Regibus Gothicis, in Hispania imperantibus (100), qui, Arrianam hæresin amplexi, infensissimi erant *Theodosio* Imperatori; qui in Constitutione sua gravissimas pœnas contra Arrianos sanxerat (quam postea *Justinianus* primam in suo Codice inseruit) eaque de causa Codicem *Theodosianum* & Leges Romanas abolere cupiebant. Et *Carolus Molinæus* eam tribuit *Alarico* (101) primo Gothorum Regi, eandemque, ut barbaram & inhumanam (102), insectatur. Et hoc est, quod innuere videtur *Johannes Andreas* (103), qui tradit

P hanc

(97) *Greg.Lopez ad l.6. tit.44. par.4. Burg.de Paz.ad l.1.Taur.n.513. Morl. d.quæst.16. n.18. Arened. ad const.Hispan.lib.2. tit.1.n.2.Ignat.Lopez.in pract.crimin. cap.147.& ibi Diaz.n.3. Mic.Ulcur.de regim.mund. par.2. qu.2.n.9. Castald. de Imper. qu.53. Suarez.lib.3.de leg.human.§.8. num.4. Salas de legib. quæst.95. disp.7. sect.8. Blancnoda.contr.Bochan. cap.10.* (98) *Abb. ad cap.ut debitus, num.22.de appell. Dec.cons.495. num.15.* (99) *Bellug.in spec.Princ.rubr.11. §.bis igitur, num.2.* (100) *Molinæ.de Monarch.Franc.n.30. Tiron.lib.5.observ.Jur.Can.cap.4.* (101) *Molinæ.d.num.30.* (102) *Molinæ.ad consuet.Paris.tit.des fiefs. Bodin.lib.1. de republ.cap.8.* (103) *Jo:Andr.ad cap.super specula, de privileg.*

hanc Legem fuisse latam in Hispania, cum Gentiles in ea dominarentur, qui, forsan historiarum non satis peritus, intellexit Gothos; ii vero Christiani quidem erant, sed Arriana hæresi infecti, perperam de Christo sentiebant.

XXVIII. Omnes vero Jurisconsulti Hispaniæ insequentes sunt (104) concordes, eam Legem per multa secula fuisse abrogatam, quod usus omnium Judiciorum Hispaniæ clarissime comprobat. Et priori Legi simile Edictum Regni Valentiæ memoratur, ex quo prohibiti sunt Advocati sub pœna decem Marcarum, ne in Judiciis Leges *Cæsareas* aut Decretales, sed tantum foros (105) Valentiæ allegarent; ab his tamen omnibus Hispani per multorum seculorum desuetudinem penitus recesserunt.

XXIX. Reges enim Hispaniæ in Regnis suis diu permiserunt Jus *Cæsareum* & *Canonicum* in Academiis suis (106) publice doceri; & per aliquot secula Juris Professores in iis Academiis non docuerunt (107) alia Jura, præter *Cæsarea* & *Pontificia*; eademque Jura in Legibus suis post Jura Municipalia, uniuscujusque Regni Jura communia (108) appellant; eaque in omnibus Judiciis & Curiis suis per Judices & Causarum Patronos allegari

(104) *Bellug. in spec. P incr. rubr. 11. his igitur, n. 2. Burg. de Paz. ad l. 1. Taur. n. 548. Oliban. in com. de act. par. 1. lib. 3. cap. 2. n. 8. Matien. in dial. relator. par. 3. cap. 34. num. 8.* (105) *Fer. Valent. 3. in proœm. Morl. in empor. d. qu. 16. n. 13.* (106) *L. 1. & 2. Taur. nov. recopil. lib. 2. l. 1. & 2. Burg. de Paz. ad l. 1. Taur. n. 443.* (107) *Oliban. in com. de act. par. 1. lib. 3. cap. 2. num. 8.* (108) *Lib. 1. ordinam. tit. 11. l. 3. Matrit. ann. 1502. in prælud.*

ri(109)concesserunt,(quod diuturno multorum seculorum usu in Hispania invaluit) & Lege Hispaniæ tribuitur vis Legis, non solum Juri *Cæsareo* & *Canonico*, sed & Doctorum (110) interpretationibus; in *Cæsareo Bartolo*, & post eum *Baldo*; in *Canonico Johanni Andreæ*, & post eum *Panormitano*. Quæ lex licet postea revocata fuerit, quoad illorum Doctorum dicta (111) variit tamen nec abrogata est, quoad omnium Doctorum interpretationes, quorum communem opinionem Judices Hispaniæ sequi tenentur. Hispanique Legibus suis non alias Glossas & Commentarios adjecerunt, quam ex utroque Jure *Cæsareo* & *Pontificio* (102) petitos, a quibus omnes Legum Hispaniæ interpretationes accipiunt. Et in Hispaniæ Prætoriis & Curiis omnibus Regiis, nulli admittuntur in Judices aut Advocatos (113), nisi per decennium in Academiis Juris Civilis & Canonici studio incubuerint, eademque prælegerint.

XXX. Æquissimum enim censuerunt Reges Hispaniæ, ut in Causis, quæ Legibus Regiis non sunt decisæ, Judices sui secundum justissimam Legum Romanarum normam sententias ferre debeant, & non relinquantur (114) arbitrio suo, quo nihil

(109) *Montalv. in l. fin. tit. 6. lib. 1. Burg. de Paz. ad l. 1. Taur. n. 528. Oliban. d. cap. 2. num. 8. Choppin. de dom. in. Franc. l. 2. tit. 15. num. 3.*
(110) *Recopilac. de las leyes, lib. 2. tit. 1. l. 3. lib. 4. ordinam. tit. 1. lib. 4. Diaz. de Montalv. ad leg. for. lib. 1. tit. 7. in addit. n. 1.* (111) *Diaz. de Montalv. d. l. 1. Burg. de Paz. ad l. 1. Taur. n. 7.* (112) *Burg. de Paz. ad d. l. 1. Taur. n. 571.* (113) *Burg. de Paz. ad d. l. 1. n. 528. & ad l. 2. Taur. n. 8.* (114) *Ottav. in d. com. lib. 3. cap. 2. num. 21. Burg. de Paz. ad d. l. 1. Taur. num. 533.*

in Judiciis magis injustum & perniciosum esse potest. Eaque de causa *Jacobi Menochii* librum de Arbitrariis Judicum Quæstionibus, quamvis elegantem & doctissimum, aliqui vehementer reprehendunt; & *Menochium* damnant, quod Judices sub specie arbitrii sui, affectibus, corruptelis, sordibusque suis uti docuerit.

XXXI. Denique illud solum vim & authoritatem Juris civilis Romanorum in Hispania satis demonstrat, quod, post Pandectas a *Lothario* Imperatore constitutas, pulsosque Mauros & Sarracenos a Regibus Hispaniæ, ita excoluerunt Hispani Jus Romanum, ut præter antiquos Interpretes varios, Hispania superiore seculo produxerit multos in Jure *Cæsareo* celeberrimos: scilicet *Antonium Augustinum*, virum usque ad miraculum doctum (a quo Pandectæ Florentinæ, *Gratianus* & utrumque Jus præcipuam lucem acceperunt), *Didacum Covarruviam* in Utroque Jure & omnibus Literis peritissimum (de quo merito gloriantur *Castellani* eum nihil non scripsisse), *Martinum Navarrum* Juris Utriusque & Divini porro consultissimum, *Ferdidandum Vasquium*, utrumque *Garciam*, *Burgensem de Paz*, *Jo:Guttierrez*, *Lud.Molinam*, *Eman. Suarez*, *Alfonsum Azevedum*, aliosque plurimos; quorum scripta splendorem Juri Romano attulerunt, eademque omnes Gentes Europææ amplectuntur.

XXXII. Superest Regnum *Lusitaniæ*, quæ est pars Hispaniæ, eamque Romani inter Provin-

cias

eias(115)Hispaniæ numerarunt;eademque per Reges Castellæ & Legionis a Mauris recuperata Regnisque suis unita, demum ab *Alfonso VI.* separata, suos diu Reges habuit, rerum gestarum gloria, per omnes Terrarum Orbis partes, clarissimos, usque ad *Philippum II.* Regem Hispaniæ, a quo ejusque Filio & Nepote reunita, rursus jam Regem suum consecuta est; de quorum Jure disceptatio ad me non spectat. Illud solum pro mei Instituti ratione mihi dicendum restat, quam vim & usum habeat Jus civile Romanorum in Regno *Lusitaniæ*; de quo in sequenti Capite breviter agendum erit.

(115) *Liv.lib.55. Pancir.notit.Occiden. Imper. cap.67.*

CAP. VII.

De Usu & Authoritate Juris Civilis Romanorum *in Regno* Lusitaniæ.

I. ACcessimus modo ad Lusitaniam, ultimam Hispaniæ partem, quæ ab Italia remotissima, diutissime se defendit adversus vim Romanorum; sed tandem communi reliquarum Gentium Fato, Romanorum Armis & Legibus cedere coacta est.

II. Dum Carthaginenses cum Romanis de Orbis Imperio decertarunt, Lusitani Carthaginensium Partes sequuti sunt ex antiqua amicitia, quæ inter

utramque Gentem intercessit, fœderaque perpetua & mutua connubia contraxerunt; & ex nuptiis inter *Amilcarem* Carthaginensem & uxorem Lusitanam natum fuisse *Hannibalem*, Lusitani (1) merito gloriantur; Gentemque Lusitanicam non ingeniorum tantum & scientiarum, sed & fortitudinis gloria clarissimam fuisse omnes testantur. Atque ex hoc uno satis constat, quod post eversam Carthaginem, soli Lusitani Romanos continuo ferre bello per ducentos annos (2) exercuerunt, duoque Lusitani Duces *Viriatus* & *Q. Sertorius* a Romanis Scriptoribus celebrantur, quorum ille (3) Romanos Prætores *M. Vetilium*, & *C. Plautium* vicit; hic vero (4) cum *Decio Bruto*, *Cn. Pompejo*, & *Julio Cæsare* diu ancipiti Marte dimicavit. De solo *Viriato L. Florus* (5), ex Venatore Latro, ex Latrone subito Dux & Imperator, & si fortuna cessisset Hispaniæ, *Romulus*; *Sertorioque* soli se non potuisse resistere Romani (6) existimabant, nisi *Metello* Numidico *Cn. Pompejum* addidissent. Sed *Augusti* fortunæ cessit Lusitania (7), qui eam cum Hispania fere universa debellavit.

III. Post *Augustum* Imperatores sequentes Lusitaniam per Proconsules & Præsides; post *Constantinum M.* per Comites & Vicarios Hispaniarum (8), per Præfectos Prætorio Galliarum administrabant. Et

(1) *Marian. lib. 1. histor. Hispan. cap. 6.* (2) *Navarr. ad cap. novit. notab. 3. de judic. n. 160.* (3) *Liv. lib. 52. & 54.* (4) *Plutar. in Sertor. Appian. lib. 1. de bell. civil.* (5) *Flor. lib. 2. cap. 17.* (6) *Flor. lib. 3. cap. 22. Thuan. lib. 1.* (7) *Pancirol. notit. Imper. Occiden. cap. 67.* (8) *Pancir. d. notit. cap. 77.*

Et paruerunt *Cæsaribus* Lusitani usque ad Alanorum, Svevorum, Gothorum, Sarracenorum denique invasiones, & amplissima ab Imperatoribus Roman. Privilegia consecuti sunt; pluresque Romanæ Coloniæ in Lusitaniæ deductæ sunt, quas enumerat *Paulus* (9) Jurisconsultus, aliique, & Lusitanis Juris Italici immunitatisque Tributorum beneficium (10) tributum est.

IV. Quamvis autem *Martinus Navarrus* (11) asserat, Romanos non habuisse Jus & Imperium in Lusitanos, quia nullum Dominii titulum habuerunt, sed per vim & rapinam Lusitanos pertinacissime repugnantes coegerunt; Lusitanos tamen Romanorum Imperio paruisse, Jurisconsultorum Romanorum (12) testimonia, & Jurisconsulti Hispanici (13) satis probant. Tenuerunt Romani Lusitaniam, donec Alani & Svevi maximam Lusitaniæ partem adcpti fuissent. Ad quos pellendos *Honorius* (14) Imperator Lusitaniam, & reliquas Hispaniæ partes Gothis, a se evocatis, concessit, cum retinere non posset, atque ita Gothi in Lusitania & reliqua Hispania dominati sunt usque ad annum D.CC.XIV. post quem Mauri & Sarraceni, pulsis Gothis, in Lusitania & reliqua Hispania dominati sunt, ut superius de Hispania dictum est.

V. Inter Hispanos Narræi constituto Rege *En-*

(9) *L. in Lusitania 8. ff. de censib.* (10) *Gutierr. pract. quæst. lib. 3. qu. 4. n. 4.* (11) *Navarr. d. cap. novit. notab. 3. n. 160.* (12) *D. l. in Lusitania, l. relegatorum, §. interdicere, ff. de interd. & releg.* (13) *Parlader. lib. 2. rer. quotidian. cap. 21. n. 3.* (14) *Covarr. ad cap. peccatum, §. 9. n. 9. par. 2. & pract. quæst. lib. 1. cap. 1.*

necho, & Legionenses electo Rege *Pelagio* primi se a Sarracenorum & Maurorum tyrannide liberarunt. Reges vero Legionenses post acquisitum etiam Regnum Castellæ & Legionensi unitum, primi aliquam Lusitaniæ partem a Mauris recuperarunt, eamque (15) tenuerunt usque ad *Alfonsum VI.* Legionis & Castellæ Regem: qui *Henrico*, Ducis Burgundiæ filio, ob res strenue contra Mauros gestas, *Taresiam* filiam uxorem dedit, eidemque eas Lusitaniæ partes, quas habebat, sub Comitis Titulo, in dotem (16) assignavit. Idem postea *Henricus* Lusitaniæ Comes reliquas Lusitaniæ partes Sarracenis ademit, & in acie contra quinque Reges Sarracenorum dimicaturus acclamationibus Lusitanorum Rex (17) Lusitaniæ est constitutus, circa annum M. C. XXXIX. eundemque Titulum *Alexander III.* Pontifex Romanus (18) literis suis confirmavit. Post *Henricum* Posteri ejus tenuerunt Regnum Lusitaniæ separatum a Regnis Legionis & Castellæ usque ad annum M.D.LXXX. quo *Sebastiano* Rege Lusitaniæ in Africa, & mox *Henrico* patruo sine liberis defuncto, *Philippus II.* Hispaniæ Rex Lusitaniæ Regnum (19) adeptus, idem *Philippo III.* & *Philippo IV.* transmisit, quod ad *Johannem IV.* Regem Lusitaniæ Jure *Catharinæ* Brabantiæ Duci nuptæ (quæ fuit

(15) *Navarr. d. cap. novit. not. 3. n. 117. Molin. de Jus & Jur. tom. par. 1. disp. 576.* (16) *Borrell. de Cath. Reg. præstan. cap. 6. n. 216. Garribai histor. Hispan. lib. 34. cap. 8.* (17) *Garrib. d. lib. 34. cap. 10. Lud. Molin. de majoratib. tract. 2. disp. 632.* (18) *Garrib. d. lib. 34. cap. 13. Chappin. de doman. Franc. lib. 2. tit. 1. n. 11. Conimbricen. de success. regn. Portugall. qu. 1. art. 2. n. 13.* (19) *Thuan. lib. 69.*

fuit Neptis *Emanuelis* Regis Lusitaniæ ex *Eduvardo* filio suo) jam rediit.

VI. Reges vero Lusitaniæ, rerum ab iis per omnes Mundi partes gestarum gloria, clarissimi extiterunt, & amplissima Dominia in Asia, Africa, & America Regno Lusitaniæ adjecerunt. Siquidem *Alfonsus III.* Regnum Algarbiæ (20) acquisivit; *Sancius*, ejus successor, multas Æthiopiæ (21) partes; *Emanuel* omnium maximus præcipuam partem Indiæ (22) Orientalis subegit, & utramque Indiam cis & ultra Gangem, sinumque Persicum, & Arabicum Præsidiis suis munivit; Lusitanis porro ad alias Mundi partes arma sua admoturis, nisi Hispanorum Dominatione coerciti fuissent.

VII. Post Sarracenos & Mauros Lusitania pulsos, Reges Lusitaniæ, eodem Titulo se esse liberos ab omni Romanorum Imperatorum Dominatione, quo reliqui Hispaniæ Reges, postulant; scilicet, quod, ab Imperatoribus Romanis derelicti, proprio Marte se a Maurorum tyrannide liberaverint. Neque enim justiorem fuisse titulum Romanorum ad Lusitaniæ Imperium, quam Gothorum postea & Sarracenorum, qui omnes vi & Jure armorum solo Lusitaniam tenuerunt. Eorumque jugo per Lusitanos jam excusso, Reges Lusitaniæ esse Supremos Principes, & neminem Superiorem

(20) *Mich. Ritius de Reg. Hispan. lib. 3. Borreil. d. cap. 46. n. 216. Bodin. lib. 1. de repub. cap. 9.* (21) *Thuan. lib. 1. Castald. de Imper. quæst. 53.* (22) *Osor. de reb. gest. Emanuel. Thuan. lib. 1. Bodin. d. cap. 9.*

rem recognoscere, Jurisconsulti omnes (23) agnoscunt; & ex ea causa Reges Lusitaniæ eodem Titulo uti, quo ceteros omnes supremos Principes (*per la gratia de Dios*) eosdemque posse condere (24) Leges, *Cæsareis* Legibus (25) derogantes, aliaque omnia facere, quæ Regibus Supremis competunt.

VIII. De Pontificum vero Romanorum potestate in Reges Lusitaniæ, major est controversia. Itali contendunt Regem primum Lusitaniæ (26) *Henricum* fuisse constitutum authoritatem *Alexandri III.* eosdemque esse Pontificum Censuales, eaque potestate usum *Innocentium IV.* *Sancio* Regi Lusitaniæ prodigo & negligenti Curatorem dedisse (27) Comitem Bononiensem, fratrem suum. Idque fecisse *Innocentium*, quia Imperium Germanicum tum vacabat, ut divinant (28) aliqui Interpretes. Vel illud tribuendum fuisse potius socordiæ Regis Legionensis, qui Jus Feudi habuit in Regno Lusitaniæ, ut contendunt (29) Hispani. Omnes vero Hispani simul & Lusitani defendunt Reges Lusitanos adversus Pontificum Romanorum Dominationem, affirmantes, Reges illos esse liberos ab omni

(23) *Gloss. in cap. Adrianus, dist. 63. Navarr. in d. cap. novit. not. 3. n. 165. Pinell. in repet. rubr. Cod. de bon. matern. par. 1. n. 12. Ferrett. de Just. & injust. bell. n. 24. Cavall. com. contr. com. tom 4. qu. 897. n. 391. Jos. de Sess. decis. Arragon. 187. n. 106. Franc. Salgad. de reg. protect. par. 1. cap. 1. num. 26.* (24) *Burg. Paz. in proœm. relect. ad leg. Taur. num. 32.* (25) *Afflict. ad Constit. Reg. in præud. quæst. 2. Cabed. decis. Lusitan. 211. num. 3. par. 1.* (26) *Card. Tusch. concl. 448. v. Rex Portugall. num. 1. Laurent. Cherubin. in Bullar. Pii V. Constit. 88.* (27) *C. grandi, de supplen. negligen. prælat. in 6. Bodin. lib. 1. de repub. cap. 9.* (28) *Archar. & Franc. ad d. cap. grandi.* (29) *Roder. Toletan. lib. 7. cap. 5. & 6. Pan. Lador. d. cap. 21. num. 4.*

ni Imperio Pontificum æque ac Imperatorum; eosque in temporalibus Sedi Romanæ (30) non subesse. Subjungit *Innocentius*, se de hereditate Regni, contra Regem *Sancium* vel ejus filium, potestatem non vendicare.

IX. In his omnibus Imperii Lusitanici mutationibus, dum quærimus, quibus Legibus Lusitani usi sunt, satis constat ex iis, quæ supra de Hispanis dicta sunt, Lusitanos & Hispanos universos, quamdiu Romanorum Imperio paruerunt, Legibus etiam Romanis (31) paruisse; & ex iis, per Proconsules, Præsides, Vicarios, & Comites Lusitanis Jus dictum fuisse, quod Rescripta Imperatorum & Scripta Jurisconsultorum Romanorum demonstrant. Post Romanos, dum Gothi dominabantur in Lusitania, suas Leges promulgarunt Reges Gothici, quibus, cum Jure Romano conjunctis, plurimum utebantur. Neque constat, Mauros, Gentem barbaram, alias Leges induxisse. Nam Leges Gothicæ manserunt, usque ad nova Hispaniæ Regna constituta, de quibus omnibus in Hispania dictum est. Post Regnum autem Lusitaniæ constitutum, Reges Lusitaniæ, ut alii Supremi Principes Jure Majestatis usi, suas Leges condiderunt, quæ Ordinamenta & Jus Regium in Lusitania appellantur.

X. Has

(30) *Graf. de nobilit. Hispan. gl. 21. n. 45. Parlador. lib. 2. rer. quotidian. cap. 21. num. 2. August. Barbos. de potest. E 15. par. 1. cap. 2. ti. 3. num. 5. Conimbric. de success. Regn. Portugali. quæst. 1. art. 1. num. 15.*
(31) *Matien. in dial. relator. par. 3. cap. 34. n. 5. Oliban. in form. de act. par. 1. lib. 3. cap. 2. num. 45*

X. Has vero Leges & Ordinationes Lusitaniæ simul componi jussit *Emanuel* Rex Lusitaniæ, quod reliquarum ipsius rerum gestarum gloriæ plurimum addidit. Et Ordinationum post *Emanuelem* promulgatarum novam Recapitulationem componi jussit *Philippus II.*, in qua *Georgii Cabedo* (32) Senatoris Lusitanici opera adhibita fuit.

XI. Reges autem Lusitaniæ, præ ceteris omnibus Hispaniæ Regibus, cum Legibus suis, Jus Romanum amplexi sunt. Nam cum in multis Hispaniæ Regnis Jus Canonicum post Jus Regium sæpe omnibus præferatur, in aliis vero controversum sit, an Jus *Canonicum* vel *Cæsareum* prius a Judicibus sit observandum; & res quandoque ad arbitrium Judicantium redacta fuerit; in Lusitania tantum est Constitutione Regia, in casibus in Jure Regio vel omissis vel ambiguis, Judices sententias ferre debere secundum Jus *Cæsareum* (33). Et si casus in Jure *Cæsareo* non est expressus, causæ dijudicationem ex Glossis *Accursii, Bartoli, Azonis*, & aliorum Juris *Cæsarei* Doctorum (34) interpretationibus, potius quam ex Jure Canonico, petendam esse. Ideo, cum in supremo Senatu Lusitaniæ maritus querelam instituisset contra adulterum post mortem uxoris, qui casus in Legibus Lusitaniæ non est expressus:

(32) *Cabed. decis. Lusitan. 211. par. 1. n. 6.* (33) *Ordin. Reg. lib. 3. tit. 64. in princ. & lib. 2. tit. Valasch. in prax. partit. cap. 13. n. 8. Suarez. de legib. lib. 3. de leg. human. n. 4.* (34) *Ordin. Reg. d. tit. 5. lib. 2. Jos. Mascard. lib. 3. concl. 1138. num. 2. Fragos. de regim. reip. Christian. par. 1. lib. 4. disp. 10. §. 3. n. 187. Conimbr. de Jur. success. in Regn. Portugall. qu. 4. art. 3. num. 18.*

ſus: Senatus cenſuit (35) querelam valere, quia ita in Legibus *Cæſareis* eſt conſtitutum. Et Patria poteſtas, licet Legibus Luſitaniæ non ſit inducta, locum tamen habet (36) in Luſitania, quia Legibus Romanis ſancita eſt. Et Jus Regium Luſitaniæ ita accommodandum eſt ad Jus *Cæſareum*, ut caſus in eodem Jure expreſſi, patiantur omnes interpretationes & extenſiones, quas Jus Romanum (37) admittit.

XII. Quamvis autem Juriſconſulti Luſitaniæ frequentius tradant, pro Majeſtate Principis ſuis tuenda, Jus Regium eſſe Jus commune (38) in Luſitania; & Jus *Cæſareum* non habere vim Imperii, ſed rationis ſolum; & pœnas Jure Regio impoſita tollere pœnas Juris (39) *Cæſarei*; & in Luſitania cauſas eſſe Jure Regio, non Jure Romano (40) decidendas. Hæc Controverſia per Leges Regias Luſitaniæ ſopita eſt, in quibus ſtatuitur Judices in caſibus omiſſis in Jure Regio, vel ambiguis & obſcuris, debere recurrere (41) ad Jus Romanum & ab eo Juris Regii Interpretationem petere. Atque ea de cauſa magni Nominis Juriſconſulti Jus Romanum in Luſitania Jus commune (42) appellant: quia Reges Luſitani illud ap-

(35) *L. miles* 11. §. *adulterii, ff. de adulter. l. vim paſſam.* 39. §. 2. & *l. ult. ff. eod. tit.* Cabed *deciſ. Luſitan.* 261. *par.* 1. *num.* 1. (36) *Pinell. in repet. rubr. C. de bon. matern. par.* 2. *num.* 12. (37) *Valaſch. in prax. partit. cap.* 13. *n.* 8. (38) Cald. Pereyr. *in com. ad typ. erupt. & vendit. cap. n.* 5. *Valaſch. conſult.* 103. *n.* 8. *Gam. deciſ. Luſitan.* 315. *num.* 6. & *deciſ.* 50. *n.* 5. (39) Cabed. *deciſ. Luſitan.* 100. *par.* 1. *n.* 14. & *deciſ.* 111. *par.* 1. *n.* 4. (40) *Burg. de Paz. ad l.* 1. *Taur. n.* 315. *Cabed. d. deciſ. ult. num.* 1. (41) *Cald. Pereyr. d. cap.* 1. *n.* 6. *Auguſt. Barboſ. ad tit. de emend. Cod. in proœm. n.* 4. (42) *Pinell. ad rubr. C. de bon. matern. par.* 2. *n.* 12. *Suarez. de legib. lib.* 3. *de leg. human. num.* 3.

approbarunt, & in omnibus causis, in quibus Jus Lusitaniæ ei non derogat, Jus Romanum in Lusitania Jus commune reddiderunt.

XIII. Insignis vero Juris Romani Authoritas in Lusitania apparuit in ardua illa Controversia, de successione in Regno post mortem *Sebastiani* Regis Lusitaniæ Anno M. D. LXXVIII. in qua Controversia hæc fuit facti species.

XIV. *Emanuel* Rex Lusitaniæ mortuus anno M.D.XXI. reliquit quatuor filios & duas filias; primum *Johannem III.* ex cujus filio *Johanne* natus *Sebastianus*, qui in Regno successit, & in Africa sine liberis mortuus est. Secundum, *Ludovicum* Patrem *Antonii* Prioris de Crato, mortuum ante *Sebastianum*. Tertium, *Henricum* Cardinalem, qui *Sebastiano* in Regno successit. Quartum *Eduvardum*, qui duas tantum reliquit filias, *Mariam*, uxorem Ducis Parmæ, & *Catharinam*, uxorem Ducis Brabantiæ. E filiabus *Emanuelis Isabella* nupta *Carolo V.* filium habuit *Philippum II. Beatrix* nupta *Carolo*, Duci Sabaudiæ, filium habuit *Emanuelem Philebertum*, Ducem Sabaudiæ. Post mortem *Sebastiani Henricus* Cardinalis in Regno succedens, primo cogitavit de Nuptiis: a quibus cum abstineret, sive ex senectute & corporis imbecillitate, sive ex difficultate obtinendæ dispensationis Romani Pontificis, per *Philippi* Oratores Romæ procurata, ab ordinibus Regni sui in Comitiis interpellatus, ut controversia de Regni succesione per Leges & via Juris definiretur; constituit quinque Delegatos seu Gubernatores

bernatores (inter quos erat unus *Didagus Lupus Sola* Senatus Juridici Præses) plena potestate iis data, ut hanc causam dijudicarent, si Regem, ante hanc litem de Regni Successione terminatam, mori contingeret. In quo ridicule erratum est a Lusitanis, cum notissimi Juris sit Jurisdictionem regiam & delegatam morte mandantis expirare, & per Edictum suum evocavit *Philippum*, Bragantium, Parmensem, Sabaudum, & *Antonium* Competitores, ut de Juribus suis docerent. Qui omnes per Procuratores suos comparuerunt; misitque *Philippus* (43) *Ludovicum Molinam*, & *Rodericum Vascum*, Juris Romani peritissimos, ut partes suas tuerentur.

XV. Cum vero hæc Controversia Legibus Lusitaniæ non esset decisa, recurrebant Procuratores Bragantini, Parmenses & Sabaudi ad Jus *Cæsareum*, & implorabant beneficium Repræsentationis (44) ex Jure Romano, per quam filius in successione Patris loco habetur, & hanc causam ex Jure Romano definiri debere contendebant. Ideoque *Henricus* Rex consulit Juris *Cæsarei* Professores in Academia Conimbricensi (45), *Anton. Valascum*, *Lud. Correum*, *Eman. Soarez*, *Rod. Lopez*, *Lud. Basl. de Brito*, *Alvarum d'Andrada*, aliosque, qui omnes pro Bragantino respondebant. Pro Parmensi respondebant Jurisconsulti (46) Patavini, & sin-

(43) *Thuan. lib. 69. Conestagg. histor. de l'union. di Portugall. a Castill. lib. 3.* (44) *Thuan. & Conestagg. in loc. cit.* (45) *Conimbricen. de Jur. Success. Lusitan. qu. 4. art. 3. n. 17.* (46) *Thuan. a. lib. 69. Conestagg. d. lib. 3.*

finguli Competitores Profefforum Juris Romani in variis Academiis fententias pro fe conquirebant. Solus *Philippus* declinabat Jus *Cæfareum*, afferens, non Jurifperitorum opinionibus dari aut adimi Imperia, fed ea armis quæri, & parta iifdem armis, æquabili Jure temperatis, confervari. Ideoque armis ufus *Alvarum Toletanum*, Ducem *Albanum*, juffit exercitum ducere in Lufitaniam, per quem Lufitanos Imperio fuo parere coegit, & V.viros tandem pro Jure fuo provinciare (47) paffus eft.

XVI. Cum autem *Philippici* jactarent hafce Principum quæftiones ex Jure Gentium, non ex fictionibus Juris *Juftinianæi*, effe decidendas, refpondit *Albericus* (48) *Gentilis*, in hac quæftione adeundos effe Juris *Cæfarei* Profeffores; Jufque *Juftinianæum* non effe privatorum tantum, fed & naturæ Gentiumque, & extincto jam Romano Imperio, in omnes Gentes effufum effe. Adeoque infenfus erat *Philippus* Jurifconfultis Conimbricenfibus, qui pro Bragantino refpondiffent, ut de abolenda Academia Conimbricenfi cogitaret; quam tamen injuriam generofe poftea diffimulavit, eofdemque Juris Profeffores, auctis ftipendiis, fummo poftea favore profecutus (49) eft. In hac tamen unione Regni Lufitanici cum *Caftellano* per *Philippum II.* quia facta fuit æque principaliter, non accefforie, fingula Regna fervarunt fua Privilegia, quibus ufa funt ante unionem. Ideoque delinquentes non fuiffe remittendos

(47) *Thuan. lib. 70.* (48) *Alber. Gentil. lib. 1. de Jur. bell. cap. 3.*
(49) *Thuan. lib. 73. Conestagg. d. lib. 3.*

mittendos inter Castellanos & Lusitanos, contra opinionem Castellanorum, *Petrus Barbosa* (50) Senator Lusitaniæ asseruit.

XVII. Denique Jus *Cæsareum* in Academia Conimbricensi a Professoribus ejusdem Juris amplis stipendiis docetur: in omnibus Regiis Curiis a Judicibus & Causarum Patronis allegatur: in Lusitania nulli alii in Judices aut Advocatos, præter Juris Romani peritos, admittuntur; solaque Lusitania *Ant. Goveanum*, *Petrum Barbosam*, *Arium Pinellum*, *Eman. Acostam*, *Caldum Pereyram* aliosque plurimos produxit, qui Jus Romanum scriptis suis illustrarunt. Et hæc de Lusitania dicta sint.

XVIII. Post Galliam & Hispaniam debellatas, Romani Oceani terminis noluerunt contineri, sed in Britanniam nostram navigarunt, sive ambitione, sive avaritia impulsi. Neque enim alium justum titulum habuerunt, & ad Britannos nostros fasces & Leges suas attulerunt, quas tamen Britanni non facile admiserunt, sed cum pluribus Imperatoribus Marte dubio diu pugnarunt; qui Britannici nomen ambientes, illud non sine multis periculis & sanguine compararunt. Itaque jam in Britanniam nostram, omnium totius Orbis Insularum primam, est transeundum, ut videamus, quem usum Legum suarum Britannis Romani reliquerint. Cum vero Regis Britanniæ nostræ dominia contineant tria Regna Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ; primo dicendum est

Q de

(50) *Petr. Barbos. ad l. heres absens, §. proinde n. 103. ff. de judic.*

de Regnis Angliæ & Hiberniæ, quæ Legibus inter se conveniunt. De Scotia deinceps agendum erit, quæ aliis Legibus regitur, & Scoti præ ceteris Britannis omnibus Leges Romanas maxime coluerunt.

CAP. VIII.

De Usu & Authoritate Juris Civilis Romanorum *in Regno* Angliæ.

I. BRitannia nostra, ut a toto Terrarum Orbe per Oceanum, ita a reliquis Gentibus Europæis per usum Juris Civilis Romanorum divisa est; cum Principes nostri non tantam Legibus Romanis Authoritatem inter suas Leges, quantam reliqui Principes Europæi, concesserint. Hinc apud eos vulgo traditum est, Jus civile Romanorum parum admitti. Scriptoresque magni nominis (1) apud Gallos nobis vicinos, nullum Juris civilis Romanorum usum esse apud Anglos, asseruerunt. Quorum error facilis esse potuit, cum non viderant Jus Romanum Scriptis Britannorum, sicut aliarum Europæ Gentium, elaboratum & illustratum; ex Libris vero Legum nostrarum, idiomate iis incognito conscriptis, assequi non potuerunt, quem usum & authoritatem apud Britannos nostros habeat.

II. De Authoritate vero Juris civilis Romanorum in Britannia ut distincte agamus, explicandum im-

(1) *Forcatul. de Gallor. Imper. & philosoph. lib. 7. Choppiu. lib. 2. de deman. Franc. tit. 15. num. 5.*

imprimis habeo, sub quorum Principum Dominatione & Imperio fuerit Britannia a primis temporibus Gentis nostræ. Sub Romanis primum, deinde Saxonibus, postea Danis, & demum Normannis. Et ita in singulis hisce Imperii Britannici mutationibus facilius constabit, quæ Leges Britannis nostris datæ fuerint, & inter eas quomodo Jus civile Romanorum admissum fuerit; & quam hodie Authoritatem apud Nos habere debeat.

III. Britannia nostra, Oceani terminis conclusa, a nullo Principe extero tentata est, usque ad *Julium* (2) *Cæsarem*; neque enim *Hercules* aut *Bacchus*, aut aliquis priorum Principum eum attigerat, ait *Diodorus* Siculus, qui res Romanorum seculo *Julii* & *Augusti* descripsit. Et quæ de Britannis a Romanis relata erant, pro fabulis habuit prudentissimus (3) *Polybius*: post quem *Dio Cassius* (4) testatur, nec Græcos nec Romanos de Britannis certi aliquid novisse, eaque, quæ de Britannis prodiderunt, conjecturis solis assequutos fuisse. Primus autem Romanorum *Julius Cæsar*, post Gallias debellatas, in Britanniam navigavit cum Legionibus Romanis, sive causatus auxilia Britannorum contra Romanos Gallis transmissa, sive potius ambitione propagandi Imperii Romani; & post aliquas victorias in Britannos, iis tantum obsides dare & tributa annua pendere imperavit. Atque ideo *Cornelius Tacitus* (5) eum Romanis Britanniam ostendisse, potius,

(2) *Diod. Sicul. histor. lib. 4.* (3) *Polyb. lib. 3.* (4) *Diod. lib. 39.*
(5) *Tacit. in vit. Jul. Agric. 6.*

tius, quam tradidiſſe, aſſerit.

IV. Poſt *Julium*, Imperio populi Romani in *Cæſares* translato, Imperatores inſequentes ſummis viribus Britanniam acquirere contenderunt. Nam *Auguſtus* in Britanniam (6) cum exercitu navigare conſtituerat, niſi Pannoniorum primo & poſtea Cantabrorum defectionibus avocatus fuiſſet. Et *Tiberius* Britannorum tributis acquievit, quæ cum ſub *Claudio* denegarent; ille cum exercitu in Britanniam (7) profectus, opera *Auli Plantii*, *Veſpaſiani*, & *Oſtorii Scapulæ*, Britannos inſigni prælio uperavit, & Romam rediens de iis eorumque Duce *Caractaco* ſplendidum triumphum (8) egit, titulumque *Britannici* aſſumſit. Poſt eum *Nero* Imperator Britanniam amiſiſſet (9), niſi *Suetonius Paulinus* fortiter reſtitiſſet; neque Britanni, uſque ad *Veſpaſianum* ejuſque filium *Domitianum* Imperatores, debellari potuerunt. Interea vero Britanni cum Romanis æquo fere Marte per C. XXX. annos (10) pugnaverant. Tum vero Principum ſuorum diſſidiis & factionibus diviſi, bellaque Civilia inter ſe exercentes, facile a Romanis Ducibus ſuperati ſunt, qui, ſumma Gentis noſtræ infelicitate, ſub unius Regis adminiſtratione nunquam fuerant, ſed inter varios Regulos & Principes diſtributi viam ſervituti Romanæ facilem præbuerunt. Sub *Veſpaſiano* enim & *Domitiano*, poſt Britannos Auſtrales, etiam Septentrionales,

(6) *Tacit. in vit. Agric.* (7) *Diod. lib. 60. Tacit. lib. 12. annal.* (8) *Sueton. in Claud. cap. 17.* (9) *Tacit. lib. 14. annal. Sueton. in Neron. cap. 40.* (10) *Dio. lib. 55.*

trionales, & *Caledonii* debellati, Insulæque Britannicæ Romanorum Imperio adjectæ sunt, prudentia & fortitudine *Petiti Cerealis*, & *Julii Agricolæ*. Britanniaque universa tum primum in Provinciæ Romanæ formam redacta est, & ex ea felici amissione libertatis (11) Romanos Mores, Leges, Linguam, Eloquentiam, domorum splendide ædificandarum artificium, viarum publicarum structuram, & omnes Romanas artes acquisivit. Et quod summi beneficii loco est, harum rerum omnium gestarum memoriam, *Cornelii Taciti*, *Agricolæ* Generi, & reliquorum Romanorum Scriptis debemus, quæ aliter cum priorum Britannorum gestis, inter Druidum Ceremonias & Jura, oblivione sepulta periissent.

V. De Britannia, jam ad Provinciæ formam redacta, conservanda sub Dominatione sua magis sollliciti erant Imperatores insequentes, quam de reliquis Imperii Provinciis; & ad coercendas Britannorum defectiones sæpius in Britanniam profecti sunt, quam in reliquas Provincias, & præ reliquis titulis suis, ex victoriis Britannicis se Britannicos appellari ambiebant. Sub *Hadriano* Imp. cum Septentrionales Britanni adversus *Cn. Trebellium* Legatum *Cæsaris* arma moverent, *Hadrianus* Imp. in Britanniam profectus eos in fugam egit; & ut Pictorum, Scotorumque incursiones arceret, murum per LXXX. millia passuum ex stipitibus magnis & cespitibus (12)

(11) *Tacit. in vit. Agric.* (12) *Lamprid. in Hadrian. Panciroll. in notit. Imp. Occident. cap. 89. Fran. de Amay. l. 1. C. de annon. & tribut. lib. 10.*

construxit, qui barbaros intra suos terminos contineret. Cum vero Picti Scotique, muro perfosso (13) iterum Britannos Australes aggrederentur, sub *Antonino Pio* & *Commodo* Impp. *Helvius Pertinax*(14), in Britanniam Præses missus, eos aliquandiu continuit. Donec, sub *Septimio Severo, Virius Lupus*, Præses Britanniæ, fere oppressus Britannorum defectionibus Imperatoris auxilium imploraret. Qui cum *Bassiano* & *Geta* filiis, & *Papiniano* Præfecto Prætorio, in Britanniam profectus (15) per tres annos hic mansit, murum *Hadriani Lapideum* fecit, & Britannos Septentrionales Caledoniosque cum insigni tamen Romanorum clade, superavit, & Eboraci tandem mortuus est. Quem *Herodianus*, præ reliquis Imperatoribus Romanis, bellicis operibus clarissimum prædicat; & Britannici maximi titulus ei tributus est.

VI. Post *Severum*, ejusque filium *Caracallam*, a sequentibus Imperatoribus Britannia vix coerceri potuit; quod aliarum Provinciarum bellis avocati, Britannorum defectionibus sedandis pares non essent, pluresque Romani Duces, assumta Imperiali potestate, Tyrannorum more, Britanniæ dominationem occuparent; e quibus fuerunt *Carausius* & *Allectus* sub *Diocletiano* Imperatore; contra quos missus *Constantius Chlorus* Præses, Britanniam Romano

(13) *Buchanan. lib.5. rer. Scotic.* (14) *Herodian. in Peltin.*
(15) *Spartian. in Sever. Herodian. lib 3. cap. 14. & lib. 4. cap. 3. Dio. lib. 76. in excep. Xiphilin. Bed. lib. 1. histor. Anglic. cap. 5. Euseb. lib. 6. ece les. hist. cap. 7. Pancir. in notit. Occident. Imp. cap. 73.*

mano Imperio restituit, idemque a *Diocletiano Cæsar* declaratus, ex *Helena Coelli*, unius Britanniæ Regulorum filia, *Constantinum* genuit, qui post Patris obitum a Legionibus Britannicis in Imperio successor salutatus, per eorum fortitudinem *Maxentium*, Imperii æmulum, Roma & Italia expulit, solusque Romano Imperio potitus est.

VII. Hic Britannorum omnium, qui unquam fuerint, longe clarissimus, non solum Natalium suorum gloriam Britanniæ nostræ attulit, verum & novam Provinciæ formam apud nos induxit (16), constituta Britannia sub Præfecto Prætorio Galliarum, Duce & Comite Britanniæ, Comite Littoris Saxonici per Britanniam, & Vicario Britanniæ, qui omnes res belli pacisque apud Nos administrabant. Et primus omnium Imperatorum Romanorum Religioni Christianæ libertatem, Lucem publicam & splendorem indulsit. *Constantinum* vero *Magnum* fuisse in Britannia ex *Helena* matre Britanna natum, constanter asserunt, non soli Historiæ nostræ Scriptores, sed & (17) exteri. Idemque contra *Julium Firmicum*, & *Justum Lipsium* strenue defendit Reverendissimus *Jacobus Usserius* (18) *Archiepiscopus Armachanus*, qui suo merito, ob insignem literarum omnium Scientiam, inter Britanniæ nostræ ornamenta annumerandus est. In eo solo hic noster *Constantinus* Imperatorum Romanorum sine con-

(16) *Pancir. in notit. Occiden. Imp. cap. 69. 72. 73. 89.* (17) *Card. Baron. tom. 3. Annal. eccles. ad ann. 306. §. 14. Forcatul. de Gallor. Imp. & Philosoph. lib. 7.* (18) *Jacob. Usser. de primord. eccles. Britann. cap. 8.*

troversia primus infelix fuit, quod nimio terminorum Romani Imperii propagandorum studio, Roma Sedem Imperii *Byzantium* transtulerit, locum amœnum æque ac munitum, & in omnium Orbis Terrarum Gentium quasi medio collocatum. Nam barbaræ Gentes absentia Imperatorum provocatæ, Gothi & Longobardi Italiam, Vandali, Svevi Gothique Hispaniam, Franci Galliam, Scoti Pictique Britanniam invadunt, & ruina Romani Imperii in Occidente statim sequuta est.

VIII. Post *Constantinum, Constantinus* & *Constantius* ejus filii, & post eos *Gratianus* Imp. Britanniam tenuerunt usque ad *Valentinianum*, sub quo *Theodosius*, *Legatus Cæsaris*, Britanniam, Scotorum, & Pictorum incursionibus iterum oppressam, ita pacatam reddidit, ut pars Britanniæ, a *Theodosio* subacta, Valentia (19), Imperatoris arbitrio, diceretur. Eidem deinceps ad Imperium evecto successit *Theodosius II.* ejus filius; & post eum *Honorius* ætate minor, cujus adolescentiæ a *Theodosio* Patre præfectus *Stilicho*, Britanniam (20) iterum a Scotis Pictisque liberavit. Verum cum postea sub hoc *Honorio* & *Arcadio* Imper. Scoti cum Pictis & Attacotis, Britanniam nostram jam exhaustam (militibus Britannis ad alias Imperii Romani Provincias adversus barbaros tuendas evocatis) iterum ingrederentur, omniaque apud Nos vastarent, miseri Britanni frustra Imperatorum auxilium implorant.

Quo-

(19) *Ammian. Marcellin. rer. gestar. lib. 28.* (20) *Claudian. de laud. lib. Stilich. lib. 2.*

Quorum gemitus *Gildas* (21), primus Scriptorum nostrorum, & post eum *Beda* (22) describunt, *Se nimirum a Barbaris ad Mare, a Mari ad Barbaros repelli, & per duo funerum genera jugulari*, frustra queruntur. Nec enim *Honorius* aut post eum *Valentinianus III.* Britannos defendere potuerunt, Britannia Scotis & Pictis, post quingentos annos a *Julii Cæsaris* in Britanniam ingressu, derelicta.

IX. Ita miseri Britanni, Scotis Pictisque viribus impares, ab iisdem & a Saxonibus deinceps, alii in Britanniam Armoricam in Gallia, alii in Walliam & Cornubiam apud nos sese recipientes, fuga salutem quærunt: & qui supererant, Anglo-Saxones vicinos, Germaniæ Populum, ad expellendos Scotos Pictosque accersunt. A Romanis vero deserta Britannia circa annum Christi (23) CD XXXV. anno vero sexagesimo ante Christum natum *Julius Cæsar* Britanniam ingressus est.

X. Saxones a Britannis contra Scotos Pictosque acciti, post eos fortitudine sua ejectos, Britannos hospites perfide tractarunt. Nam Insulæ nostræ amœnitate & ubertate capti, queruntur stipendia promissa sibi non fuisse soluta, nec se satis esse remuneratos a Britannis; eaque de causa (24) *Hengistus* & *Horsa* ex populationibus & spoliis Britannorum mercedem armorum suorum contra Pictos Scotosque

(21) *Gild. epist. de excid. Britann. Huntingdon. histor. lib. 1.*

(22) *Bed. lib. 1. histor. cap. 13.*

(23) *Bed. lib. 1. histor. cap. 15. Chron. Saxon. edit. per doctiss. Wheloc.*

(24) *Malmesbur. lib. 1. cap. 1. Buchanan. rer. Scotic. lib. 5. in Eugen. reg. 41. Camden. in Britann. §. Romani in Britann.*

que arbitrio suo æstimant; ad eosque postea aliæ Saxonum Copiæ accedentes, Britannos in variis Insulæ partibus superant, novaque Regna & Principatus apud Nos constituunt, & demum septem Regna (25) in variis Britanniæ nostræ partibus condiderunt.

XI. Primum Cantianorum Regnum assecutus est *Hengistus* Saxo, anno salutis CD. LV. Secundum Regnum Australium Saxonum initium habuit ab *Ella*, anno CD. LXXXVIII. sed post paucos Reges in Occidentalium Saxonum potestatem venit. Tertii Regni Orientalium Anglorum *Offa* fuit primus Rex anno D.LXXV. Quartum Regnum Orientalium Saxonum cœpit ab *Erchenvvino* anno D. XXVII. Quintum Regnum Merciorum seu Mediterraneorum Saxonum inchoatum fuit a *Crida* Saxone anno D. LXXXII. Sextum Regnum Northumbrorum fuit primo possessum ab *Ida* anno Salutis D. VIII. Septimum Regnum Occidentalium Saxonum primus acquisivit *Cerdicus* anno Salutis D. XXI. cujus Successores sive fortitudine sua, sive viribus Populi sui, omnium Britannorum robustissimi paulatim reliquos Saxonicos Reges superarunt, & tandem omnes Britanniæ partes a Saxonibus possessæ in *Egberti* Regis Occidentalium Saxonum potestatem (Heptarchia extincta) venerunt (26) anno DCCC. Isque primus Britanniam nostram An-

(25) *Hoved. annal. par. 1. Huntingd. lib. 2. histor. Camden. in Britann.* §. *Anglo Saxones.* (26) *Camden. d.* §. *Anglo Saxones.*

Angliam, & Nostrates Anglos Edicto suo (27) appellari jussit, & ex eo deinceps ab omnibus Gentibus Angli dicti sumus.

XII. Post *Egbertum* in Regno Angliæ, a Saxonibus acquisito, successit *Ethelvvolphus* ejusque Posteri per C.LXXV. annos, in quo tamen a Danorum incursionibus insignes sæpe clades & damna acceperunt. Tandem Regnum Angliæ per aliquot annos amiserunt a Danis acquisitum, qui illud aliquandiu tenuerunt: donec Reges Anglo-Saxonici Angliam iterum, pulsis Danis, recuperatam, brevi postea Ducibus Normanniæ cedere coacti sunt, quorum posteri adhuc hoc Regno potiuntur.

XIII. Dani vero sub *Ethelvvolpho*(28)Cantium, prædonum more ingressi, diripiunt, deinde sub *Etheldredo* Northumbriam; postea sub *Aluredo* Londinum & Oxoniam; denique tributum (29) ab Anglis exigunt. Et demum *Sveno* (30), Danorum Rex, totius Angliæ Imperium obtinuit anno M. XIV. & post eum *Canutus* ejus filius, qui Regnum (31) Angliæ per XXVIII. annos tenuerunt. Eo autem mortuo Angli, odio Danorum, *Edvvardum Etheldredi* Regis filium e Normannia exulem revocant, isque, ope *Gulielmi Nothi* Ducis Normanniæ, Rex Angliæ creatus, felicissime magna pietatis & justitiæ laude per XXIV. annos in Anglia (32) regnavit,

(27) *Polidor. histor. Anglic. lib. 5. Camden. d. §. Anglo-Saxones.*
(28) *Polydor. lib. 7. Camden. in Britann. §. Dani.* (30) *Polydor. d. lib. 7.*
(31) *Polydor. lib. 8. Camden. d. §. Dani.* (32) *Cestren. lib. 1. cap. 50. Gemeticen. lib. 6. cap. 9. Polydor. lib. 8.*

vit, ediditque plures Leges adeo justas & Anglis gratas, ut apud eos adhuc summe celebrentur; tandemque inter Divos relatus est. *Edvvardo* autem sine liberis mortuo, Regnum Angliæ ambiebat *Edgarus Ethelingus*, *Edmundi* (qui ferreum latus dictus est) nepos ex filio, Anglis gratissimus. Sed, cum puer esset & Regni administrationi parum idoneus, *Haraldus*, *Godvvini* Comitis Cantii filius ex sorore *Canuti* Dani, Regnum Angliæ occupat, & se ab Archiepiscopo Eboracensi anno M.XLVI. Regem inaugurari procuravit.

XIV. *Gulielmus* Normanniæ Dux ab *Haraldo* Rege Angliæ constituto per Legatos Regnum sibi restitui (33) postulavit, tum quod proximo affinitatis gradu *Divo Edvvardo* conjunctus esset, utpote filius *Roberti* Ducis Normanniæ, per *Emman. Richardi* Normanniæ Ducis filiam, matrem *Divi Edvvardi*; tum quod *Divus Edvvardus* hereditatem Regni Anglicani sibi promisisset, si sine liberis moreretur; & *Haraldus* in Normannia auxilium suum *Gulielmo*, ad Regnum Anglicanum acquirendum, post *Divum Edvvardum* juramento sancte pollicitus fuisset.

XV. *Gulielmus* ad Jus suum vendicandum, & ad castigandam *Haraldi* perfidiam, cum exercitu Angliam ingressus, *Haraldo* cæso, Regnum Angliæ adeptus est anno M.LXVII. ejusque Posteri adhuc eo potiuntur. *Gulielmo*, post Regni Anglici administrationem

(33) *Polidor. lib. 8. Camden. in Britann. §. Normanni.*

miniſtrationem per XXI. annos, mortuo (34) *Gulielmus Rufus* ejus filius ſecundo genitus in Anglia ſucceſſit anno M.LXXXVIII. & poſt eum, ſine liberis mortuum, *Henricus I.* filius natu minor *Gulielmi I.* & in eo poſt Regnum XXXV. annorum etiam ſine filiis mortuo, omnis *Gulielmi I.* virilis (35) & legitima proles defecit, eique ſucceſſit *Stephanus* Bleſenſis *Henrici I.* ex ſorore *Adela* nepos anno M. C. XXXVI. *Stephano Henricus II.* & poſt eum *Ricardus I.* ejus filius. Atque ita Normannorum & exterorum Imperium apud Nos ceſſavit; nam *Ricardus* ejuſque Poſteri fuerunt Angli, in Anglia nati moribuſque Anglicanis uſi. Id quoque gloriæ Gentis Anglicanæ tribuendum eſt, quod, cum Normanni Anglos odio haberent, eorum Leges abrogare, Moreſque ad Normannicos trahere contenderent, Anglorum tamen nomen (36) conſervarunt, ſummo ſibi honori ducentes Anglis imperare. Atque adhuc apud eorum Poſteros manet Anglorum Nomen & Regnum; iiſdemque Regnum Scotiæ per feliciſſimæ memoriæ *D. Jacobum* acceſſit.

XVI. Ex his ſatis conſtat, quas Principum mutationes Britannia noſtra hucuſque paſſa fuerit. Jam redeundum ad Leges Britannorum in his ſingulis Imperii Britannici mutationibus; & inter eas, quem uſum Romanorum Leges ſortitæ fuerint, & quæ Legum Romanarum authoritas in Anglia adhuc ſuperſit.

PARS

(34) *Polidor. lib. 10.* (35) *Polydor. lib. 11.* (36) *Polydor. lib. 13.*

PARS SECUNDA.

I. Ante Romanorum ingressum in Britanniam, Duce *Julio Cæsare*, nulla extat, nec rerum gestarum in Gente nostra Historia, nec Legum memoria, præter illam, quam a Romanis Scriptoribus habemus. In Britannia vero & Gallia, refert *Cæsar* (37), Sacrorum & Legum potestatem fuisse penes Druidas; eorum Judices simul & Sacerdotes; eosdemque de omnibus Controversiis publicis privatisque constituisse; & si quod admissum facinus vel cædes facta, vel de hereditate aut finibus controversia esset, eosdem præmia pœnasque decrevisse; eique, qui eorum Decretis non staret, Sacrificiis interdicebatur. De eorum vero Legibus aut Ceremoniis Sacrorum nihil extat: nam literis aliquid mandare non erat (38) illis permissum. De Legibus vero in Britannia nihil mutavit *Cæsar*, quæ suis Regibus concessa, & suis Legibus usa (39) est; tantum Obsides & Tributa imperata sunt; Britanniamque ante Claudium sui Juris *Seneca* (40) appellat.

II. Claudius vero Britanniam ingressus, in ea parte Insulæ, quam debellavit, Leges Romanas indixit, atque ideo *Druidas* Edicto suo (41) sustulit, unde de morte Claudii lusit *Seneca* (42):

Il-

(37) *Cæsar. lib. 6. de bell. Gallic.* (38) *Cæsar. d. lib. 6. de bell. Gall. Anth. Faucon. in orcin. Reg. Gall. in præfat. Ciron. lib. 5. observ. Jur. Canon. ca. 7.* (39) *Dio. lib. 53. Camden. §. Romani in Britann.* (40) *Senec. in Octav.* (41) *Sueton. in Claud. cap. 25.* (42) *Senec. in Lud. de morte Claudii.*

Ille Britannos
Ultra noti
Littora Ponti:
Et cæruleos
Scuta Brigantes
Dare Romuleis,
Colla catenis
Jussit, & *ipsum*
Nova Romanæ
Jura Securis
Tremere Oceanum.

Claudiumque Coloniam duxisse Cameloduni, narrat *Tacitus* (43), *Ut esset subsidium adversus Rebelles*, & *imbuendis Sociis in officia Legum*. Et de Claudii temporibus antiquum Poetam intelligit Magnus *Jos.* (44) *Scaliger*;

Cernitis ignotos Latia sub Lege Britannos,
Sol citra nostrum flectitur Imperium.

III. Sub *Nerone* postea recenset *Tacitus* Britannorum querelas (45): *Singulos sibi olim Reges fuisse*, *nunc binos imponi*, *e quibus Legatus in Sanguinem*, *Procurator in Bona sæviat*, & *externos fremitus in Curia* (46) *eorum audiri*. Universam etiam deinceps Britanniam, præsertim fortitudine & prudentia *Julii Agricolæ* debellatam, in provinciæ formam redegerunt Imp. *Vespasianus* & *Domitianus*. Iidemque & sequentes Imperatores, usque ad *Honorium* & *Valentinianum III.* Britanniam per Leges Romanas gubernarunt; Britannisque per Magistratus Romanos, Proconsules, Præsides, Legatos, Prætores, Præfectos Prætorio, postea Comites Britanniæ, eorumque Vicarios, abrogatis Legibus Britannicis,

(43) *Tacit. lib. 12. Annal.* (44) *Scalig. in Catalect. Camden. d. §. Romani in Britan.* (45) *Tacit. in vit. Agric.* (46) *Tacit. lib. 14. Annal.*

nicis, ex Legibus Romanis Jus dixerunt.

IV. Sub *Domitiano* autem ita Leges Romanæ in Britannia invaluerunt, ut *Agricola* Britannos hortaretur, ut Templa (47), Fora, Domos extruerent; Britannique adeo se ad artes Romanas accommodaverant, ut a Gallis Eloquentiam Romanam & peritiam (48) Advocatorum didicerint. Posteaque sub *Marco Antonio* Imp. *Aristides* Orator Græcus inter encomia Romæ ponit (49), *quod Leges suas omnibus etiam Britannis communes reddidisset, eosdemque terminos Imperio & Legibus suis posuisset*. Romaque deinde a *Claudiano* (50) *Armorum Legumque Parens*, & a *Sidonio Apollinari* postea (51) *Legum Domicilium* appellata est.

V. Romanarum etiam Legum usus & exercitium in Britannia evidentissime constat ex eo, quod sub *Septimio Severo* Imp. *Æmilius Papinianus* Eboraci Præfecti Prætorio Munus (quod in Imperio Romano Supremum fuit) gesserit & Jus dixerit. Cujus rei fides tribuenda est *Dioni Cassio* viro Consulari, qui sub *Severo* vixit, & res gestas *Severi* (52) scripsit, licet a reliquis Historiæ Romanæ Scriptoribus omittatur.

VI. *Severus* enim cum *Antonio Caracalla* & *Geta* filiis, ad evitandum Legionum otium & Filiorum luxuriam Romæ, in Britanniam veniens, relicto *Geta* filio cum Consiliariis & amicis antiquissimis

(47) *Tacit. in vit. Agric.* (48) *Juvenal. Satyr. 6.* (49) *Aristid. in Rom. encom.* (50) *Claudian. lib. 3. de Laud. Stilic.* (51) *Sidon. Apollin. lib. 1. epist. 6.* (52) *Jo: Leunclav. in vit. Dion. Cass.*

quiſſimis in interiore parte Inſulæ, quæ Romanis parebat, ut Juri dicundo rebuſque adminiſtrandis præeſſet, ipſe cum *Antonino* & exercitu in Caledodonios profectus eſt; & dum ſimul equitarent, *Antoninus* refrænato equo magno ſilentio gladium diſtrinxit, ut Patrem feriret; a quo facinore, clamore militum avocatus, abſtinuit. *Severus* autem rem diſſimulavit, donec rebus compoſitis, ad Prætorium rediret, ubi filium, cum *Papiniano* & *Caſtore*, amicis intimis, ad ſe vocat, gladiumque in medio collocari jubet, & Filium increpans quod tantum facinus, Sociis & hoſtibus videntibus, uſus eſſet attentare, eum porro ita alloquitur: *Si me ſublatum cupis, manu tua me interfice; vel hic adeſt* Papinianus (53) *Præfectus Prætorio, cui jubere potes ut me interficiat, iſque Mandatis tuis, cum Imperator ſis, obtemperabit.* *Papinianus* enim fuit primus omnium in Conſiliis (54) *Severi*, tum ob inſignem præ reliquis omnibus Juris Scientiam, tum quod *Severo* ex ſecunda uxore affinitate conjunctus (55) eſſet.

VII. *Severus*, poſt ſuos *Caledonis* Eboracum rediens, ibi promulgavit Legem illam (56), qua conſtitutum eſt, Servum alienum acquirere dominium bonæ fidei poſſeſſori, ſive ex re ejus ſive ex operis ſuis; malæ autem fidei poſſeſſori nihil acquirere. Quæ lata fuit Eboraci *Fauſtino* & *Rufo Coſſ.* qui fuit ultimus (57) Annus Imperii *Severi* (quo *Severus*

R Ebo-

(53) *Dio. lib. 76. in excerpt. Xiphilin.* (54) *Lamprid. in Sever.* (55) *Spartian. in Caracall.* (56) *L. 1. C. de rei vindic.* (57) *Cont. in faſc. conſular.*

Eboraci mortuus est) eademque scripta fuit a *Papiniano*, quia Interpretes nostri opinantur (58), omnes Constitutiones *Severi* & *Antonini*, quæ in Codice *Justinianæo* reperiuntur, a *Papiniano* multa cum deliberatione conscriptas fuisse: neque *Papinianum* solum, sed *Vlpianum* etiam & *Paulum* fuisse hic in Britannia Assessores in Prætorio cum *Papiniano* Præfecto, Viri doctissimi (59) existimarunt; eosdemque omnes *Getæ* Consiliarios fuisse assignatos. Et inter Britanniæ nostræ decora numerandum est, quod *Papinianus* in ea Jus dixerit, *Primus* (60) *omnium Jurisconsultorum, qui fuerunt vel futuri sunt, quem nemo unquam Juris Scientia superavit, nec in posterum æquare poterit*, ut eum prædicat *Cujacius* (61): magisque Britanniam nostram ornat si *Vlpianus* & *Paulus* (primi post *Papinianum*) in Auditorio *Papiniani* hic assidebant.

VIII. Britanniam nostram sub Legibus Romanis administratam fuisse, habemus etiam testimonia *Vlpiani* & *Javoleni* in Pandectis. Filiifam. apud Britannos erant in patria potestate ex Jure Romano, & Patres filiis pupillariter substituebant; sed non potuerunt Patres pupillariter substituere filiis, nisi prius in Testamento heredem suum scripsissent; atque ita Imperatorem *Severum* ad *Virium Luppum* Præsidem Britanniæ rescripsisse, refert (62) *Vlpianus*,

(58) *Marth. Wesenbec. in Papinian.* (59) *Selden. dissertat. ad Flet. cap. 4. ex Lamprid. in Alex. Sever. & l. lecta, ff. si cert. petat.* (60) *L. cum Papinianus* 14. *C. de sent. & interloc. omn. jud. Jac. lect. in orat. de Æmil. Papinian.* (61) *Cujac. in proœm. ad quæst. Papinian.* (62) *L. in* [illegible] *vibus* 2. §. *prius, ff. de vulg. & pupill. Coppin. de dom. Gall. consuet. par.* 2. *n.*

nus. Ita etiam in Teſtamento *Seji Saturnini*, claſſis Britannicæ Archigubernii heredi fiduciario inſtituto reſtituendam eſſe hereditatem, ſi is, cui reſtituenda erat hereditas, deceſſiſſet, priuſquam dies ceſſiſſet, reſpondit (63) *Javolenus*.

IX. Britanni porro noſtri non tantum ad Leges, verum etiam mores, habitus, Linguam, Eloquentiam, & omnes Artes Romanas ſe accommodabant; quod ex Divina benignitate in gentem noſtram promanavit, quæ aliter nativam barbariem retinuiſſet. Neque enim eandem Saxonum, Danorum, aut Normannorum, Gentium magis barbararum, Moribus exuiſſet; ſed quicquid apud majores noſtros pulchrum aut ſplendidum fuit, Romanorum Moribus, Virtutibus & Imperio tribuendum eſt: Britannique noſtri ita ſe ad diſciplinam Romanorum conpoſuerunt, ut Britanniam vocatam fuiſſe Romaniam, *Gildas* (64) noſter teſtetur.

X. Et Britanni denique non prius Romanas Leges deſeruerunt, quam ipſi a Romanis derelicti erant; quod in *Honorii* tempora incidit. *Tum autem Trans-Rhenani Barbari, cuncta pro libito invadentes, Britannos eo redegerunt, ut Romanorum Legibus non amplius obedientes, propriam Rempub. arbitratu ſuo conſtituerent*, ut ait (65) *Zoſimus*: quam tamen libertatem ſtatim amiſerunt, & a Saxonibus debellati eorum Legibus parere coacti ſunt.

(63) *L. Sejus Saturninus 46. ff. ad S.C. Trebell.* (64) *Gild. in epiſt. de excid. Britann.* (65) *Zoſim. lib. 6. Panciroſ. in notit. Occiden. Imp. cap. 73.*

XI. Cum vero aliqui Jurisconsulti Anglicani magni nominis tradiderint (66), Romanos Leges suas Britannis non imposuisse, sed iis uti suis Legibus & Consuetudinibus permisisse, quibus rationibus ducti illud asseruerint, non possum assequi; nec ipsi se explicant, cum hoc repugnet fidei Historiarum Romanarum, & deinceps Anglicarum omnium. Et contrariam Sententiam evidentissimis testimoniis defendunt clarissimi hoc seculo gentis nostræ Scriptores, *Gul. Camdenus* (67), & *Joh. Seldenus* (68), quorum ille Britanniam nostram Chorographia & annalibus *Elizabethæ* apud exteras gentes illustrem reddidit; hic vero ad Juris patrii exactam scientiam, Legum *Mosaicarum* reliquarumque Gentium & Literarum porro omnium, non Latinarum modo & Græcarum, sed & Hebraicarum, & gentium Orientalium singularem cognitionem adjecit; iisque postea accessit *D. Henr. Spelmannus* (69), insignis & acutissimus Antiquitatum Britannicarum Explorator. Qui omnes amplissimis rationibus probant, Romanos abrogatis Legibus Britannicis, Romanas in Britanniam induxisse, & secundum eas Jus dixisse, quamdiu Imperatores Romani Britannia nostra potiti sunt. Eorumque, in Literarum omnium & Antiquitatum gentis nostræ cognitione, longe præstantiorum, Sententiam sequi debemus.

XII. Sed

(66) *Fortesc. de laud. leg. Angl. cap. 17. D. Edvvard. Coke. lib. 2. relat. & lib 6. relat. in præfat.* (67) *Camden. in Britann. §. Roman. in Britann.* (68) *Selden. in notit. ad Fortesc. cap. 17. in analect. lib. 1. cap. 5. in uxor. Hebr. lib. 2. cap. 29. Dissert. ad Fletam. cap. 4.* (69) *D. Spelman. in Concil. ad ann. 185. par. 35.*

XII. Sed huic Sententiæ adversari videtur Epistola ad *Eleutherium* Pontificem Romanum missa a *Lucio* uno Regum Britannicorum, quem fuisse Regem *Icenorum*, nempe Norfolciæ, Suffolciæ, & agri Cantabrigiensis sub *Antonino Pio*, & *Commodo* Imp. perhibetur, in qua Leges Romanas & *Cæsareas* sibi ab *Eleutherio* transmitti petiit, quod inepte fecisset, si Britanni eo tempore Leges Romanas habuissent. Hæc Epistola non ante *Henrici VIII.* tempora typis (70) evulgata est, quam posteriores Scriptores Anglici aliquot (71) retulerunt, ad fidem Epistolæ commentitiæ adhibendam, ex errore proclives in honorem Gentis nostræ; in qua etiam *Lucius*, omnium Regum Christianorum primus, a Pontifice Sacris Christianæ Fidei initiari petiit.

XIII. Verum hæc Epistola ex eo suspecta habetur, quod Britannici Scriptores antiqui, qui hujus Epistolæ (72) meminerunt, in ea nihil de Legibus Romanis referunt, & recentiores Scriptores Anglici (73) ex multis rationibus hanc Epistolam spuriam & adulterinam esse contendunt; quod hæc Epistola scripta referatur anno Christi C.LXIX. cum *Eleutherius* Sedem Romanam non obtinuerit ante annum CLXXX. Quod contineat verba Latinitatem Normannicam & Jus Anglicanum redolentia. Quod in ea allegentur Sacræ Scripturæ ex translatione

(70) 12. *H.8. Spelm. ad d. ann.185.* (71) *Fox. in Martyrol. lib.2. Gul. Lambard. in auctar. Leg. Edvv: confess. antiquit. Britan. pag.4.* (72) *Epit. histor. Bed. in fin. Jo: major de gest Scotor. lib.1. cap.13. Jo: Balæ. in Scriptor. Britan. cent.1. v. Lucius Pius.* (73) *Spelman. ad d. ann.185. Wheloc. in legib. Gul. Bastard.*

tione *Divi Hieronymi*, qui ad ducentos annos post *Eleutherium* floruit. Et quod nec *Galfredus* Monumethensis, nec *Hovedonus*, nec alii Historici Anglici antiqui ejus meminerint. Et aliæ porro conjecturæ contra *Lucii* Epistolam proferuntur, nempe, quod Pontifex *Lucium* compellet in plurali, *Vos estis Vicarius Dei*. Quam compellationem a recentioribus Principibus assumtam, sermo Romanus ejus seculi non admittit. Quod Pontifex asserat: *Se Leges* Cæsaris *posse semper reprobare*. Quod verba, *Protectione & Pace*, non Romanum, sed recentiorem Anglicanum sermonem referant. Quod in antiquis exemplaribus Legum *Gulielmi Nothi* hæc Epistola non reperiatur. Quod Leges *Gulielmi* & Consuetudines Londinenses (inter quas hæc Epistola edita est) ex gravibus etiam causis suspectæ sint. Et demum, sub aliis suspicionis & falsi conjecturis laborat hæc Epistola *Lucii*, quas doctissimus *D. Gerardus Langbainius*, Collegii Reginæ apud Oxonienses Præpositus, cum multis aliis Observationibus suis de Antiquitatibus & Legibus Romanorum in Britannia (quarum ille, ut & Historiæ universæ, est valde peritus) mihi amice communicavit. Ex his constat, Britannos Legibus Romanis paruisse, quamdiu sub Imperio Romano fuerunt, donec, a *Cæsaribus* derelicti, Saxonum & Danorum Dominationi cesserunt.

XIV. Sub Saxonibus vero & Danis quamvis pauciora Legum Romanarum vestigia reperiamus, utpote, intentis ad eas solas Leges ferendas, quæ Bri-

Britannos & Anglos sub jugo suo arctius coercerent: sub iis tamen constabit, Reges eorum, qui reliquis Pietate, Virtute, & Gloriæ cupiditate præcelluerunt, in Judiciis & Jure dicundo inter subditos suos ad exemplar Romanorum sæpius se composuisse. Ita sub Heptarchia Saxonum, refert *Beda* (74), *Ethelbertum* Regem Cantii circa annum salutis DC.XIII. Decreta Judiciorum inter subditos suos, juxta exempla Romanorum cum Consilio Sapientum, constituisse. In quibus ante omnia sancivit pœnas in auferentes res ab Ecclesiis, Episcopis, vel aliis quibuscunque; eademque fuisse Anglico sermone conscripta, suoque seculo observata, *Beda* testatur. Et hic primus Regum Saxonicorum Leges (75) tulit, & post eum *Inas* Rex Saxonum Occidentalium aliis promulgavit; & deinceps Leges *Mercias Offa*, *Merciorum* Rex. Post eos celeberrimus *Aluredus* Occidentalium Saxonum Rex prioribus Legibus alias addidit, & *Aluredo* Reges succedentes *Edvvardus* senior, *Athelstanus*, *Edmundus*, *Edgarus*, *Etheldredus* Saxones, posteaque *Canutus* Danus, suas Leges ediderunt, quæ adhuc extant, easdemque ex Lingua Saxonica *Gulielmus Lambardus* Latinas reddidit.

XV. In his vero Legibus omnibus non multa deprehenduntur judicia Legum Romanarum, quæ post *Justiniani* seculum a Gentibus Europæis vix cognitæ fuernt; Regesque Saxonici Dominationi

(74) *Red. lib. 2. histor. cap. 5. Spelm. in glossar. v. lex Anglorum.*
(75) *Spelm. d. v. lex Anglorum.*

suæ per Leges suas constituendæ sollicite incumbebant, licet eorum plurimi Justitia & Pietate insignes fuerint; quorum zelo in Fidem Christianam & Pietati splendidæ, apud nos Ecclesiæ Cathedrales & Monasteria & Collegia Sacra plurima tribuenda sunt. Verum hæc a Danis non potuerunt expectari, qui Angliam ingressi circa annum DCCC. non solum Urbes, Oppida, Ecclesia, Monasteria, sed & Leges, Scientias, & Literas omnes vastarunt (76) & profligarunt, cum essent Ethnici & a fide Christi (77) abhorrerent. Danis autem pulsis, *Divus Edvvardus*, quem Confessorem dicimus, ex omnibus prioribus Legibus Anglorum, Danorum, & Merciorum, unam Legem communem (78) edidit, quæ Leges *Edvvardi* Confessoris hodie dicuntur, quas Angli deinceps adeo amplexi sunt, ut, post Normannorum Dominationem, quoties Populus ex Legibus asperioribus concitatus inciperet tumultuari, Reges eorum animos delinire solebant, promittendo, se Leges *Edvvardi* Confessoris restituturos; Regesque nostri iis seculis, cum inaugurati erant, se Leges *Edvvardi* observaturos sacramento polliciti sunt.

XVI. Iisdem seculis, quibus Saxones & Dani Anglorum Imperium habuerunt, Britanni in Walliam ab iis pulsi, suos Reges habuerunt; quorum tamen nullas habemus Leges scriptas ante *Hovelum Bonum* (*Hovvel Dha*) eorum Regem circa annum

(76) *Spelm. in Concil. ad capitul. incert. edit.* (77) *Hect. Boeth. histor. Scotor. lib. 10.* (78) *Gemedicon. lib. 6. cap. 9. Ran. Cestren. lib. 1. cap. 50. Polydor. histor. lib. 8. Spelm. d. v. lex Anglorum.*

num CM.XL. qui, convocatis Episcopis & Laicis doctissimis, Leges antiquas correxit, & novas condidit, quas per *Elegaridum Longvaridum* (79), Virum pro eo seculo doctum, Latine scribi & promulgari jussit. Inter eas Leg. LXXXV. laudatur Lex Romana (80), quod duo testes sufficiunt, ubi testium numerus non definitur, & quod unius testimonium non sit (81) admittendum: in ea tamen Lege plures enumerat, quorum soli testimonio sit credendum; scilicet, dominum inter duos homines, Abbatem inter duos Monachos, Patrem inter duos filios, Sacerdotem de testimonio sibi attestato, Puellam de virginitate, si rapta sit, latronem ad patibulum ductum de sociis suis, aliique ibi enumerantur. Neque his seculis expectare possumus multa Legum Romanarum testimonia, in quibus Jus *Justinianeum* delituit. Scientiarum omnium in Europa fuit oblivio miranda, ut supra (82) dictum est; & apud nos Literas omnes, Dani præsertim, profligarunt; eademque vestigia Legum Romanarum, quæ sub Regibus nostris Saxonicis reperiuntur, petita erant e Codice *Theodosiano* (83), *Gaji, Pauli, Ulpiani* fragmentis, quæ cum aliqua parte Pandectarum apud Europæos extabant.

XVII. Progrediendum igitur ad Normannorum tempora, quorum Primi Reges Reip. Anglicanæ

(79) *Jo: Bal. cent. 2. v. Blegaridus.* (80) *Leges Hoelvelii Dda. M.S. apud Clariss. Selden. l. 85. tit. numerus testium.* (81) *L. 3. C. Theodos. de fid. test. & l. 9. C. Justin. de testib.* (82) *Lib. 1. cap. 5.* (83) *Freher. in edit. Græc. Rom. in epist. ad Rud. II. Imp. clariss. Selden. dissert. ad Flet. cap. 5. Ciron. lib. 5. obser. Jur. Canon. cap. 2.*

næ gubernationem in multis mutarunt, pluribusque Legibus prioribus abrogatis nova condiderunt, eamque Reip. & Legum formam apud Nos constituerunt, quam hodie habemus sub Regibus nostris, qui *Gulielmo I.* legitime succedentes, ab eodem & titulum & numerum Decessorum describunt. Normannos vero Juris civilis Usum & Authoritatem apud Nos in multis induxisse, ex sequentibus constabit.

XVIII. *Gulielmus* Normannorum Dux Coronam Angliæ adeptus, licet se propalaret esse legitimum *Divi Edvvardi* heredem ex donatione *Edvvardi*, & qui erat *Edvvardi* pronepos ex sorore, tamen proximitate inferior erat *Edgaro*, quem *Etbolingum* appellarunt Angli, ut delicias Gentis suæ. Atque ideo alias armorum suorum causas, nempe cædem *Alfredi* fratris *Edvvardi* & *Roberti* Cantuariensis Archiepiscopi exilium adjecit, ex quibus omnibus justum sibi bellum fuisse in *Haraldum* & *Anglos* decrevit. Postquam vero Coronam induisset, ex potestate sua Leges plures mutavit, quæ & sub Successoribus receptæ sunt; novam Juris dicundi formam in multis constituit: prædia Anglorum plurima ex Allodialibus Feudalia fecit: multa tributa & vectigalia imperavit, quibus Angli prius soluti erant; & demum moriens, exheredato *Roberto* Normannorum Duce, filio primogenito, *Gulielmum* (quem *Rufum* dicimus) secundogenitum in Regno Angliæ heredem instituit, quod omnino in successionibus legitimis nefas est admittere. Consuetudi-

nem

nem diuturnam de fucceffione Primogeniti in Gallia & in Anglia in omnibus hereditatibus invaluiffe, Interpretes (84) noftri teftantur.

XIX. *Gulielmus* hic (quem vulgo Conqueftorem dicimus) initio Regni, Procerum precibus ductus, primo obfervari juffit Leges *Divi Edvvardi* (85), una cum iis, quas ipfe conditurus erat. Sed pacato Regno, Leges fuas inducturus, ex Legibus Merciorum, Danorum, & Occidentalium Saxonum, quæ apud Nos erant celebriores, Danicas (86) prætulit, quia cum Normannicis magis conveniebant; Normannique a Danis oriundi eosdem Cognatione attingebant; iifdemque Confuetudines Normannicas (87) immifcuit; & ex iis omnibus Leges fuas compofitas promulgavit, quarum pleræque apud Nos adhuc valent. Et quamvis illius Succeffores *Gulielmus II. Henricus I. Stephanus*, *Henricus II.* aliique deinceps Anglos, res novas molientes, ex Legum Normannicarum caufa, fæpe pacarent, polliciti Legum *Divi Edvvardi* reftitutionem, illud tamen nunquam præftiterunt: tantum Barones noftri a *Johanne* & *Henrico III.* Chartam Libertatum obtinuerunt, quæ in multis articulis afperitati priorum Legum temperamentum adhibuit,

(84) *Bald. in l.cum in antiquioribus n.18. C.de Jur. delib. Panor. in cap.ex infinuatione, n.6. de Jur.patron. Tiraquell.de Jur.primogen. q.21. num.2.3. Gui.Benedict.ad cap.Raynutius de teftam.v.in eodem teftam.1. num.166.* (85) *Inguiph. Abb. Croyland. in fin. biftor. Hoved.in Gul.1. par.150.& par.608. Gemeticen.d.lib.6. Spelm.in gloffar.v.lex Anglorum.* (86) *Gemeticen.d.lib.6. cap.9. Hoved.annal. par.2. in Henr.II. Spelman. d.v.lex Anglor.* (87) *Camden.in Britann.§.Normann. Spelm.in d.v.Lex Anglorum.*

buit, quam Magnam Chartam appellarunt, eademque apud Nos in summa veneratione adhuc habetur.

XX. Leges vero Conquestoris Anglis primo duræ videbantur, easdemque excutere sæpe tentarunt; sed per aliquot secula insequentia Consuetudine & Consensu Gentis nostræ confirmatæ deinceps iisdem gratæ fuerunt, & in mores nostros abierunt. Nam Consuetudinis apud omnes Gentes mira vis est, postquam uniuscujusque populi consensu recepta fuerit. Atque ideo Lex Tyranno, Consuetudo Regi (88) comparari solet; Legesque ex præscripto datæ speciem servitutis habent, consuetudines vero consensu receptæ, ut Liberis imperant.

XXI. Illud autem asperum in Legibus Conquestoris visum est Anglis, quod, cum priorum Regum Leges sermone Latino vel Saxonico scriberentur, ille Leges suas promulgari, Actionum formulas, Acta Judiciorum, & Sententias Judicum, idiomate Normannico (89) scribi jussit; quod nec ab Anglis nec a Gallis (quorum plurimi tum erant subditi Regi nostro) intelligebantur, eademque Lingua pueros in Scholis instrui mandavit. Quod Mandatum in Romanis imperiosum (90) appellat *D. Augustinus*, qui Gentibus a se debellatis in Judiciis & omnibus Actis publicis Lingua Romana uti præceperunt; id tamen apud nos valuit usque ad *Edvvardum III.*

(88) *Dio. Chrysostom. orat. 76.* (89) *Ingulph. loc. cit. Polyd. lib. 9.*
(90) *August. lib. 19. de Civit. Dei, cap. 17.*

vvardum III. ſub quo Lege lata permiſſum (91) eſt, omnes deinceps actiones & poſtulationes in Curiis Regis ſermone Anglicano proponi.

XXII. Conſuetudines vero Normannicas fuiſſe per Conqueſtorem Anglicis immiſtas, ex earum ſimilitudine in multis Articulis clariſſime conſtat. Et ex hac ſimilitudine teſtantur Juriſconſulti Gallici (92) *Carolum VI. & VII.* Gallorum Reges, poſt recuperatam Normanniam ſub *Henrico VI.* Rege noſtro, quam Deceſſores ſui a Conqueſtoris tempore poſſederant, non reformaſſe ſtatim Conſuetudines Normanniæ, quia immutatæ non fuiſſent per Anglos, utpote cum Conſuetudinibus Anglicis convenientes; quod in reliquis Provinciis omnibus Galliæ præſtiterunt, in quibus Conſuetudines omnes ab Anglis inductas expurgarunt,& ad antiquas redierunt. Conſuetudines vero Normanniæ ultimo reformatæ erant ab *Henrico III.* Gallorum Rege anno M. D. LXXXIII. nam eouſque antiquæ Normanniæ Conſuetudines apud eos manſerunt.

XXIII. Conqueſtor poteſtate ſua uſus Juris dicundi formam apud Anglos in multis mutavit, novaſque Curias & Tribunalia vel conſtituit vel immutavit. Cancellariorum ſub Regibus Anglo-Saxonicis aliquando mentio eſt; ſed ſub Conqueſtore Cancellaria conſtituta eſt, quæ deinceps ſub Succeſſoribus perpetua fuit, cui præſidet Cancellarius a Rege conſtitutus: (quod apud Nos Supremum Mu-

(91) *Stat. 36. Edvv. 3. cap. 15.* (92) *Jacob. Godefrid. ad conſuetud. reform. Norman. in princ. & reformees.*

Munus est) e qua emanant (93) *Diplomata* Regia & *Brevia* originalia, Mandata etiam pro Inquisitionibus Feudalibus. Eique præsertim demandata est potestas Juris Anglicani rigorem temperandi & moderandi, ubi æquitas postulat, remediaque concedendi contra fraudem, fiduciam violatam, omnemque dolum malum in causis ejus Fori propriis, sicut & apud Romanos Prætor (94) habuit Juris Romani adjuvandi, supplendi, vel corrigendi potestatem. Quamvis vero aliqui apud Nos Viri docti existiment, eam potestatis amplitudinem judicandi de causis ex æquo & bono, & moderandi Juris Anglicani, a Conquestore Cancellariis non fuisse concessam, sed paulatim per secula insequentia crevisse; constat tamen, Cancellarios fuisse usos ea potestate sub *Henrico II.* quia Jo: Sarisburiensis *Becketi* Cancellarii coætaneus Librum suum ita (95) alloquitur:

Quærendus Regni tibi Cancellarius Angli,
Primus sollicita mente petendus erit.
Hic est, qui Regni Leges cancellat iniquas,
Et mandata pii Principis æqua facit.
Si quid obest populo, vel moribus est inimicum,
Quicquid id est, per eum desinit esse nocens,

Et *Alexander Neckham* (96) *de Becketo* ita: *Beatus siquidem* Thomas *Cantuariensis dummodo Cancellarius*

(93) *Spelman. in glossar. in Diatrib. de cancellar.* (94) *L. Jus autem, §. Jus Prætorium ff. de Just. & Jur. Cujac. ad d. l. jus autem, lib. 2. definit. Papin. Pancir. lib. 1. Thesaur. var. lect. jur. cap. 35. Franc. de Amya. lib. 1. observat. Jur. cap. 13. n. 11.* (95) *Jo: Sarisbur. in Polycrat. in præfat. ad opus suum.* (96) *Alex. Neckh. super cantic. lib. 4. cap. 5. MS. in Bibliot. Bodleian.*

rius fuit, *Leges iniquas cancellavit.*

XXIV. A ſeculo Conqueſtoris conſtitutæ ſunt apud Nos Curiæ *Banci* Regii pro dijudicandis iis Cauſis, ſive Criminalibus ſive Civilibus, quæ inter Regem & Subditos agitantur; & Curia communium Placitorum, in qua Subditorum lites diſceptantur; & Curia Fiſci, ſeu *Ærarii* Regii (ad quam ſpectat Judicium Cauſarum omnium de Mulctis, Feudorum alienationibus, Bonorum publicatione, Regiis Cenſibus, ſolutione Vectigalium, aliorumque, in quibus de Jure Fiſci Regii agitur) quæ a Lingua Normannica derivata Curia *Scaccarii* dicta eſt. E quibus Curiis licet aliquæ, præſertim vero Curia *Banci* Regii, tradantur a Viris Juris Anglicani peritis fuiſſe Conqueſtore antiquiores; illud tamen omnibus conſtat, has Curias a ſeculo Conqueſtoris per ſexcentos annos duraſſe, & apud Nos adhuc manere.

XXV. Præcipue vero Poteſtate ſua uſus eſt Conqueſtor in tempore Juris reddendi, & in modo probationum & Judiciorum. Nam, cum apud alias Gentes Europæas Jus ſemper dicatur, exceptis temporibus Meſſis, Vindemiarum, & aliquarum Feriarum: Conqueſtor ſtatuit quatuor anni terminos Juri dicundo certo dierum numero circumſcriptos, extra quos nemo in Curiis Regiis ſupremis in Jus vocari poſſit. De modo vero Judiciorum & probationibus conſtituit, omnes quæſtiones facti dijudicandas eſſe per duodecim Viros juramento aſtrictos, quos Juratores dicimus, qui, auditis Teſtibus,

de facto pronunciant, quæstione Juris, si qua supersit, Judicibus reservata. Cujus Judicii Modi licet aliqua vestigia appareant apud Anglo-Saxones, Conquestore antiquiora, ab eo tamen in certam formam (97) redactum fuisse constat, & ab Anglis post Conquestorem constanter servatus fuit.

XXVI. Conquestor porro forum Ecclesiasticum a Laico distinxit. Nam, cum antea sub Anglo-Saxonibus singulis Mensibus *Aldermannus*, seu Præses una cum Episcopo Jus dixissent, in Curia Centenaria, quam *Hundredum* dicimus, mandavit Episcopis & Archidiaconis, ne deinceps Jus dicant in Curia Centenaria, sed in loco per Episcopum designando; ibique judicent secundum Canones & Leges Episcopales, & contumaces contra eorum mandata excommunicationis sententia & Brachio Regio parere cogantur, cum præcepto Vice-Comitibus & Præpositis Regiis dato, ne aliquem in Jus vocent coram Se de iis, quæ ad forum Episcopale (98) spectant.

XXVII. Sub Conquestore ejusque filio *Gulielmo Rufo* nihil auditum in Anglia de Jure Civili: neque enim Pandectæ a *Lothario* Impp. restitutæ sunt ante annum M.C.XXVIII. qui fuit vicesimus octavus annus, postquam *Henricus I.* Rex noster regnare cœpisset; ipsumque *Irnerium*, postquam Bononiæ diu Jus Civile docuisset, anno M.C.XC. ibi oc-

(97) *Spelm. in glossar. v. jurata.*

(98) Coke. *Instit. par. 3. cap. 54. & lib. 2, cap. 6. § 8. 135. Char. 2. Rich. 2. n. 1.*

occubuisse (99) tradunt. Quamprimum autem *Irnerius* Bononiæ Jus civile profiteri cœpisset, idem apud Nos præstitit *Vacarius*: ita enim *Gervasius* Dorobornensis (100) in vita *Theobaldi* Archiepiscopi Cantuariensis sub *Henrico I. Tunc Leges & Causidici in Angliam primo vocati sunt, quorum primus Magister* Vacarius *hic in Oxenfordia Legem docuit. Vacarius* autem Jus civile apud nos legit Oxonii anno M.C. XLIX. (qui incidit in *Stephani* Regis nostri annum decimumquartum) quod historia Normannica per *Andream Quercetanum* edita nobis prodidit. Ubi ita de *Vacario* (101) *Magister* Vacarius *gente Longobardus, vir honestus & Juris peritus, cum Leges Romanas anno ab Incarnatione M.C.XLIX. in Anglia discipulos doceret, & multi tam divites quam pauperes ad eum causa discendi confluerent, suggestione pauperum de Codice & Digestis excerptos novem Libros composuit, qui sufficiunt ad omnes Legum lites, quæ in Scholis frequentari solent, si quis eos perfecte noverit.* Fuitque Legum Romanarum Professio prius ad Nos per *Vacarium*, quam ad Gallos per *Placentinum* allata, qui post *Vacarii* mortem in Academia Montispessulana anno M.C.XCVI. legere (102) incepit.

XXVIII. Hunc *Vacarium* valde celebrat clarissimus *Seldenus* (103) existimans eum fuisse *Rogerium*

(99) *Panzir. de Clar. legum interpret. lib. 2. cap. 13.* (100) *Gervas. Doroborn. in vit. Theobald. M.S. in Biblioth. Cotten.* (101) *Chronic. Norman. ex biblioth. S. victor. Paris. edit. per Andr. du Chesne. ann. 1619. pag. 983.* (102) *Vasq. Recherch. lib. 9. cap. 37. Panzir. de Clar. leg. interpret. lib. 2. cap. 20.* (103) *Selden. dissert. ad Flet. cap. 7.*

rium illum, qui inter Jurisconsultos Italos ex *Irnerii* Schola numeratur; & qui scripsit *Tractatum de Praescriptionibus* ab Interpretibus nostris saepe laudatum; eundemque fuisse Authorem illius Summae, ex cujus invidia *Placentinus* suam Summam composuit, & post eum *Azo* suam Summam; qui prae reliquis omnibus Summarum Juris civilis Scriptoribus hodie praedicatur; & fuisse hunc *Vacarium* virum celeberrimum ex eo constat, quod post lectionem Juris in Anglia *Abbas* Beccensis in Normannia factus est, & post mortem *Theobaldi* electus est Archiepiscopus Cantuariensis, quam tamen electionem, sive religione sive vitae Monasticae amore ductus, repudiavit, & in Monasterio Beccensi obiit anno M.C.LXXX.

XXIX. Sub eodem *Stephano* Rege *Theobaldus* Archiepiscopus Cantuariensis misit *Thomam Becketum* Clericum Londinensem in Italiam, ut Juri civili Bononiae operam (104) daret, & ad res publicas gerendas esset instructior; qui rediens Oxonii Legum Doctor creatus est, & inter Juris Romani peritos Oxonienses (105) enumeratur. Eundemque postea ad *Coelestinum Papam*, pro revocanda Potestate Legatina concessa *Henrico* Wintoniensi Episcopo, Regis fratri, misit *Theobaldus*; & infra triennium post mortem *Stephani* ab *Henrico II.* obtinuit,

(104) *Gervas. Dorobern. M.S. in vit. Theobald. Antiqu. Britan. in vit. Theobald. Quadrilog. lib.1. cap.5.* (105) *Jo: Grandison. Epis. Saxon. de vit. & mirac. Th. Becket. cap.2. Tuvyn. antiqu. Oxon. lib.2. pag.171.*

tinuit, ut *Becketus* Cancellarius Angliæ (106) constitueretur.

XXX. Cum vero sub Rege *Stephano* Legum studium, Oxonii a *Vacario* inceptum, plerique omnes Clerici Laicique amplecterentur, in immensum cresceret numerus Studiosorum Legum Romanarum; Theologi & Artium Professores, invidia perciti, (forsan etiam per gratiam Windoniensis, qui *Theobaldo* infensus erat) ita valuerunt apud Regem *Stephanum*, ut Edicto suo (107) prohibuerit, ne amplius docerentur Leges Romanæ in Anglia, & ut nemo retineret earum Libros, & silentium *Vacario* indictum fuit. Quam prohibitionem aliqui detorquere volunt, ut intelligatur de Decreto *Gratiani*, cum *Gratianus* nondum decretum edidisset; & *Vacarius* Leges, non Decretum, docuisset; & Leges nominet *Sarisburiensis* (108), quas *Theobaldus* in Angliam induxisset. Sed parum valuit *Stephani* Prohibitio, *nam eo magis invaluit virtus Legis, Deo favente, quo eam amplius nitebatur impietas subvertere*, quæ sunt verba *Sarisburiensis*, qui ea ætate fuit valde celebris, & ab *Henrico II.* factus est Episcopus Carnotensis; statimque ab excessu *Stephani* sub *Henrico II.* studium Legum Romanarum magis cœpit efflorescere, & *Becketus*, commendatus a *Theobaldo*, ad dignitatem Cancellarii evectus est.

XXXI. Eo Seculo omnes Literarum studiosi,

 Re-

(106) *Antiqu. Britan. in vit. Theobald. ex Hoveden.* (107) *Jo: Sarisbur. in Polycrat. lib. 8. cap. 22.* (108) *Polycr. d. cap. 22.*

Religiosi & Seculares, avide Leges Romanas secuti sunt, a quibus opum & Dignitatum præmia expectabant; Scriptoresque nostri ejus Seculi *Joh. Sarisburiensis*, *Petr. Blesensis*, *Girald. Cambrensis*, insignem Juris Romani peritiam libris suis (109) demonstrant. Unde Professores Theologiæ, Philosophiæ, & Artium ejus Seculi, graves reliquerunt querelas contra Leges Romanas, quod post eas admissas reliquarum Scientiarum omnium studia neglecta erant; Legumque etiam studiosi, sine omni aliarum Artium apparatu, Leges discebant; & quod Clerici Legum studio nimis incumbebant. *Giraldus* Oxoniensis omnia hæc Seculi sui vitia in Studiosis increpat (110); & narrat, quendam *Martinum Clericum* vehementer ita reprehendisse Oxonienses in publico eorum Conventu, & *quod Leges Imperiales reliquas Scientias omnes suffocaverant*: & ita *Minervium* eximium Oratorem Parisiis in Auditorio suo vaticinatum fuisse, quod Leges reliquas Scientias obliteraturæ essent: quæ omnia scripsit *Giraldus* sub *Henrico II.* nam inscripsit opera *Balduino* Cantuariensi Archiepiscopo, qui sub *Henrico II.* eandem sedem tenuit. Et eodem Seculo queritur *Daniel Morlæus* (111) (studiorum causa primo Lutetiam, deinde Toletum profectus, postea Oxonium reversus, ubi, refert, Legum Studium tum

(109) *Selden. dissert. ad Flet. cap. 8.* (110) *Girald. Cambren. in præfat. ad lib. 1. distinct. & lib. 1. distinct. cap. 1.* (111) *Dan. Morlæ. MS. Biblioth. C. L. C. Oxon. in præfat. ad libr. de natur, infer. & superior. vid. Leland. collectan. tom. 4. pag. 192.*

tum floruisse) *quod pro Titio & Scjo* Aristoteles & Plato *penitus oblivioni traderentur*; & quod *Ulpiani* traditiones aureis literis repræsentarentur. Eodemque Seculo *Rogerus Baconus* in Philosophiæ, Mathematicæ, Artiumque Scientia tum celeberrimus insectatur (112) Prælatos, quod Studium Theologiæ negligerent, *quod cavillationes Juris defædarent Philosophiam* (commemorans etiam Edictum Regis *Stephani*, qui Leges prohibuisset) & Regulares, *Franciscanos* scilicet & *Dominicanus*, licet alias imperitos, magnam Scientiæ famam comparasse; quod Clerici Seculares ex appetitu divitiarum & honorum a quadraginta annis studio Legum Romanarum se addixissent, nullum per illud tempus Tractatum in Theologia composuissent.

XXXII. Sub *Henrico III.* Rege nostro *Steph. Langtonus*, insignis Professor Philosophiæ & Theologiæ in Academia Parisiensi, posteaque Cantuariensis Archiepiscopus, Monachos nostros ejus Seculi exagitat (113), qui Decretistas se dici cupiebant, & relicto agro veri *Booz*, nempe Sacra Scriptura, ad alium agrum, id est, Scientiam secularem pro cupiditate terrena transirent. Et deinceps *Robertus Holcott*, Ordinis Prædicatorum Northamptoniensis, queritur de numero confluentium ad Legum Studium (114), *Leges & Canones istis temporibus*

(112) *Rog. Bacon. M.S. in biblioth. Bodlei. de utilit. scient. & in oper. minor. cap. 4. 5. 6.* (113) *Steph. Langton. in expos. ecclesiastic. fol. 201. M.S. in biblioth. Baliol. Oxon.* (114) *Rob. Holcot. in comment. ad lib. Sapient. in præfat.*

ribus innumerabiliter sunt fœcundæ, concipiunt divitias & pariunt dignitates. Ad illas defluunt quasi tota multitudo Scholarum his diebus. Sub Regibus vero nostris *Richardo I. Morlæus*, *Henrico III. Neckamus*, & *Langtonus*, *Edvvardo III. Holcotus*, floruerunt. Sub *Henrico* etiam *II.* Rege nostro *Ealredus Abbas* Rievallensis in Diœcesi Eboracensi, & *Hugo* de S.Victore de Claustri abusionibus scribentes, duodecim enumerant, inter quas *Monachus Causidicus* quinta collocatur.

XXXIII. Legum autem Romanarum Studium Oxonii apud nos tum floruisse satis constat ex iis Juris civilis Professoribus, quorum memoria adhuc superstes est. Eo enim Seculo statim post *Irnerium* plures Legum *Cæsarearum* Professores Oxonii claruerunt, qui etiam apud Italos celebrantur. Inter eos memoratur *Aldricus* (115) Professor Legum Oxonii, cujus dicta sæpe allegat *Fr.Accursius* in Glossis suis, idemque in Jure civili multos libros erudite scripsit. Post eum *Ricardus* Anglicus, & *Gui.de Doregeda* Legum Professores Oxonii memorantur a *Jo:Andrea* (116), quorum ille summam Ordinis Judiciorum, hic libellum de Ordine Judiciorum copiose scripsit. Idemque ab aliis *Gulielmus Dorochius*, ab aliis *Gul. de Drogheda* appellatur. Post eos numerantur (117) *Alanus Gulielmus*, *Jo:*

Se-

(115) *Jo: Pitse.in append.cent.1.* (116) *Jo:Andr.in addit. ad Specul. in proœm.* (117) *Jo:Bale. de Scriptor.Angl. cent.12. Jo:Pitse. tom.1. ad ann.1366. & in append.cent.4. Alberic.Gentil.in orat. de Laudib. Academ. Perusin.& Oxon.*

Severleus Diœceseos Sarisburiensis Professor Legum Oxonii, qui lecturas edidit in Jus civile, *Stephanus* Anglus, qui Juri Civili & Canonico Oxonii egregiam operam dedit, *Stathamus*, & celeberrimus *Mylius*, aliique plurimi. Tantoque studio in Academiis omnes Laici Clericique ad Leges *Cæsareas*, & Canones advolabant, ut *Matth.* Parisiensis recitet (118) Constitutionem *Innocentii IV.* eo Seculo editam, quæ prohibet deinceps in Gallia, Anglia, Scotia, Hispania, & Hungaria ullum Advocatum aut Legum Professorem ad Ecclesiasticas Dignitates assumendum aut admittendum; & quod de cętero Leges *Cæsareæ* in his Regnis non legantur, si Reges & Principes consensum præbuerint. Sed hi Principes conservarunt Leges *Cæsareas*, Legumque Romanarum Professores & Studiosos Reges nostri, præ reliquis *Edvvardus I.* & *III.* plurimo semper favore prosecuti sunt.

XXXIV. Sub *Edvvardo III.* cum Capitulum Wintoniense elegisset *VVillielmum de Ralegh* in Episcopum suum, Rege invito, Rex appellavit ab ea Electione ad Pontificem Romanum. Appellationemque suam Oxonium (119) misit ad Doctores legentes in Jure, aliosque ejusdem Juris peritos, consilium eorum quærens, qui eam approbarunt. Sub eodem *Edvvardo III.* cum Magistri & *Baccalaurei* Theologiæ & Artium Oxonii, numero suo freti, Statuta quædam edidissent, contra Doctores & Bac-

(118) *Matth. Paris. ad ann. 1254. & in additam. p. 883. edit. noviss.*
(119) *Rot. Paten. an. 28. H. 3. membr. 12. & 13. Matth. Paris. ad ann. 1242.*

calaureos Decretorum & Legum, de Responsionibus Baccalaureorum in Utraque Facultate, & contra contumaces Sententiam Banni tulissent, ex querela Doctorum & Baccalaureorum Legum Rex constituit Episcopos Londinensem, Eliensem & alios, Delegatos suos. Qui, auditis litigatoribus, Statuta, & Sententias Banni revocarunt; quæ omnia Rex Charta sua (120) confirmat, & in eadem singularem protectionem & gratiam Doctoribus, & Studiosis Juris Civilis & Canonici pollicetur, eademque omnia per Chartam Regis *Richardi II.* postea (121) confirmata sunt.

XXXV. Curam vero Juris civilis in Anglia docendi in *Edvvardo I.* Rege nostro retulerunt Jurisconsulti exteri, de qua a nostris nihil proditum est, qui Bononia (ubi Jus docuit) in Angliam invitavit *Franciscum Accursium* juniorem (celeberrimi *Francisci Accursii* filium, qui scripsit Glossas in Jus civile) ad Jus civile docendum Oxonii. Is vero transiens per Tholosam publice legit famosam illam *L. unic. C. de senten. quæ pro eo quod inter.* De quo meminit *Bartolus* (122) in Commentariis ad illam Legem; eundemque appellant Regis Angliæ Advocatum, Regique placuit ut Oxonii legeret. Et Mandatum extat inter Chartas Regias ad Vice-Comitem Oxoniensem (123), ut ei traderet Manerium Re-

(120) *Rot. Paten. 50. ed. 3. par. 1. membr. 10. & 14. in dors. & 33.*
(121) *Rot. Paten. 20 Ric. 2. par. 3. membr. 36. & 37.* (122) *Bart. ad l. unic. C. de senten. quæ pro eo quod inter. Concenat. in not. ad Bart. ibid. Choppin. lib. 3. de doman. Franc. tit. 27. num. 14.* (123) *Rot. Paten. 4. ed. 1. membr. 35.*

Regium Oxonii pro habitatione sua cum uxore & familia: eidemque porro concessit Manerium de *Martlegh*, quod in manu Regia tum erat, ratione minoris ætatis *Hugonis le Dispens.* filii *Johannis* defuncti, qui in capite tenebat; in qua Charta Rex *Franciscum Accursium* (124) *dilectum & fidelem Secretarium nostrum* appellat. Idemque *Franciscus Accursius* in alia Charta videtur denotari per nomen *Francisci* de Bononia, in qua *Franciscus* de Bononia Legum Doctor, & Illustris Regis Angliæ Consiliarius (125) appellatur. Utrum vero *Franciscus Accursius* Oxonii docuerit apud Nos, non constat; tantum referunt Itali (126), eum a Bononiensibus, metu confiscationis bonorum suorum, fuisse revocatum. Idem etiam *Edvvardus* cum ex morte *Alexandri* Scotorum Regis enata fuisset ardua illa Controversia inter Anglos & Scotos, de directo totius Britanniæ Dominio, & Conventum Ordinum Norhamæ super Tuveda indixisset, ex universo Regno suo evocavit Legum Romanarum & Canonum peritissimos: eos enim præcipue huic Controversiæ dijudicandæ idoneos esse censuit, de quo postea (127) erit dicendi locus.

XXXVI. Insigne est etiam illud Testimonium ex Charta *Henrici* Regis missa ad alteram Academiam Cantabrigiæ, in qua mandat Studiosis Juris Civilis & Canonici, ut intersint Lectionibus publicis

(124) *Clauf.8. ed.1. membr.10.* (125) *Clauf.8. ed.1. membr.16. dorf.* (126) *Alber. ad l. hi qui, C. de rescind. vendit. Panciról. de clar. leg. Interp. lib. 2. cap. 19.* (127) *Infra cap. 10. de Regno Scotiæ.*

blicis suarum Facultatum, & ut Ordinariis & Bedellis earundem Collectas solvant. Eamque Chartam fuisse *Henrici I.* datam anno M.C.II.asserit *Cajus* (128), vir doctissimus, pro defendenda Academiæ suæ antiquitate; quod Historiæ temporum convenire non potest: cum eo anno nec Libri *Justinianæi* fuissent per *Lotharium* restituti, nec *Gratianus* Decretum edidisset; & in eadem Charta Rex inscribitur Rex Angliæ & Franciæ, & Dominus Hiberniæ, quæ fuit Charta *Henrici V.*; eademque in illius Academiæ (129) Registro adhuc servatur. Neque enim aliquis Regum nostrorum se Dominum Hiberniæ ante *Henricum II.* nec Regem Franciæ ante *Edwardum III.* appellavit.

XXXVII. Ex his clarissime constat, Legum Romanarum Studium apud Nos a Seculo Regis *Stephani* floruisse, ejusdemque maximam curam Reges nostros semper habuisse. Regesque nostri ab *Henrico VIII.* annua Salaria Juris civilis Professoribus Regiis ex Ærario Regio concesserunt, cum Professores ejus Juris antea Collectas annuas ab Auditoribus suis habuissent. Et in Academia Oxoniensi Serenissimus *D. Jacobus* Professoribus Juris civilis, præter annuum Salarium, Præbendam, seu Canonicatum in Ecclesia Cathedrali Salisburgensi, in perpetuam eleemosynam contulit (quod concessionis genus apud nos ab oneribus maxime solutum est). Et in utraque porro Academia nostra amplissimi

(128) *Cajus lib. 2. histor. Cantabrig. pag. 125.* (129) *D. st. 3. H. 5. in registr. Merchant. Cantabrig.*

plissimi Collegiorum Fundatores plurimi multa Sodalitia constituerint, ex quorum proventibus Studiosi Juris civilis aluntur.

XXXVIII. Denique, cum post imminutos reditus & potestatem Episcoporum per *Henricum VIII.* Juris civilis Studium languescere inciperet, ejusdem conservandi cura in *Edvvardo VI.* Rege nostro, optimæ spei adolescente, & ad omnia Literarum studia summe propenso, apparuit. Nam cum anno secundo Regni sui, pro lustranda utraque Academia Oxoniensi & Cantabrigensi, Visitatores constituisset Comitem Warwicensem, Episcopos Lincolniensem & Roffensem, *D. Pagettum contra Rotulatorem* Hospitii Regii, *D. Petreum* Legum Doctorem Regi a Secretis, aliosque Viros primarios, iisdemque in Mandatis (130) dat, sibi indicatum fuisse Juris civilis Studium in utraque Academia per aliquot annos non solum deferbuisse, verum etiam propemodum extinctum fuisse; ideo illis omnibus curam & sollicitudinem imponere, ut omnibus quibus possent viis & modis illud studium excitent, & amplificent. Et hæc dicta sint de Jure civili in Scholis & Academiis Anglorum. De ejusdem vero Usu & Authoritate in Judiciis jam agendum restat.

PARS

(130) *Rotul. paten. 2. e d. 6. par. 3. in dorf. in dom. Convers.*

PARS TERTIA.

I. Angliæ Reges Jure suo, præ reliquis omnibus Europæ Regibus, se liberos esse & immunes ab omni Dominatione Imperatorum & Imperio Legum Romanarum, profitentur; cum solo armorum Jure Romani Britanniam acquisiverint, eandemque deinde Britannis cesserint, & pro derelicta (1) habuerint. Unde Jurisconsulti Italici, Hispanici, & reliquarum Gentium asserunt (2) communiter, Leges nostras non recognoscere Imperatorem nec de facto; in Regno suo solo Deo inferiores esse; habere in Anglia omnia Jura Suprema, & esse Monarchas; ac ab iis, ut a Supremis Principibus, non posse appellari; post *Constantinum Magnum* habuisse Jus gestandi Imperialem Coronam; & in libris Ceremoniarum Romanæ Ecclesiæ recenseri inter paucos Europæ Reges, qui Jure suo unguntur & coronantur. Ideoque *Jac. Cujacius* (3) sine ratione tradidit, Regem Angliæ fuisse aliquando Feudatarium

(1) *L.1.ff.pro derelict.l.peregre 44.ff de acq.possess.Bellug.in spec.Princip.§.veniamus, rubr.14.n.35.* (2) *Bart. ad l.hostes, n.6.ff.de capt. Bald.ad cap.cum venissent, num.2.de eo qui mitt. in poss.Afflict.ad const. Regn. in princ.qu.2. Castald.de Imper. qu.53. Corset. de potest. reg. par.3. qu.21. num.22. Engelb.Abb. de ort.& progress.Rom.Imper.cap.26. Pacian. lib.2. de probat. cap.35. Gabr.com. conclus. lib.5. conclus.3. Scacc. de judic.civil.& crimin. lib.1. cap.16. num.3. & de appell.qu.26. limit.5. Barbos.ad cap.per venerabilem, qui fil.sint legit.n.26.Burg de Paz.in proœm. relect.ad 11. Taur.n.31. Franc.de Balbo.de Monar.Reg.cap.2.n.75. Arnis. de Jur.Majest.lib.1. cap.2. num.6. Salas de legib.tract.14. disput.7. sect.8. Azor.Inst.Moral.par.2.lib.11.cap.5. Ben.Stracch.de mercat.par.4.n.27.* (3) *Cujac.lib.1. de feud.tit.1.*

rium Imperatori, Galliæ vero nunquam; cum eodem Seculo tam Britanni quam Franci Imperatorum Dominationem excusserint. Britannique etiam, Romanorum Arma adversus Scotos Pictosque implorantes, alium Titulum *Pro Derelicto* acquisiverint; ejusdem etiam Libertatis tuendæ studio Leges Romanas inter suas Leges non admiserint.

II. Ex hac ratione forsan inducti Interpretes nostri communiter tradunt (4), quod apud alias Gentes, si Principes vel privati mentionem faciunt de Jure, in Pactis, Contractibus, Legibus, Statutis, Compromissis, Testamentis, vel aliis Actibus quibuscunque, intelliguntur de Jure civili Romanorum, quod omnibus Gentibus commune est: sed si Rex Angliæ mentionem facit de Jure, de Jure suo & Anglicano solum est intelligendus. Atque ideo *Edvvardus II.* Edicto suo apud nos (5) constituit, ne Notarii Imperiales officia sua in Anglia exercerent ne Imperiali Dominationi subjectos se viderentur agnoscere.

III. Sed Jurisconsulti non tribuunt eandem immunitatem Regibus Angliæ a dominatione Romani Pontificis; cum asserant (6) eos esse Feudatarios Romanæ Sedis; eamque Servitutem contraxisse

(4) *Bald. ad cap. cum venisset, n.2. de eo qui mitt. in possess. Dec. in cap.1. in 1. lectu. de constit. & cons. 610. n.6. & in l.2. n.2. quand. non per. part. Felin. ad cap. causam, num. 17. de rescript. Andr. ab exe. ad rubr. de constit. n. 124. Jac. Menoch. cons. 148. n. 46. lib. 2. Perez. ad Ordinat. Regn. Castell. in proœm. qu. 3. Card. Tusch. conclus. 582. v. Jus civile, num. 38.*

(5) *Seld. dissert. ad Flet. cap. 9. per claus. 13. ed. 3. memb. 6. in dors.*

(6) *Choppin. lib. 2. de doman. Franc. tit. 1. num. 11. Bodin. lib. 1. de Repub. cap. 9.*

se *Johannem* Regem nostrum cum *Innocentio III*, eumque se Pontificis Vasallum constituisse. Atque ideo, cum *Alexander III.* Pontifex Roman. agnoscit (7) Causam possessionis Prædiorum in Anglia spectare ad Regem *Henricum II.* animadvertit *Hostiensis* (8), quod si sub Rege *Johanne* hoc accidisset, non derogasset Pontifex Juri Regio, si cognitionem causæ Possessionis sibi arrogasset; quia Regnum suum feudatarium Pontifici reddidisset; eandemque ob causam Anglos crimina perpetrantes, in Anglia captos, Roma non remittendos (9), sed a Marescallo Romano puniendos esse. Sed hæc inania sunt: nam non habent aliam probationem Pontifices, quam ex Censu promisso per Reges nostros *Inam* Anglo-Saxonem & *Johannem*; ex quo contendunt Reges nostros iis esse vectigales (10), quodque lata sit differentia inter Regna Vectigalia & Feudataria: cum etiam fateatur (11) *Cujacius* Regem Galliæ *Carolum* Pontifici censum dedisse: omnes tamen Jurisconsulti prædicant, Galliæ Reges, præ reliquis Regibus omnibus, maxime liberos esse. Neque etiam in alterutro Casu potuerunt Reges nostri Successores suos, sine consensu Ordinum Regni obligare, nec Successorum Jura in Regno suo diminuere, ut supra dictum est.

IV. Angli autem Leges suas semper exacte conservarunt,

(7) *C. causam 7. qui fil. sint legit. Cujac. ad cap. causæ 4. & cap. causam 7. eod. tit.* (8) *Hostiens. ad d. causam quæ, & Cujac. ibid.* (9) *Card. Tusch. conclus. 339. v. Rex Angliæ.* (10) *Card. Tusch. v. Papa conclus. 41. n. 32.* (11) *Cujac. ad cap. de illis 6. de despons. impub. Alber. ad litem illa, n. 3. de constit. ecun.*

ſervarunt, & quotieſcunque ab iis in Comitiis publicis rogata eſt aliqua mutatio Legum ſuarum ex æquitate Juris Romani, alioquin ſatis juſta, ſemper repugnarunt; cujus rei in Tabulis Parlamentariis multa exempla reperiuntur. In Curiis Parlamentariis ſub *Henrico III.* cum Epiſcopi rogarent(12) Proceres, ut ſtatuerent, filios natos ex Concubina ante matrimonium habere Jus Legitimum Succeſſionis in hereditatibus paternis, ſicuti filios natos ex ſubſequentibus nuptiis, ſicuti *Juſtinianus* Imperator ex gravibus cauſis conſtituiſſet, quæ in ea Conſtitutione (13) exprimuntur, & Eccleſia eoſdem legitimos eſſe (14) judicaſſet. Reſponderunt Comites & Barones una voce: nolumus Leges Angliæ mutari, quæ hucuſque uſu ſunt approbatæ. In Parlamento ſub *Richardo II.* cum *Thomas* Dux Gloceſtriæ aliique Proceres accuſarent *Alexandrum Nevillum* Eboracenſem Archiepiſcopum, *Robertum de Vere* Ducem Hiberniæ, alioſque, de Crimine Majeſtatis, & Profeſſores Juris Anglici ſimul cum Doctoribus Juris civilis de Jure reſpondere juſſi retuliſſent, Accuſationis formulam non fuiſſe rite conſcriptam, ſecundum Jus Anglicum nec Romanum: Comites & Barones pronunciant, Accuſationem fuiſſe rite factam, ſecundum Leges Parlamentarias, & proteſtantur, ſe nunquam paſſuros ut Regnum Angliæ per

(12) *Parlam. 20. H. 3. Statut. de Merton. cap. 9. Coke. lib. 8. relat. in præfat.* (13) *L. cum quis 10. C. de natur. lib.* (14) *C. 1. & cap. tanta 6. qui fil. ſint legit.*

per Jus Civile Romanorum (15) gubernetur. Hæc vero licet iis temporibus ex subito calore studioque Partium forsan prolata, tamen apud nos deinceps constanter servata fuere; & in judiciis, quæ secundum Jus Anglicanum exercentur, Juri Civili Romanorum Authoritatem tribui nunquam passi sunt.

V. In Judiciis Anglicanis distinguenda sunt ea, quæ exercentur ex mero Jure Angliæ, ut sunt Curiæ Banci Regii, Communium Placitorum, aliæque iisdem subordinatæ, ab iis, in quibus non ex mero Jure Anglico, sed ex æquo & bono Jus dicitur, qualia sunt Cancellaria, & Curia Libellorum Supplicum. De quibus separatim dicendum est.

VI. Judicia, quæ secundum merum Jus Anglicum exercentur, nihil commune habent cum Jure Civili Romanorum: in iis enim Probatio tantum facienda est per testes præsentes, in Judicio palam testimonium proferentes; & potestas judicandi de Probationibus & tota facti Controversia est pœnes duodecim Viros, qui aliquando sunt Juris & literarum imperiti, Controversia sola Juris, quæ ex facto oritur, Judicibus relicta. Constat autem Jus Angliæ (16) ex Consuetudinibus Angliæ (qua ratione dicitur Consuetudinarium & non scriptum (17)) & Statutis per Regem in Comitiis Parlamentariis cum

(15) *Rotul. Parlam. 11. R. 2. in Turr. Lond. Davis. in relat. Hibern. in præfat.* (16) *Coke. Instit. par. 1. lib. 1. cap. 1. sect. 3. & lib. 8. relat. in præfat. Doct. & studen. lib. 1. cap. 4. Covvell. Instit. lib. 1. tit. 2.* (17) *Brach. de legib. & consuet. Angl. lib. 1. in princ. D. Ellesm. in Case. de postnati, Dav. in relat. Hibern. in præfat.*

cum consensu Ordinum Regni conditis. In quibus omnibus si qui casus omissi sint, vel si quid obscuri vel ambigui emerserit, quod Interpretationem desiderat, non recurrunt Judices ad Jus Civile Romanorum, ut apud alias Gentes Europæas, sed suo arbitrio & conscientiæ relinquuntur; nisi tanta sit Causæ difficultas, quam Judices non possint dirimere; tunc enim defertur ad Curiam Parlamenti per eam (18) terminanda.

VII. Ad hoc Jus Anglicanum accesserunt scripta antiquorum aliquot Jurisconsultorum insignium, *Glanvillæ*, *Bracloni*, *Brittoni*, *Thontoni*, & *Fletæ*, qui Consuetudines & Leges Anglicanas Tractatibus suis, ut *Papinianus*, *Ulpianus*, *Paulus*, & reliqui Jurisconsulti Romani, Edicta Prætorum & Constitutiones Principum suis libris explicarunt. Et post hos accesserunt Relationes annales rerum Judicatarum in Curiis Regiis sub singulis Regibus ab *Edvvardi III.* Seculo, in quibus recitantur singulorum Judicum rationes & sententiæ, quas pro Tribunali magno sæpe cum ingenio & acumine protulerunt. Ad quas novissime rerum suis Seculis Judicatarum relationes addiderunt *Dyerus*, *Plovvdenus*, & *Cokus*, Viri apud nos celeberrimi, & in Jure Anglico peritissimi; iidemque omnes libri relationum pro Commentariis ad Jus Angliæ, & Expo-

T sitionibus

(18) *Bract. lib. 1. cap. 2. §. 7. Covvel. Instit. de Jur. nat. gent. & civil.* §. 6.

ſitionibus Reſcriptorum Originalium (19) hodie habentur.

VIII. Inter Scriptores Juris Anglicani primus memoratur *Ranulphus Glanvilla* ſub *Henrico II.* Capitalis Juſtitiarius; poſt eum *Henricus Bractonus* ſub *Henrico III.* Capitalis etiam Juſtitiarius; deinde *Johannes Britton* Juſtitiarius Angliæ; & ſub *Edvvardo I. Gilbertus Thorntonius* Capitalis etiam Juſtitiarius Angliæ *Bractonum* in Compendium redegit; & ſub eodem Rege Author incertus *Fleta* dictus, quem nuper clariſſimus *Seldenus* (20) edidit & illuſtravit, *Thorntonii* vero nomen ſepultum reſuſcitavit. Neque tamen Scriptores iſtos celeberrimos, aut libros noſtros rerum Judicatarum Juris Authoritatem apud nos habere conſtat: nam Tractatus Juriſconſultorum noſtrorum ſcripti ſunt ab iis, qui Legis condendæ poteſtatem non habuerunt, & rerum per priorum ſeculorum Judices Judicatarum exemplis non ſemper tenentur præſentis ſeculi Judices, niſi Cauſis coram ſe agitatis exiſtimaverint convenire. Neque enim par in parem Imperium (21) habet, nec Anteceſſor habet plus poteſtatis, quam Succeſſori relinquit; neque poteſt quis legem Succeſſori ponere, cum utriuſque æqualis ſit (22) poteſtas, & Legibus non exemplis ſit judicandum, ut Imperator

(19) *Coke. 3. Relat. in præfat.* (20) *Selden. diſſert. ad Flet. cap. 1. 2. & 10.* (21) *L. ille 13. §. 4. ff. ad S.C. Trebell.* (22) *L. nam Magiſtratus 4. ff. de recept. arbitr. l. judicium 52. ff. de judic. Dec. ad cap. 1. de conſtit. num. 15. Bald. ad cap. 1. num. 7. qui ſucceſſ. dar. tenean. gl. ad cap. ult. in fin. de reſcript. in 6.*

rator noster *Justinianus* rescripsit.

IX. Hi vero Jurisconsulti Anglicani fuerunt Juris civilis peritissimi, & ab eodem lucis & ornamenti plurimum ad Jus Anglicanum illustrandum acceperunt. Erat enim *Bractonus* (23) Juris *Cæsarei* Professor *Oxonii*, & *Brittonus* (24) Juris utriusque Doctor, librosque incipiunt *Glanvilla* (25) & *Bractonus* verbis & methodo *Justiniani* in Institutionibus. Iidemque omnes per Tractatus suos ad decidendas controversias gravissimas, non solum in privatis Causis, sed & de publica Regni administratione, Juris civilis testimonia & authoritatem sæpe adhibent. Et à Rege *Stephano*, per ducentos circiter annos, usque ad *Edvvardum III.* tantum erat Legum Romanarum apud nos studium, non in Academiis solum, sed & in Foro, ut in relationibus & in postulationibus Advocatorum frequentissimæ adhuc reperiantur Juris civilis allegationes, quod *Seldenus* multis testimoniis ad *Fletam* (26) comprobavit. Tantusque Juris civilis Professoribus honor iis seculis delatus est, ut sub *Henrico II.* plures numerentur istius Juris periti. Iidemque Clerici, *Simon de Pateshull Decanus* Ecclesiæ D. Pauli Londinensis, *Johannes Mansell*, aliique plures, qui ad Justitiariorum Munera in Curiis Regiis (27) admissi sunt.

X. Judicia apud Anglos in Curiis, quæ non ex

(23) *Bale. Scriptor. Britan. cent. 3. Coke. lib. 8. Relat. in præfat.*
(24) *Bale. cent. 4. v. Joann. Beckton. Covvell. interp. v. Britton.*
(25) *Glanvil. de legib. Angl. in princ. Bale. d. cent. 3. Coke. lib. 1. Relat. in præfat.* (26) *Selden. dissert. ad Flet. cap. 3. & 8.* (27) *Coke. d. lib. 8. in præfat. Spelm. in glossar. v. Justitiarii.*

mero Jure Anglicano, sed ex æquo & bono exercentur; cum Jure civili Romanorum plurimum conveniunt, quarum suprema Cancellaria prima est. In Cancellaria Actiones per Petitionem seu Billam proponuntur, Testes secreto examinantur, Acta & Decreta sermone Anglico aut Latino, non Normannico, scribuntur; nihil ibi geritur per Duodecim viros, sed sententiæ omnes per Cancellarium proferuntur. Cancellarii autem fere omnes, a Conquestoris Seculo præcipue, post *Thomam Becketum* Cancellarium ab *Henrico II.* constitutum, fuerunt Episcopi aut Clerici plerumque Legum Romanarum periti (28) usque ad *Henricum VIII.* quo *D. Richius* (29) primus Juris Municipalis Apprenticius Cancellarii Munus obtinuit; post quem etiam aliquos Episcopos Juris Romani peritos, sed plerosque Juris Municipalis consultos, Reges nostri ad hoc Munus admoverunt.

XI. In hac etiam Curia Assessores seu Magistri plerumque fuerunt Juris civilis Doctores; & Clericos hujus Curiæ antiquitus habuisse eximiam Juris civilis scientiam, clarissimum est ex unico libro Registri Brevium Originalium: qui Liber vere dicitur fundamentum (30) Legum Angliæ & Registrum (31) Cancellariæ, par illi libro Actionum, quem *Cnejus Flavius* Populo Romano (32) exhibuit, qui, in muneris compensationem, eum ex Liberto Tribunum Ple-

(28) *Spelman. in glossar. v. Cancellar.* (29) *Brook. 36. H. 8. Dyer. Covell. Cases, §. 293.* (30) *Coke. d. lib. 8. Relat. in præfat.* (31) *Edw. 1. cap. 24. Covell. Interpret. v. Registrum.* (32) *L. 2. §. postea, ff. de orig. Jur.*

Plebis & Senatorem creavit. Brevia autem & Rescripta in Registro magna cum brevitate, acumine, & judicio fuisse conscripta a Viris peritis Legum Romanarum, legentibus satis constat. Idque mihi sæpius observavit & retulit *Gulielmus Noyæus*, nuper apud Nos Procurator Regius & celeberrimus suo Seculo Juris Anglicani Professor. Eademque Brevia habemus in Registro diserte & acute composita a Clericis hujus Curiæ, quibus hoc Munus a Statuto (33) demandatum est. Iidemque cum essent Juris civilis periti & in Sacris constituti, atque ita ex Jure Canonico uxores ducere non possent, iis ex posteriore Lege lata indultum est (34), ut post uxores ductas possint Munera sua exercere, & studiorum suorum præmiis frui. In Curia etiam libellorum supplicum Custodes privati sigilli fere omnes fuerunt antiquitus Episcopi, Prælative, in Legibus Romanis vel utroque Jure versati, Magistri libellorum supplicum plerumque Juris civilis Professores, quibus ex Jurisdictione ejus Curiæ potestas judicandi ex æquo & bono demandata est. Ad omnes enim Curias, in quibus non merum & Consuetudinarium Jus, sed æquitas spectanda est, nullius Gentis Leges tam accommodatæ sunt, quam Jus civile Romanorum, quod amplissimas continet Regulas de Contractibus, Testamentis, Delictis, Judiciis, & omnibus humanis actionibus, ut supra dictum (35) est.

(33) 13. *Edvv. 1. Stat. Westminst. 2. c. 24. Bract. de legib. Angl. lib. 1. cap. 17. Coke. par. 1. Instit. sect. 101. lib. 2.* (34) *Statut. 14. H. 8. cap. 8.* (35) *Lib. 1. cap. 2.*

XII. Denique, ut me contraham, summa semper fuit benignitas Regum nostrorum in Episcopos, Clericos, & Juris Romani Professores, quos ad summa Reip. munera & ad omnia publica Negotia gerenda, præ reliquis omnibus, plerumque adhibuerunt; quod ex historiæ Gentis nostræ Scriptoribus constat. Et in Regno *Edvvardi III.* clarissimum est, a quo Munera Cancellarii, Thesaurarii, Custodis Privati Sigilli, Rotulorum, Guardarobæ, Cancellarii,& Camerarii Scaccarii, aliaque fere omnia publica Munera iis (36) commissa sunt. Sed redeundum est ad Institutum meum,& recensendæ sunt eæ Curiæ, in quibus ex Consuetudine Angliæ Judicia exercentur ex solo Jure civili, quæ sunt sub tribus Capitibus I. Curia Militaris sub Conestabili & Marescallo Angliæ. II. Curia Admiralli. III. Curiæ omnes Ecclesiasticæ sub Archiepiscopis, Episcopis, & Archidiaconis, quæ omnes Professoribus Juris civilis hactenus permissæ fuerunt.

XIII. In Curia Militari Judices sunt Conestabilis, & Marescallus Angliæ, qui pari potestate in Causis pronunciant, executione Mandatorum ejus Curiæ soli Marescallo (37) demandata. Hæc Officia non constat apud Nos fuisse inducta sub Regibus Anglo-Saxonicis, sed citra Normannorum tempora ad exemplum Gallorum, qui Romanos imitati antiquitus habuerunt Conestabiles,& Marescallos a *Caroli Magni* ætate, Magistris Equitum, & Tribunis

(36) *Stovv. in Edvv.* 3. p. 420.
(37) *Coke. p.* 4. *Instit. c.* 17.

nis Celerum apud Romanos valde similes, ut Scriptores Gallici (38) testantur.

XIV. Summa autem horum Munerum semper apud Nos fuit dignitas. Nam Conestabiles Angliæ plerumque constituti sunt (39) Filii, Fratres, aut Avunculi Regum nostrorum, aliive ex primis Proceribus. Idemque Munus, ad Staffordos Duces Buckinghamiæ, Jure hereditario delatum, in *Edvvardo* Duce Buckinghamiæ sub *Henrico VIII.* defecit; tantaque fuit Constabulariorum potestas, ut Regibus nostris suspecta esse cœperit. Et *Finexius* Justitiarius interrogatus (40) ab *Henrico VIII.* quanta esset Constabularii potestas, responsum declinavit, asserens hanc quæstionem ad Leges Armorum, non ad Jus Anglicanum pertinere. Et deinceps hoc Officium raro & pro tempore tantum a Regibus nostris concessum est. Multique pariter Marescalli Angliæ Viri primarii antiquitus (41) enumerantur: sed *Thomas Movvbrajus* Dux Norfolciæ sub nomine Comitis Marescalli Angliæ Primus (42) hoc munus a *Ricardo II.* consecutus est. Idemque Officium nuper gessit nobilissimus *Thomas Hovvardus* Arundeliæ & Surriæ Comes, ex antiqua *Movvbrajorum* familia Comitum Angliæ primus, vir natalibus & virtutibus clarissimus, moribusque priscis (43) antiquos Angliæ Proceres repræsentans, ab omnibus

(38) *Lupan. de Magistrat. Franc. cap. Marescallus. Tilius lib. 2. cap. de Conestab. & Maresceall. Tiraquell de nobilit. cap. 8. num. 17.*
(39) *Coke. p. 4. Instit. cap. 17.* (40) *Kelvv. Report. Ter. Mich. 6. H. 8. fol. 171.* (41) *Coke. d. c. 17.* (42) *Coke. 1. p. Instit. lib. 2. cap. 8. sect. 153.*
(43) *Henr. Wooton. in plaus. & rot. ad Reg. Carol. reduc.*

Juris Romani Professoribus, pro sua in eam scientiam benignitate, semper commemorandus, eidemque nuperrime Patavii mortuo, *Henricus Hovvardus Movvbrajus*, Baronum Angliæ primus, non familiæ tantum & honorum, sed & virtutum Paternarum verus heres in eo munere successit.

XV. Cognoscunt Conestabilis & Marescallus in Curia Militari de criminibus perpetratis extra Regnum Angliæ, de Contractibus factis apud Exteros, & de Rebus, quæ ad bellum & arma spectant, sive in Regno Angliæ, sive apud exteros.

XVI. Si Anglus Anglum accuset de Crimine læsæ Majestatis commisso extra Angliam, agit (44) coram Conestabili & Marescallo; & probatio fit per Testes, vel ex antiquo hujus Curiæ more, per Duellum. Si subditus Regis nostri occidat alium Regis Subditum in Scotia vel alibi apud exteros, de hoc non potest agi in Curiis Juris Anglicani, sed coram (45) Conestabili & Marescallo, nec de iis etiam in Parlamento (46) agi potest. Ideo cum *Franciscus Dracus* in re Navali apud Nos celeberrimus, capite multasset *Dourishium* in America anno XXV. *D. Elisabethæ*, ejusque cædis vindictam *Dourishii* frater & heres a Regina peteret, Judices Regii de hac re consulti responderunt, de hoc crimine posse agi solum coram Conestabili (47) & Marescallo, &, Re-

(44) *Coke. 1. p. Instit. lib. 2. cap. 3. sect. 102. 37. H. 6. fol. 3.*
(45) *Rot. Parlam. 3. H. 6. membr. 38. Stamf. pl. Coron. fol. 65. Coke. d. sect. 102. & p. 4. Instit. c. 17. & p. 2. Instit. ad Magn. Char. c. 29.*
(46) *Statut. 1. H. 4. c. 34.* (47) *Coke. d. lib. 2. cap. 3. sect. 102.*

Regina ex gravibus caufis Coneftabilem conftituere recufante, accufatio evanuit. Et cum nuper *VVillielmus Holmefius* Anglus gladio occidiffet *VVilliel-mum VVifeum* Anglum in Infula Terræ Novæ in America Ann. Chrifti M.DC.XXXII. (Regis *Caroli* Anno VIII.) Annoque fequenti vidua *VVillelmi Vifei* a Sereniffimo Rege *Carolo* ad accufationem de Mariti cæde admitti peteret, nobiliffimus Comes Lyncius pro ea caufa fola Coneftabilis Angliæ conftitutus, & Comes Arundeliæ, Comes Marefcallus Angliæ, condemnarunt fententia, in Curia Militari publice lata, *Holmefium*, menfe Aprilis anno M.DC. XXXIII. ad pœnam capitalem; quam fubiiffet, fi Rex eidem criminis abolitionem ex gratia non indulfiffet. Si Anglus in Gallia lethale vulnus inferat Anglo, ex quo, in Angliam rediens, moriatur; contra eum non ex Jure Anglicano (48), fed tantum in Curia Militari agi poteft. Et licet aliqua Statuta recentiora cognitionem criminum læfæ Majeftatis in aliquibus Caufis tribuant Judicibus Banci Regii aut Commiffariis Regiis, per ea tamen Jurifdictio Coneftabilis & Marefcalli tolli non (49) intelligitur.

XVII. Cognitio Contractuum in Regionibus exteris initorum ad hanc etiam Curiam fpectat. Ita *Pountneyus* fub *Henrico IV.* egit contra *Bornejum* Militem pro M.XX. libris Anglicis ei mutuo datis *Burdegalæ* in Vafconia, coram Coneftabili & Marefcallo

(48) *Coke. d. fect. 102. & p. 1. Inftit. lib. 3. c. 13. fect. 745.*
(49) *Statut. 35. H. 8. c. 2. 5. Edvv. 6. c. 11. Coke. p. 4. Inftit. cap. 17.*

ſcallo ex ea ſtipulatione debitis, quod libri Juris Anglicani (50) teſtantur. In Scriniis vero publicis Regis noſtri, in Turri Londinenſi, frequentiſſima ſunt exempla rerum in hac Curia judicatarum, de omnibus generibus contractuum civilium in Regionibus exteris celebratorum, præſertim ſub *Edvvardo III. Richardo II. Henrico IV. V. VI.* dum Reges noſtri Normannia, Aquitania, Vaſconia, Andegavia, aliiſque ampliſſimis Provinciis in Gallia potiebantur, quæ in hoc tantum foro dijudicabantur, eademque a Juriſconſultis noſtris (51) enumerantur. Et generaliter apud Nos receptum videtur, cognitionem (52) Contractuum in Regnis exteris initorum ad hoc Forum; Contractuum vero, infra Dominia Angliæ celebratorum, ad Juris Anglicani Tribunalia pertinere.

XVIII. Sed horum Contractuum cognitio ad Forum Juris Anglicani poſtea deducta fuit ex fictione, declarando hos Contractus in aliqua parte Angliæ initos fuiſſe: nam apud nos receptum eſſe videtur, ſi Anglus alterius Angli bona in Regionibus exteris abſtulerit, vel Anglus cum Anglo contractum aliquem inierit, poſſe de his agi in foro Juris Anglicani (53), ſupponendo, res fuiſſe ablatas aut contractus initos in aliquo loco hujus Regni. Eodem plane modo quo Teſtamenta Civium Romanorum

(50) *Ter. Mich. 13. H. 4. Dalt. 10. fol. 5.* (51) *Coke. p. 1. Inſtit. lib. 3. cap. 13. ſect. 745. & p. 4. Inſtit. c. 17. Selden. ad Forteſc. cap. 32.*
(52) *Ter. Mich. 13. H. 4. Dalt. 10. Forteſc. de leg. Angl. cap. 32.*
(53) *Regiſt. 129. Coke. 4. p. Inſtit. fol. 40. 48. Ed. 3. fol. 3. Brook. tit. faits, 95. & novell. Caſes, 366. Coke. p. 1. Inſtit. fol. 261.*

manorum ab hostibus captorum per fictionem postliminii & fictionem Legis *Corneliæ* (54) sustinentur. Cum enim Civis Romanus factus hostium servus libertatem & omnia Jura civilis Romani amittat, atque ita Testamentum prius factum irritum fiat, si postea ab hostibus revertatur, Testamentum valet per fictionem postliminii, per quam fingitur nunquam fuisse ab hostibus captus, sed in Civitate semper mansisse. Si vero apud hostes mortuus est, per fictionem Legis *Corneliæ* fingitur mortuus antequam caperetur, & Civis Romanus decessisse: cum hoc tamen discrimine, quod Leges Romanæ has fictiones ad sustinendam Civium Testamenta induxerint, & non ex solo Jurisconsultorum usu ortæ fuerint.

XIX. De Controversiis omnibus, quæ de bello & armis agitantur, Jure ordinario soli cognoscunt (50) Conestabilis & Marescallus. Si exterus in Angliam veniens bellum moveat contra Regem nostrum, non ex Jure Anglicano (56), sed tantum in Curia Militari accusari & puniri potest; & ob eam causam appellantur Custodes Communis Pacis Regni, cujus cura in rebus Belli & Armorum iis demandata est.

XX. Cum etiam Nobilium apud nos duo tantum sint Gradus (57), Majorum scilicet, ut sunt Duces, Marchiones, Comites, Vice-Comites, & Barones,

(54) *L. hostes. ff. de capt. §. si ab hostibus, Instit. quib. mod. Jus patr. potest. l. apud hostes, de suis, & legit. Dd. in d. §. si ab hostibus. Franciscæ Amay. obser. Jur. lib. 2. cap. 1. & 2.* (55) *Statut. 13. R. 2. c. 2.*
(56) *Finch. in nomotechn. lib. 4. cap. 43* (57) *Smith. lib. 1. de Repub. Anglor. cap. 17. & 18.*

rones; Minorum, ut sunt Milites, & quos Generosos dicimus; hi omnes secernuntur a Plebeis per Arma & Insignia, de quibus controversiarum omnium cognitio ad Curiam militarem pertinet. Et gravissimæ sæpius in hac Curia intentatæ sunt lites de Armorum Jure, cum duæ Familiæ eadem Arma & Insignia vendicarent, & altera alterutram ab eorum Jure excluderet, quales fuerunt illæ causæ Armorum agitatæ inter *D.Reginaldum Grejum* (58) de *Ruthin*, & *D.Edvvardum Hastingum*, inter *D.Richardum Scropum* (59) & *D. Grosvenerum*, inter *Thomam Bavvdium* (60), & *Nicholaum Singletonum*, aliæque plurimæ, quæ post acerrimam contentionem, aliquando sententia Judicum, aliquando duello finitæ sunt. Nam quotiescunque eadem Arma & Insignia assumunt duo pluresve, & cum quis contendit alium non habere Jus Arma gestandi, nec esse Nobilem aut Generosum, alterve se injuria affectum dicat, quod arguatur non esse Nobilis aut Generosus, nec habere Jus Armorum: hæc omnia in hujus Curiæ cognitione versantur.

XXI. Hujusque Curiæ dignitatem auget, quod Fæciales hujus Curiæ sunt Ministri (61), nempe, *Garterius* Rex Armorum Anglicorum, qui solemnitatibus Augusti Ordinis Periscelidis inservit, *Clarentius* Rex Armorum partium Angliæ Australium, *Norroyus* Rex Armorum partium Borealium,

(58) *2. H. 5. p. 3. m. 15.* 14. R. 2. *p. 1. m. 47.* (59) 14. R. 2. *p. 1. m. 2*
(60) 17. R. 2. *p. 1. m. 12.* (61) *Spelmanus in gloss. v. Heraldus*. Coke *p. 4. Instit. c. 17.*

lium, & sub iis sex alii inferiores, quos *Heraldos* dicimus. Quorum omnium præcipua munera sunt, esse Nuncios Belli Pacisve, servare Gradus Genealogias & Arma Familiarum; disponere solemnia Coronationum Regum nostrorum & Duellorum coram Conestabili & Marescallo; ducere Funera Nobilium & Generosorum, ubi Funerum solennia adhibentur, præter alia, quæ eorum officio incumbunt. Iidemque omnes in unum Collegium ascripti, multisque privilegiis a Regibus nostris donati, sub Potestate & Jurisdictione Conestabilis & Comitis Marescalli munera sua exercent.

XXII. Juris vero civilis Romanorum Usum & Authoritatem in hac Curia, omnes Juris municipalis Consulti apud Nos (62) agnoscunt; unde appellant Jus civile in hac Curia Legem Regni, Legem Regis, Legem Terræ (63), & confitentur, Causas ex hoc Jure & Consuetudinibus Armorum, & non ex Jure Municipali Anglorum esse dijudicandas; & ex ea ratione condemnati in hoc Foro, ex delicto ad pœnam Capitalem, prædia & Jus sanguinis non (64) amittunt. Inde etiam Conestabili & Marescallo rerum publicarum cura impeditis, aliquoties Legum Doctor, aliusque Legum Cæsarearum peritus pro vita sua ad procedendum in omnibus ejus Curiæ causis

(62) *Forte. de legib. Angl. cap.32. Finch. in nomotechn. lib.4. cap.1. Coke. p.1. Inst. c.1. sect.3. & p.4. Institit. c.74.* (63) *Ter. Mich.37. H.6. f.3. Ter, Pas.37. H.6. Trespas 8. f.21. Keivv, Ter. Mich.6. H.8. f.171. Coke. p.1. Instit. lib.1. c.1. sect.3. & p.4. Instit. c.74.* (64) *Coke. p.4. Instit. c.17.*

sis constitutus (65) est. Et sub *Edvvardo IV.* ejusdem Jurisperitus Promotor Causarum Regiarum(66) in ea Curia datus est: quod etiam munus Serenissimus Rex *Carolus*, anno septimo. . . . Regni sui, mihi per literas suas Patentes sub magno Sigillo Angliæ concessit. Ibi enim omnes causæ aguntur ad formam a Jure civili præscriptam, per libellum seu petitionem Causæ proponuntur, Testes secreto examinantur, Exceptiones, Replicationes, aliique Causarum termini secundum Jus civile proponuntur & observantur; Sententiæ ex Scriptis pronunciantur, Appellationesque in scriptis interponuntur; & pro Dignitate ejus Curiæ, quotiescunque proponitur exceptio declinatoria contra Curiæ Jurisdictionem, ad Dominos consilii Regii Secretioris defertur; appellationesque a Sententiis definitivis ad Reges ipsos, non ad Cancellarios sæpissime interpositæ sunt, qui plerumque summos Angliæ Proceres, & aliquos Juris civilis Doctores Delegatos nominarunt. Hæc omnia constant ex Actis publicis Causarum ejus Curiæ, quæ in Scriniis Regiis in Turri Londinensi servantur, in quibus etiam doctissimæ Juris Romani Allegationes sæpe reperiuntur.

XXIII. Secundo, in Curia Admiralli Jus dicit magnus Angliæ Admirallus, vel ejus Locumtenens, aliive ab eo delegati. Galli vero asserunt(67) hoc Munus

nus

(65) *Coke. d. c. 17. ex par. 2. paten. 23. H. 6 membr. 20. 23. Edvv. 3 membr. 2.* (66) *Paten. 8. Edvv. 4. membr. 1. Coke. d. c. 17.*
(67) *Fo cat. de Gal. Imper. & Philosoph. lib. 2.*

nus Prefecti Maris & Admiralli apud eos cœpisse, & ab iis ad alios Populos manasse. Neque constat apud nos fuisse Admirallos sub Imperio Conquestoris aliorumque Regum subsequentium, sed circa *Edvvardi I.* tempora fuisse primo constitutos. Ab eo vero tempore Reges nostri Admirallos (68) nominarunt plerumque maximos Angliæ Proceres, cum in Regno, Oceano fere concluso, necessarium sit magnam esse ejus Potestatem, cui Maris & littorum custodia demandata est. Siquidem de criminibus omnibus super Mari commissis, & de causis omnibus Civilibus super Mare & ad Res Marinas spectantibus (69) cognoscit, cum Mare sit extra Imperium Juris Anglicani & sub potestate Admiralli, ut Juris Municipalis nostri Professores (70) agnoscunt.

XXIV. Jus autem dicit Admirallus ex Jure Civile (71) Romanorum, & ejus Curiæ Consuetudinibus: Jus enim Civile tantum valere in hac Curia, secluso Jure Municipali, Jurisconsulti nostrates (72) consentiunt. Ideo ex Sententia Capitali in hac Curia lata, ex homicidio, latrocinio, piratia, aliisque criminibus (Majestatis excepto) reus prædia & Jus sanguinis (73) non amittit, sicut in Jure Anglicano, quia ex Jure Civili condemnatus est. Et quia crimi-

num

(68) *Coke. p.1. Instit. lib.3. c.13. sect.439. Selden. ad Fortesc. c.32. Covvell. interp. v. Admirall. Statut.13. R.2. c.1. 28. H.8. c.15. 2. H.4. c.15.*

(69) *Fortesc. de legib. Angl. cap.32. Finch. nomotechn. lib.1. c.2.*

(70) *Coke. p.1. Instit. lib.3. cap.7. sect.439. & lib.5. c.13. sect.745.*

(71) *Statut.8. Elis. c.5.*

(72) *Fortesc. de leg. Angl. c.32. Finch. nomotechn. lib.4. c.2. Coke. p.3. Instit. c.22. & p.1. Instit. lib.1. c.1. sect.3. & p.2. Instit. ad magn. Char. c.29.*

(73) *Coke. p.1. Instit. lib.3. c.13. sect.745.*

num cognitio in ea Curia ex Jure civili perniciosa tandem visa fuit; quia eo Jure Rei non aliter condemnantur, quam ex propria confessione, vel Testibus de visu deponentibus, qui de rebus super Mari gestis difficulter plerumque haberi possunt, atque ita gravissimorum criminum Rei sæpius impune evaserunt. Ideo sub *Henrico III.* Lege lata (74) abrogatum est in eo Articulo Jus civile, & sancitum, ut deinceps quæstiones Facti in Causis criminalibus per duodecim Viros, secundum Juris Anglicani formam dijudicarentur.

XXV. Juri etiam civili in foro Admiralli accedunt leges Oleroniæ a *Richardo I.* Rege nostro latæ in Insula Oleronia, quæ tum erat sub ditione Regum nostrorum: ex quibus una cum Jure civili in hac Curia (75) Jus dicitur. Et Constitutiones illæ de rebus Marinis, quæ per varios Principes (76) Romæ, Pisis, Genuæ, Massiliæ, Barcinonæ, Messinæ, & alibi promulgatæ sunt, & Consuetudines illæ, quæ inter Acta publica ejus Curiæ adhuc (77) habentur. Et sub hac denique Curia videtur recensenda Curia Mercatorum (78), in qua lites de contractibus Mercatorum ex æquo & bono, secundum Jus civile Romanorum, terminandæ sunt.

XXVI. Tertio, in Curiis Ecclesiasticis Jus dicunt Archiepiscopi, Episcopi, Archidiaconi vel *Vicarii*

(75) *Statut. 28. H. 8. c. 15.* (76) *Coke. p. 1. Instit. lib. 1. c. 1. sect. 3. & lib. 3. c. 7. sect. 439.* (76) *Consolato del Mare.*
(77) *In libr. nigr. Admirall.* (78) *Fortesch. de legib. Angl. c. 32. & Selden. in Not. ibid. Statut. 27. Edw. 3. c. 8.*

carii Generales, Commissarii aut Officiales ab iis constituti; quorum potestas distincta cœpit a Conquestore, qui Forum Episcopale a Seculari distinxit, ut supra dictum est. His vero, benignitate Regum nostrorum & consuetudine Angliæ, cognitio multarum Causarum criminalium, & civilium concessa est. Cognoscunt enim de Blasphemia, Apostasia, Hæresi, Schismate, Simonia, Incestu, Adulterio, Stupro, Fornicatione, Castitate attentata, Ordinibus Sacris, Institutionibus ad Beneficia Ecclesiastica, eorumve destitutionibus, Officiorum Divinorum Celebratione, Matrimonio, Divortio, jactitatione Matrimonii, Decimis, Oblationibus, Mortuariis, Reparatione Ecclesiarum, Dilapidatione Bonorum Clericorum, Pensionibus, Procurationibus, Testamentis, Codicillis; Legatis, Successione in bona Intestatorum per Administrationes, aliisque, quæ a Jurisconsultis nostratibus (79) exacte recensentur. De his omnibus in hoc Foro Jus dicitur ex Jure civili. Cui porro accessit Jus Canonicum cum Constitutionibus Provincialibus Cantuariensis Provinciæ, & Legatorum Romanorum ad Reges nostros missorum. Ex quibus omnibus constituitur Lex, quam nostrates appellant Ecclesiasticam, ex qua has Causas esse judicandas (80) agnoscunt.

XXVII. De Jure civili nulla est controversia: nam

V om-

(79) *Coke. p.5. Relat. in Cawdryes. Case. Cosens, in apolog. pro Cur. Eccles.* (80) *Coke. p.1. Instit. lib.2. cap.6. sect.135. & lib.3. sect.648. Coke. lib.5. Relat. in Cawdryes. Case.*

omnium consensu receptum est, & in hoc Foro (81) Lex Terræ appellatur. De Jure canonico ab *Henrici VIII.* Regno Angli hæsitarunt. Ante eam Ætatem tanta erat apud Nos potentia Episcoporum, & Prælatorum, tantaque erat reverentia Regum nostrorum erga Sedem Romanam, ut maxima pars Epistolarum Decretalium in libris Juris canonici ad Anglos (82) missa sit. Post ejeratam vero Romani Pontificis potestatem ab *Henrico VIII.* deliberatum est in Comitiis Parlamentariis de abrogando Jure Canonico, & novo Jure Ecclesiastico condendo. Eaque cura demandata est (83) triginta duobus Viris summæ Dignitatis, Theologiæ Jurisque Civilis, & Municipalis peritissimis, qui vel sentientes se huic oneri impares (neque enim est paucorum hominum, vel unius Seculi) vel ex aliis causis, novi tantum Juris delineationem (84) fecerunt, quæ non placuit; sed eadem Lege lata confirmatum est (85) Jus Canonicum, exceptis iis Articulis, in quibus est sacris literis, Regiæ prærogativæ, Juri, Moribus, aut Statutis Angliæ contrarium; eodemque Jure Canonico adhuc utimur, sicut & in aliis Principum Protestantium Dominiis etiamnum manet, ut supra dictum (86) est.

XXVIII. Post Jus Canonicum sunt Constitutiones Archiepiscoporum Cantuariensium in Conciliis

(81) *Coke. p. 1. Instit. c. 5. sect. 3.* (82) *Cujac. ad c. de illis. 6. de desp. impub. Gentil. lib. 1. de Nupt. c. 19.* (83) *Statut. 25. H. 9 c. 19.* (84) *Reformat. leg. Angl. sub Henr. 8. & Edvv. 6.* (85) *Statut. 25. H. 8. c. 19. Coke. 4. p. Instit. c. 74.* (86) *Lib. 1. cap. 7.*

liis Provincialibus editæ: e quibus eas, quæ a *Stephano Langtono* Archiepiscopo ad *Henricum* Chicheley sunt latæ, eruditis commentariis (87) illustravit *Gulielmus Lyndevvodus* Legum Doctor, Officialis Curiæ Cantuariensis constitutus a *Chichleio* Archiepiscopo (qui etiam Legum fuit (88) peritissimus) & singulariter est commemorandus, cum sit primarius inter paucos Anglos, qui Juris Romani scientiam in scriptis prodiderunt. Ille vero cum esset Officialis Cantuariensis, a Rege *Henrico V.* legatus missus est (89) ad Reges Hispaniæ & Lusitaniæ; quibus Legationibus defunctus post *Henrici* Regis mortem rediit ad Munus Officialis, & deinceps Custos Privati Sigilli (90) & Episcopus Menevensis factus est. Et post Sieas sunt Constitutiones Legatinæ, a Legatis Pontificiis *Othone Primum* (91) deinceps *Othobono* Legato a latere a *Clemente IV.* in Angliam misso (cui etiam in Cathedra Romana (92) successit) factæ, ad quas *Joannes* de Atho Juris utriusque Doctor (93) Glossas & Commentarios addidit.

XXIX. Ex his omnibus Jus dicitur in Foro Ecclesiastico (94) ad Juris Civilis & Canonici normam. Actio per libellum proponitur, post litem contestatam; Testas secreto examinantur; dantur Exceptiones & Replicationes, & observantur Termini Causa-

(87) *Lyndevv. in c. ad hæc. de pœn.* (88) *Lyndevv. ad Constitut. Provinc. in præfat.* (89) *Lyndevv. in d. præfat.* (90) *Jo: Bale. Scriptor. Britann. cent. 7. v. Gul. Lyndevvode.* (91) *Lyndevv. ad c. ad hæc, v. minime admittatur, de pœn.* (92) *Jo: de Atho. ad constitut. Othob. Mandata Dei.* (93) *Jo: de Atho ibid.* (94) *Smith. de Rep. Angl. lib. 3. cap. 13.*

rum utroque Jure præscripti; Sententiæque in Scriptis promulgantnr; & a Sententiis appellatur ab Episcopo ad Archiepiscopum, ab Archidiacono ad Episcopum, vel omisso medio ad Archiepiscopum. Ab eo vero cum olim appellaretur ad Pontificem Romanum usque ad *Henricum VIII.* post Pontificiam potestatem abrogatam, appellatum est ad Regem(95) in Cancellaria. Ubi Delegati constituti ex Jure Civili & Canonico Sententias vel revocant vel confirmant; Sententiisque, ita latis ex Jure Civili, acquiescunt Judices Fori Municipalis, iisdemque fidem adhibent; & a se examinandas non esse (96) confitentur, nisi Prohibitioni Regiæ locum esse existimaverint. Et post abrogatam Pontificis Romani Authoritatem, pro conservando apud Nos Juris Civilis studio, illud indultum est, ut Legum Doctores (97) possent deinceps Jurisdictionem Ecclesiasticam exercere, licet non essent sacris Ordinibus insigniti, & uxores duxissent, quod Juris Canonici Institutis repugnabat.

XXX. Inter Curias Angliæ, in quibus Jus dicitur ex Legibus Romanis, non sunt omittenda Privilegia Regum nostrorum concessa utrique Academiæ, Oxoniensi & Cantabrigiensi, ex quibus Studiosi non sunt in Jus vocandi ad Tribunalia Juris Municipalis, sed coram Cancellario Academiæ, ejusve Commissario, in Actionibus Personalibus pro debitis,

(95) *Statut. 25. H. 8. c. 19.* (96) *Coke. lib. 5. Rela. in Cawdryes case & Specotts case 7. Relat. Kinnes case 8. Relat. Nedhams. case.*
(97) *Statut. 37. H. 8. c. 17.*

bitis, computis, & aliis quibuscunque Contractibus, & injuriis, & pro Criminibus multis (excepto homicidio, & mutilatione membrorum) Eorumque omnium cognitio conceditur Cancellario Academiæ Oxoniensis, infra ejusdem Academiæ Territoria, per *Richardum II.* Regem (98), si alteruter litigantium sit e numero Studiosorum, iisve ullo modo inserviens; eidemque Academiæ concessa fuerunt privilegia ex gratia Regum (99) *Joannis, Henrici III. Edvvardi I. & III.* cum coercitione contumacium per Incarcerationem, Bannum, & per censuras excommunicationis & suspensionis, iis a Pontificibus Romanis, præsertim *Innocentio IV.* & Archiepiscopis Cantuar. indultas. Paribusque utitur privilegiis altera Academia Cantabrigiensis, licet Chartæ pleræque ex bello sub *Henrico III.* & incendio, injuria Oppidanorum Cantabrigiensium, sub *Richardo II.* illato, perierint. In his omnibus Cancellarius utriusque Academiæ Causas dijudicat per Jus Civile & Consuetudines Academiæ, & in Statutis Academiæ Cantabrigiensis a *D. Elizabetha* conditis (100) speciatim permissum est. Ideo in Libellis, Productionibus Testium, Sententiis, aliisque omnibus Causarum Terminis, proceditur secundum Juris Civilis Formam, & a Sententiis per Cancellarios latis ad Regentes, & demum ad Regiam Majestatem appellatur.

XXXI. Denique inter Juris Civilis præconia

V 3 non

(98) *Rotul. chart. an. 14. R. 2. membr. 14. in Turr. Lond.*
(99) *Archiv. Academ. Oxon.* (100) *Ann. 12. Eliza.*

non possum illud præterire, quod, postquam hoc Jus a *Lothario* restitutum sub *Stephano* Rege nostro in Anglia doceri cœperat, insequentes Reges nostri ejusdem Juris Professores adhibuerunt in Legationibus ad alios Principes in omnibus Contractibus, Pactis, Societatibus, Fœderibus cum exteris Principibus, aliquando solos, quandoque Proceribus, Episcopis, vel in alia Dignitate constitutis, adjunctos: cum solenne sit apud Principes exteros ejusdem Juris Professoribus in his Causis uti: neque enim hæc idonee tractari possunt ab aliis, quam peritis ejus Juris, quod Christianis Principibus commune est. Idque constat ex Instrumentis harum pactionum, & Fœderum (101), quæ in Scriniis Regiis servantur. Et hic mos valuit apud Principes nostros usque ad *D. Elizabetham*, quæ etiam hujus Juris Professoribus a Secretis, a Consiliis, a Legationibus, aliisque administrationibus publicis usa est. Verum in ejus declivi ætate, qui negotiis publicis admoti sunt, consultius sibi existimarunt (quod etiam sub Successoribus inolevit) Amanuensium potius, in transcribendis Fœderum & pactionum Exemplaribus, operam, quam Juris Romani peritorum scientiam advocare; forsan enim inciderant in illam antiquam Cautelam de Testamentis (102), *A Testamento Dolus malus, & Jurisconsultus absesto.* Ita a publicis, & a privatis Negotiis undique excludimur.

XXXII. Quin

(101) *In recept. Scaccar. & in Rotul. forinsce. Turr. Lond.*
(102) *Lud. Servin. Playdoy. sur le testament. du feu. Conte de Lavall. quæst. 5.*

XXXII. Quin & imperiti Scribæ & Tabelliones nostri contendunt cum primis Legum Professoribus, scilicet ...... *Certant cum Cygnis ululæ*, ut ex *Virgilio* (103). Aliquando in publicis Academiæ nostræ Oxoniensis Comitiis *Albericus Gentilis* (104) celeberrimus Legum Professor peroravit; & quod gravius est, Jurisconsulti nostri Municipales nos insectantur (105), quod peregrinas Leges apud nos inutiles investigemus, & quod Cives simus in aliena Repub. Hospites in nostra; cum meminisse potuissent, quid in eos pro nobis Exteri retorserint. Sed me reprimo, & contemtis tabellionibus, cum Jurisconsultis nostris redibimus in gratiam; monendique erunt Adolescentes Academici, ut relicto Jure Civili Rom. aliis Gentibus, quæ illud satis colent, ad patrias Leges se convertant, ex quibus commoda, & honores Patriæ suæ possint consequi. Nam & aliquando observavit *Desiderius Erasmus* (106), apud nos aliam viam ad rem & gloriam parandam magis idoneam vix reperiri: quod & ante eum vir primarius ex Jurisconsultis nostratibus (107) asseruerat. Mihi jam satis est indicasse, Jus Civile apud Anglos aliquando in honore & pretio fuisse; & videtur Jurisconsultos [illegible]os, *Stephanum*, *Forcatulum*, *Renatumque C[illegible]p[illegible]num* recte vaticinatos fuisse, nullum Juris Civilis Romanorum usum in Anglia ali-

 quan-

(103) *Virgil. Eclog. 8.* (104) *Albet. Gentil. in orat. de Laudib. Acad. Perusin. & Oxon. ann. 1604.* (105) *Davis. in Relat. Hibern. in præfat.* (106) *Erasm. lib. 10. Epist. 30. Ulric. Hutten.* (107) *Fortesc. de legib. Angl. cap. 54.*

quando futurum esse. Et hæc de Anglia dicta sint.

XXXIII. Progrediendum jam esset in Scotiam, in qua majores honores, & ampliora præmia Juris Civilis Professoribus decernuntur. Sed quia Anglia & Hibernia iisdem Legibus utuntur, de Hibernia primo dicendum erit. De qua in sequenti Capite.

CAP. IX.

De Usu & Authoritate Juris Civilis Romanorum *in Regno* Hiberniæ.

I. HIberniam fuisse sub Romanorum Imperio, aut Romanos fuisse eandem ingressos, nobis constare non (1) potest: tantum eam circumnavigatam fuisse a *Julio Agricola*, eumque invadendæ Insulæ occasionem quæsivisse, *Cornelius Tacitus* (2) prodidit.

II. In Hiberniam autem plures Populi commearunt, & in ea cum Hibernis sedes posuerunt (3). Scoti vero eandem bello aggressi sunt, ut Insula amœna & fœcunda fruerentur; deinde Britanni nostri, sæpe Romanorum armis oppressi, ad ius confugerunt; & Hispani, ad evitandum Vandalorum furorem, aliique. Qui, cum Hibernis unum Populum constituentes, unum Regem (4) raro sortiti sunt; sed in quatuor Provincias divisi, ad Austrum Momoniam, ad Aquilonem

(1) *Camden. in Britann. cap. Hibernia.* (2) *Tacit. in vit. Agricol.* (3) *Bed. lib. 1. Eccles. histor. Anglor. cap. 1.* (4) *Polydor. histor. Anglic. lib. 13.*

lonem Ultoniam, ad Orientem Lageniam, ad Occidentem Connaciam, totidem Regibus paruerunt: qui omnia Jura Regalia exercebant, ut constat de Electione Episcopi Rossensis in Provincia Connaciæ ex Rescripto *Innocentii III.* (5) ad Archiepiscopos *Armachanum* & *Casselensem*, ubi *Jac. Cujacius* reprehendit Scriptores Historiæ Hibernicæ, qui ea Jura non videntur assequi.

III. Quamvis vero *Edgarus* Anglorum Rex circa Annum salutis CM. LX. in diplomate suo enunciet, se maximam partem Hiberniæ (6) & Civitatem Dubliniam subjugasse: Reges tamen nostri insequentes eam non retinuerunt. Neque Hiberni sub Dominatione Regum nostrorum fuerunt, usque ad *Henricum II.* qui, accepta occasione ex odio reliquorum Regulorum adversus *Rodericum* Connaciæ Principem ob ejus tyrannidem, Hiberniam universam facile in suam potestatem redegit, Anno M.C.LXXI. *Henrici* & ejus Posterorum Imperio (7) se submiserunt, accedente *Hadriani* Romani Pontificis consensu, qui in Regis nostri desiderium valde propensus fuit, ut Hibernos a barbarie sua ad Christianos mores reduceret: Hibernorum enim summa semper fuit reverentia erga Romanam sedem, quam etiam hodie profitentur.

IV. *Henrico* successit *Joannes* & Posteri, cum titulo solo Dominorum Hiberniæ, sub quo tamen om-

(5) *C. cum olim 7. de dol. & contumac. & ibi Cujac.* (6) *Polydor. d. lib. 13. Camden. d. t. Hibernia.* (7) *Rich. Stanhurst. lib. 3. de reb. Hibern.*

omnia munera Regalia exercuerunt: nam Duces & Marchiones crearunt, aliisque omnibus Juribus Regalibus usi sunt, quæ supremis Regibus competunt, & eandem habebant Regiam & supremam potestatem (8) in Hibernia, quam habebant in Angliæ Regno. Et sub hoc Titulo Reges nostri potiti sunt Hibernia usque ad *Henricum VIII.* qui omnium Ordinum consensu in publicis Hiberniæ Comitiis Rex Hiberniæ declaratus (9) est. Eundem tamen Regis Hiberniæ Titulum *Paulus IV. Philippo* & *Mariæ* (10) concessit, ne Titulo in Comitiis Parlamentariis Hiberniæ dato acquievisse, & Juri suo cessisse videretur; & forsan *Philippus* & *Maria* Titulum Regis Hiberniæ, iis legitimo Jure prius delatum, iterum a Pontifice acceperunt, ut ad Sedem Romanam nuper postliminio reversi obedientiæ suæ eidem testimonium relinquerent.

V. Et licet multi tradiderint (11), Angliam, & Hiberniam esse Feuda a Pontificibus Romanis Regibus nostris concessa, *Joannemque* Regem nostrum se *Innocentio III.* Vasallum constituisse pro Regnis Angliæ & Hiberniæ; hujus Juris non aliud testimonium exhibuerunt, quam Acta & Registra Romanæ (12) Ecclesiæ, in quibus Ministri ejus Sedis Angliam & Hiberniam inter Feuda Pontificum inscripserunt, atque ita ipsi suæ Potestatis & Judices &

Te-

(8) *Statut. Hibern. 33. H. 8. cap. 1. Polydor. d. lib. 13. Stanihurst. d. lib. 3.*
(9) *Statut. Hibern. d. c. 1. 33. H. 8. Coke. p. 4. Institut.* (10) *Lauren. Cherubin. in Bullar. in Pio V. constit. 88. p. 2.* (11) *Choppin. lib. 2. de doman. Franc. c. 1. n. 11. Bodin. lib. 1. de Repub. cap. 9.*
(12) *Bodin. d. cap. 9.*

Testes sunt; & Nostrates hoc semper constanter (13) negarunt. Neque potuit *Joannes* aut alius Regum nostrorum, vel alienatione Regnorum, vel servitute imposita, Jus Posterorum (14) lædere : neque enim licet Principi Subditos suos ad alterius Principis obsequium reducere, neque Successoribus suis damnum inferre ; sed iisdem Jura omnia integra relinquere debet, quæ a Decessoribus acceperat.

VI. De Legibus vero Hiberniæ ante Dominationem *Henrici II.* Regis nostri, non multa habemus testimonia : quia Reges eorum priores *non Coronæ impositæ solemnitate, non unctionis Sacramento, nec Jure hereditario vel alterius successionis, sed vi tantum & armis Insulæ Imperium obtinuisse, & suo more Regni gubernacula suscepisse*, asserit *Giraldus* (15) Cambrensis. Consuetudinum tamen Hiberniæ aliarumque Legum ejusdem, sermone Hibernico conscriptarum, plurima apud eos adhuc extare volumina, mihi retulit Reverendissimus *D. Usserius* Archiepiscopus Armachanus, & totius Hiberniæ Primas ; cujus eximia Divini Humanique Juris omnis Scientia, magnam Hibernicæ Genti gloriam attulit.

VII. Post *Henricum II.* Hiberni Legibus, & Consuetudinibus Angliæ (16) paruerunt, iisdemque se submiserunt ; eosdem habuerunt Judices, eadem

(13) *Camden. d.c.Hibernia.* (14) *Bald. in prælud. feudor. & in tit. de Pac. constant. v. successorum, Chop. de doman. Franc. lib. 2. tit. 1. n. 2. Molin. in consuet. Paris. l. 1. §. 3. gl. 4.* (15) *Girald. Cambren. de reb. Hibern. c. 20. in append. ad Stanihurst.* (16) *Statut. Hibern. 1. Jac. c. 1. & 21. Jac. Coke. p. 1. Instit. lib. 2. c. 11. sect. 212. & p. 4. Instit. c. 76.*

dem Tribunalia, eadem Mandata seu Brevia Regia, idemque Jus Anglis & Hibernis dictum est. Et *Joannes Brittonus* (17), se librum suum de Legibus Angliæ & Hiberniæ, jussu Regis nostri *Edvvardi I.* composuisse, asserit: Ita Legibus Anglicis usi sunt Hiberni sub Regibus *Henrico II. Joanne, Henrico III. Edvvardo I.* aliisque succedentibus, usque ad *Henricum VII.* Sub quo, cum orta esset controversia, an Statuta, in Comitiis Parlamentariis Angliæ edita, tenerent Hibernos, ubi expresse Hiberni non nominarentur: ad evitandum hunc scrupulum lata est Lex (18) in Comitiis Hiberniæ, quod Omnia Statuta in Anglia prius edita, valerent deinceps in Hibernia, & in Comitiis Hiberniæ confirmabuntur, quam Legem *Poyningi* Legem, a *D. Edvvardo Poyningo* Prorege Hiberniæ, deinceps appellarunt.

VIII. Ita Consuetudines, Leges, Statuta ab Anglis acceperunt Hiberni. Et Judices porro Hibernici, secundum rerum in Anglia Judicatarum Exempla, Sententias tulerunt; nam rerum in Hibernia per quadringentos Annos judicatarum relationes nullæ extant ante *Joannem Davisium* Procuratorem Regium sub *D. Jacobo*, qui rerum sui temporis in Hibernia Judicatarum relationes Typis mandavit; ex quibus constat, Hibernos se accommodare non ad Jura Anglicana tantum, sed ad Leges *Cæsareas* etiam

(17) *Britton. de legib. Angl. in prolog.* (18) *Statut. Hibern. ann. 10. H. 7. cap. 22. Coke. 4. p. Instit. c. 76. & 2. p. Institut. lib. 2. c. 11. sect. 212.* (19) *Davyes Relat. Hibern. case. de Commend.* (20) *Davyes in d. case de Commend.*

etiam,& Jus (20) Canonicum, quatenus ea inter Leges Anglicanas admittuntur.

IX. Denique, quoad Jura Sacrorum & Divinorum in Hibernia,in Synodo(21)Caffelenfi fub *Henrico II.*fancitum eft,ut Divina eodem modo celebrarentur in Hibernia, ficut in Ecclefia Anglicana ; & deinceps ; ut Epifcopi (22) eligendi effent in Hibernia eodem modo , qui in Anglia invaluerat; atque ita inter utramque Gentem Juris omnis Divini & Humani Communio fub uno Rege intercederet.

X. De fingulis Caufarum generibus, in quibus Hiberni utuntur Jure Civili Romanorum , fuperfluum eft hic repetere ea, quæ de Anglia fupra dicta funt,cum eadem fit ejus Authoritas apud utramque Gentem . Illud folum non poffum omittere , quod plerique Scriptores tradunt , Hibernorum ingenia valde propenfa effe ad Jus Civile & Canonicum.Nam *Polydorus* nofter inter mores Hibernorum(23)refert, quod a pueris Grammaticæ & Juri , tam Pontificio quam Civili , operam dant . Et *Hannibal Roffellus* Monachus Calabriæ,apud fuos percrebuiffe dicit(24), Hibernos olim ftudio Juris Pontificii delectari folitos, & fuiffe optimos Canoniftas . Et *Richardus Stanihurftius* (25) Hibernus , quod a primis Annis Juris Civilis & Pontificii ftudio dediti funt; Hiberniaque produxit celebrem Juris Civilis Profefforem Oxonii, qui

(21) *Girald. Camb en. lib.2. cap.34. Davyes d.cafe de Commend.* (22) *Coke. p.4. Inftit. c.76.* (23) *Polydor. d. lib.13.* (24) *Rofel. in Trifmegift. Pymandr. lib.5. comment.11. dial.6. §. de Infulis Britan.* (25) *Stanihurft. de reb. Hibern. lib.1.* (26) *Jo. Andr. in addit. ad Specular. in proam.*

qui Summam ordinis Judiciorum composuit; eumque commemorat *Jo: Andreas* (26) inter Jurisconsultos Anglicos sub nomine *Gulielmi de Droreda* (alii nominant *Gulielmum Dorochium*(27), sed videtur potius nominandus *Gulielmus de Drogheda*(28) a loco ubi natus est) qui sub *Edvvardo III.* Jus Civile Oxonii legisse dicitur, eundemque Juris utriusque consultissimum *Jo: Lelandus* appellat. Hibernique non immerito *Marianum* Scotum illustrem Historicum vendicare cupiunt, cum ipse se Scotum Hibernensem (29) appellet, & universæ Britanniæ nostræ summo est ornamento; qui & ab Anglis summe est celebrandus (30), quorum res gestas a *Bedæ* Seculo ad sua tempora diserte & accurate descripsit.

XI. Et hæc dicta sint de Hibernia. Jam ad Scotos libenter propero, quia Scoti, præ ceteris Britannis omnibus, Jus Civile Romanorum amplectuntur,

CAP. X.

(27) *Jo: Bale. de Scriptor. Britann. cent.6. Jo: Pits. de Scriptor. Angl. ætat.14.* (28) *Jacob. Waræ de Scriptor. Hibern. lib.1.* (29) *Marian. Scot. ad ann.1028.* (30) *Nich. Harpsfeld. Histor. Eccles. Anglic. seculi.11. cap.25.*

CAP. X.

De Usu & Authoritate Juris Civilis Romanorum *in Regno* Scotiæ.

I. Quæ de Scotorum rebus ſcripta ſunt ante Romanorum tempora, ut de Britannis omnibus dixit (1) *Polybius*, fabularum fere loco habenda ſunt; & ea, quæ de hujus Gentis origine in Britannia traduntur, ex conjecturis ſolis pendere, doctiſſimus *Camdenus* (2) exiſtimavit, acutiſſimumque *Georgium Buchananum* hac in re expectationem omnium fefelliſſe.

II. In hanc Britanniæ Partem e Scythia primo venerunt Picti (3) & in parte Britannis proxima ſedes (4) poſuerunt; & poſt eos Scoti ex Hibernia (5) huc advolarunt, partemque Inſulæ Septentrioni proximam tenuerunt. Scotos enim Hiberniam coluiſſe, & inde ad hanc Inſulæ partem veniſſe, omnium conſenſu (6) receptum eſt. Unde Hiberni Scotorum nomine (7) ſæpe apud antiquos Scriptores appellati ſunt.

III. Venerunt autem Scoti in hujus Inſulæ partem Septentrionalem, circa annum ſalutis CD. XI. ſub

(1) *Polyb. lib.* 3. (2) *Camden. in Britann.* §. *Scoti.* (3) *Bed. Eccleſ. Hiſtor. Angl. lib.* 1. *cap.* 1. (4) *Jo: Major. de geſt. Scot. lib.* 1. *cap.* 11. (5) *Polyd. hiſt. Angl. lib.* 3. *Jo: Major. d. lib.* 1. *cap.* 11. & 12. (6) *Camden. d.* §. *Scoti.* (7) *Jacob. Uſſer. Archiepiſ. Armach. de Britann. Eccleſ. primord. cap.* 16. *Jo: Cajus de antiqu. Academ. Cantabr. p.* 72.

XI. sub *Theodosio* & *Valentiniano* (8), inclinante jam Romano Imperio, quam Albaniam primo appellarunt; & amicitia cum Pictis ex Connubiis, & Fœderibus contracta, quod essent Septentrionales magisque robusti & bello assueti, Britannos in Australi Insulæ parte molliores, primo latrociniis, deinde bello, aggrediuntur, eosdemque Saxonum auxilia implorare coegerunt; qui post bella diuturna cum Pictis Scotisque, eos infra partes Insulæ Septentrionales coegerunt; donec tandem Saxones Britannos ipsos sub suam dominationem redegissent. Interea vero Scoti Pictique mutuis diffidiis provocati inter se bella exercuerunt, usque ad *Kennethum II.* Scotorum Regem, qui universam Pictorum (9) Gentem delevit circa Annum DCCCXL. postquam Picti per septingentos quinquaginta Annos in Britannia fuissent. Et ex eo tempore Scoti totam eam Britanniæ partem tenuerunt, quæ Scotia deinde dicta est.

VI. Monarchiam autem Scotorum fuisse antiquissimam, Scoti omnes asserunt; rerumque Scoticarum Scriptores tradunt, se habuisse Reges suos ex Gente sua supra mille octingentos (10) Annos, quod nulli Genti ab Orbe condito adhuc contigit, seque Imperatoribus Romanis (11) aut aliis Principibus exteris nunquam paruisse; & recentiores Jurisconsulti

(8) *Polydor. lib.3. Camden. d. §. Scoti.* (9) *Polyd. lib.4. Hector. Boeth. histor. Scot. lib.10.* (10) *Hector. Boeth. histor. Scotor. lib.1. Alex. Leo. in præfat. ad Hect. Boeth. Jo: Major. de gest. Scot. lib.1. cap.7.* (11) *Jo: Major. de gest. Scot. lib.1. c.14. Thom. Dempster. in appar. ad histor. de Regn. Scotor. cap.17.*

consulti Reges Scotorum non esse sub potestate Romanorum Imperatorum (12) testantur.

V. Hic autē occurrit antiqua illa controversia inter Reges Anglorum,& Scotorum,de Supremo hujus Insulæ Dominio, quæ inter utramque Gentem gravissima sæpe bella excitavit. Angli enim semper contenderunt, Reges suos esse directos Dominos totius Insulæ, Scotosque habuisse Regnum suum a Regibus Angliæ, Jure Beneficiario in feudum ab iis datum, fidemque, & obsequium, ut Vassallos, Dominis suis jurejurando promisisse: ita enim *Edredo* Anglorum Regi (13) Scotos juramentum fidelitatis,& homagium præstitisse, & *Kennetum* Regem Scotorum (14) *Edgaro,& Costantinum* Regem Scotorum *Athelstano* (15) Anglorum Regi; cui cum *Athelstanus* regnum restitueret, dixisse perhibetur, *Gloriosius esse Regem facere, quam Rex esse*: & *Malcolmum* Scotorum Regem *Gulielmo* (16) *primo* Regi nostro, & *Ducanum Malcolmi* filium *Gulielmo* (17) *Rufo*, & *Davidem* Scotorum Ragem *Matildæ* (18) Imperatrici filiæ *Henrici I.* eaque de causa eundem *Davidem* evocatum a Rege *Stephano* ad prestandum fidelitatis sacramentum recussasse, quod

X illud

(12) *Minther. in Parthen.litigios.lib.1. c.16.n.31. Benevenut.Strack.de Mercat.p.4.n.27 Azor.instit.Moral.lib.11.p.2.cap.5.* (13) *Marian.Scot.M.S.in Biblioth. Bodl. ad ann.968. Jo.Tynmuthon.histor. ad ann.947. M.S.in ead. biblioth.* (14) *Marian. Schot. ibid. ad ann.972. Chron. Abingdon. M.S.* (15) *Jo: Tynmuth. histor. aur. ad ann.925. Chron. Abingdon. M.S.in biblioth. Ox.* (16) *Histor. Elien.lib.2 Chron. Abing. Math.Westminst. ad ann.1071. Math.Paris. ibid.* (17) *Chron. Abing. Chron.Saxonic. in Colleg. S.Benedict.Cantabrig.* (18) *Chron. Abing. ad ann.1127.*

illud sacramentum *Matildæ* præstitisset. *Davidis* vero filium *Henricum Stephano* homagium (19) præstitisse, & *Malcolmum* Regem Scotorum (20) *Henrico II.*, & cum eo Proceres Scotiæ, tanquam principali Domino suo, & *Gulielmum* Scotorum Regem, *Joanni* (21) Regi nostro, & *Alexandrum* Scotorum Regem, *Heinrico* (22) *III.* eundemque *Alexandrum* (25) *Eduvardo I.* simile sacramentum præstitisse.

VI. *Alexandro* autem Scotorum Rege sine liberis mortuo, *Io. Balliolo* & *Davide Brucæo* de Regni successione contendentibus, Proceres Scotiæ hanc Controversiam deferunt *Eduvardo I.* ut Domino Principali, & Judici suo. Qui convocatis Ordinum Comitiis Norhamæ (24) super Tuveda, & evocatis Juris Civilis, & Canonici per totam Angliam peritissimis, quos huic Controversiæ dijudicandos maxime idoneos existimabat, qui Sententia sua dixerunt, Supremum Dominium Regni Scotiæ ad Reges Angliæ pertinere, & *Eduvardus* pro Jure suo pronunciavit, ejusque Decreto Proceres Scotiæ consensum suum præstiterunt; a quo tamen postea discesserunt, & *Balliolus* ab *Eduvardo* Scotorum Rex constitutus est.

VII. Ad

(19) *Chron. Abingdon. ad ann.* 1135. (20) *Chron. Abingdon. ad ann.* 1175. *Math. Westminist. ad eund. ann.* Roger. *Hoved. in Henr.* 2.
(21) *Chron. Abingd. ad an.* 1200. (22) *Chron. Abingd. ad an.* 1251.
(23) *Cron. Abingd. ad ann.* 1278. (24) *Chron. Abing. ad an.* 1299. *Math. Westminst. & Math. Par. ad eund. ann. Nich. Triveth ad an.* 1297.

VII. Ad hæc omnia respondent Scoti (25) Reges suos pro Cumbria & Westmaria, posteaque Huntingdonia, & non pro Regno Scotiæ fidem, & homagium dedisse; & hujus probationis Exempla conficta fuisse ab Anglis, *Eduvardum I.* Regem nostrum acquisito Scotiæ Dominio omnia Vetustatis monumenta apud Scotos abolevisse, ex quibus veritas posset elucescere. Causa hac (Regno Scotiæ vacante) ad Sedem Romanam delata, Pontificem judicasse regnum Scotiæ esse liberum, neminemque in Scotia Rege superiorem esse in temporalibus; *Baliolum*, repugnantibus Scotis, fidem dedisse *Eduvardo*; eumque ideo a Scotis Regno pulsum fuisse; *Eduvardum III.* Regem nostrum Scotiam ab hac servitute liberam esse prununciosse; omniaque, quæ ab Anglis producuntur, esse testimonia domestica (26), quorum fides a Jure improbatur.

VIII. Ceterum *Georgius Buchananus* ita fervet in hac Causa, ut dicat (27), testes Anglorum in hac Causa esse multos Scriptores Anglos ignobiles, quibus ad fidem conciliandam *Marianum* Scotum, fama illustri hominem, adjiciunt; in *Mariano* autem in Germania edito nullam hujus rei esse mentionem, & Anglos monet ut alium *Marianum* proferant, Scriptoresque Anglos non intelligere; Britanniam

 plc-

(25) *Hect. Boeth. histor. Scot. lib. 12. 13. & 14. Jo. Major. de gest. Scotor. lib. 3. cap. 6. & 13. lib. 4. cap. 16. & 18. lib. 5. cap. 9. & 17. Buchanan. lib. 5. Rer. Scotic. in Balliol. Reg. 96.* (26) *L. & etiam 2. C. de testib. & ibi Dd. S. in testamen. 9. Instit. de testam. l. 1. §. ad quæstio em. ff. de quæstion. Spec. Tit. de Teste §. 1. n. 11.* (27) *Buchanan. lib. 6. rer. Scot. in Reg. 75. & lib. 8. in Rege. 95.*

plerumque apud *Bedam*, & Veteres denotare eam Britanniæ partem, quæ est intra vallum *Hadriani* aut *Severi*; atque ita intelligendos esse de iis Regibus, qui toti Britanniæ imperasse dicuntur.

IX. Ad *Marianum* vero frustra provocat *Buchananus*, ejusque editionem Germanicam; nam *Marianus* pro illustri Historico ab omnibus celebratur; editionem ejus germanicam fuisse mancam, & mutilitam, & in ea fuisse omissa fere omnia, quæ ad res Anglicanas spectant, doctissimi hujus seculi scriptores 28) observarunt. Adeo etiam Britanniæ appellatio intelligenda est, non de ea Britanniæ, parte, quæ est intra murum *Hadriani*, & *Severi*, sed de tota Insula Britanniæ, ut antiqui Reges Anglorum se totius Britanniæ Gentiumque in circuitu persistentium, & non Britanniæ tantum, sed & Albionis Monarchas, Reges, Rectores, & Basilees inscripserint, atque ita in Privilegiis, & Chartis *Egberti*, *Egbrithi*, *Athelstani*, *Alfredi*, *Edmundi*, aliisque, & in Historicis nostris adhuc (29) conspicitur.

X. Hoc autem Jus Anglorum defendi posset non ex Scriptoribus solum nostris, sed & exteris, & ex publicis Instrumentis, quæ in *Scriniis* Regum nostrorum custodiuntur; nisi, divini Numinis benignitate, universa hæc Disputatio inutilis reddita fuis-

(28) *Mich. Harpsfeld. hist. eccles. Anglic. secul. 11. cap. 26. Jacob. Waræ. de scriptor. Hibern. lib. 1. p. 50.* (29) *Joh. Tynmuth. histor. aur. li. 18. cap. 1. Ælred. Rievallen. in libell. de Regib. Histor. Elien. lib 1. & 2. Chron. Abingdon. omnes M. S. in Biblioth. Bodlein. Oxon.*

fuiſſet. Nam cum rerum Scoticarum Scriptores ſemper ante hac vota ſua (30) publicaverint, ut per Nuptias inter utramque Familiam Regiam Regna coaleſcerent, atque in hanc curam Scotos omnes Patriæ ſuæ ſtudioſos debere incumbere, cum non alia ratione bella inter utramque Gentem evitari poſſent; illud feliciſſime evenit nuper in *Jacobo* Rege noſtro, qui ex Nuptiis *Jacobi IV.* avi ſui cum *Margarita Henrici VII.* Regis noſtri filia (31) utriuſque Regni hereditatem adivit, eamque ad Poſteros ex divina Clementia eſt tranſmiſſurus. Atque ita ſicut uſusfructus ad Dominium directum rediens conſolidatione (32) extinguitur: ita & Feudum, quod uſufructui ſimile eſt, & recepti juris eſt, Feudum ad directum Dominum rediens conſolidatione (34) extingui. Unde tota hæc Diſputatio de Jure Feudali Scotiæ evaneſcit.

XI. Quoad Leges etiam Scotiæ (de quibus agimus) hæc Diſputatio porro de Jure Feudi eſt nullius momenti: quia Principes Feudatarii poſt inveſtituram in Regnis & Dominiis habent omne Dominiũ, & directum & ſubalternum, ut ait *Baldus* (35). Et a Juriſconſultis noſtris communiter traditur, eos habere poteſtatem Legum ferendarum, & omnia ſupre-

(30) *Hect. Boet. hiſtor. Scot. §. Scotor. Regin. deſcript. Jo. Maior. de geſt. Scot. lib. 1. cap. 7. lib. 4. c. 17. lib. 5. c. 17.* (31) *Jo. Major. de geſt. Scotor. lib. 4. c. 17.* (32) *L. ſi tibi. 17. ff. quib. mod. uſusfruct. amitt. §. ſinitur. Inſt. eod. tit. l. idem. 6. ff. de uſufr. accreſc.* (33) *Henr. Roſenth. de feud. cap. 7. qu. 24. num. 21. Hub. Giphan. Tract. de jur. feud. cap. 14. num. 5.* (34) *Fr. Hottom. diſſertat. de feud. cap. 31.* (35) *Bald. ad l. 1. C. unde cognati.*

morum Principum Jura ; & illud Dominium, quod a Superiore recognoſcunt (36), eſt quoad Regnum univerſum, ſed non quoad particularem Juriſdictionem in Subditos ſuos, in qua Princeps ſuperior non poteſt ſe immiſcere, ſed ſubditi tenentur eorum Legibus & mandatis, nec poſſunt ab eorum Sententiis appellare ad Superiorem, nec ejus Mandatis obtemperare debent.

XII. Leges autem & conſuetudines Scotorum cum Anglicanis plurimum conveniunt, quod facile accidere potuit ex ſimilitudine morum, & Linguæ communione inter Populos vicinos in eadem Inſula natos. Nam in utroque Regno (37) Leges eodem modo conduntur in Comitiis Parlamentariis ; habent ſimiles Procerum Nobilium, & populi Ordines; in utroque Regno ad Coronæ Succeſſionem, & alias hereditates omnes mortuorum heredes eodem modo vocantur; habent ſimiles Juris exequendi Miniſtros, Vice-Comites alioſque; Actionum formulæ, Brevia, Placita, Verba forenſia, in utraque Gente fere ſimilia ſunt. Neque tamen inde deduci poteſt (quod aliquibus (38) placet) unum olim fuiſſe regnum, cum hoc Hiſtoriarum utriuſque Gentis fidei repugnet.

XIII. Leges antiquæ Scotorum variæ referuntur, & aliquæ à moribus Chriſtianis abhorrentes,

(36) *Ant. de Petr. de poteſt. princ. p. 1. c. 6. num. 50. Decian. Reſponſ. 56. vol. 5. num. 1. Borrell. de Cathol. Reg. præſtan. cap. 31. num. 18. Scac. de appellat. queſt. 16. limit. 5.* (37) *Coke. p. 4. Inſtit. cap. 75.* (38) *Coke. d. c. 75.*

tes, quæ præcipue *Eveno III.* Regi (29) Scotiæ referuntur; ſed laudantur maxime leges *Keunethi*, qui Pictos Scotia expulit Anno DCCCXXXIX. Is immenſam Legum congeriem in brevem redegit formam, pluresq; adjecit (40); & poſt eum *Malcolmus* condidit volumen Legum Municipalium (41) quæ adhuc obſervantur. Conſtat autem Jus municipale Scotorum (42) (ſicut, & anglicanum) ex Conſuetudinibus Scotiæ, & ſtatutis in Parlamentis, ſicut & apud Nos in Comitiis Parlamentariis per Regem promulgatis.

XIV. Jus Conſuetudinarium Scotiæ continetur in illo libro, cui Titulus, *Regiam Majeſtatem*, qui fere in omnibus, quoad rerum diſpoſitionem, & compoſitionem verborum, convenit cum libro *Glanvillæ* de Legibus & Conſuetudinibus Angliæ, & poſt *Glanvillam* ſcriptus; quia *Glanvilla* ſæpe in ejus *M. S.* Exemplari, licet non impreſſo (43) laudatur. Hic liber, *Regiam Majeſtatem*, aſcribitur (44) *Davidi* I. circa Annum MCLIII. ſcriptus, poſt paucos Annos a Legibus Romanis per *Lotarium* reſtitutis, quas Scotos eo tempore comparaſſe inde conſtare poteſt, compoſituſque fuit ad exemplar Inſtitutionum *Juſtiniani*, ſicut ex principio utriuſque Libri iiſdem verbis compoſito apparet; eumque alii aſcribunt (45) potius *Davidi* II. eam ob cauſam, quod

 liber

(39) *Buchanan. rer. Scotic. lib. 4. in Eveno. 3. Reg. 16.* (40) *Hect. Boeth. hiſtor. Scot. lib. 11.* (41) *Hect. Boeth. d. lib. 11.* (42) *Jo. Leſlæ: epiſ. Roſſen. de morib. & reb. geſt. Scotor. lib. 1. C. leges Scotiæ.* (43) *Præfat. ad Glanvill. edit. ann. 1604.* (44) *Præfat. ad Regiam Majeſtat. in fin.* (45) *Spelman. in gloſſar. v. Lex Scotor.*

liber *Glanvillæ* post tempora *Davidis* I. sub *Henrico* II. Rege nostro scriptus est.

XV. Post Jus hoc Scotiæ Municipale Scoti adhibent Juris Civilis Romanorum Authoritatem: nam & Processus Judiciarios, Formulas, & pleraque alia in Legibus suis Municipalibus Scotos ex Jure Civili mutuatos fuisse, testatur *Jo. Skenæus* (46) & Glossæ ad Leges Scotorum fere omnes ex Jure Civili Romanorum depromptæ sunt. In iis, quæ in Legibus Scotorum contra Jus civile Romanorum statuta sunt, Jus Civile cedit: sed ubi jus Municipale deficit, & in Casibus omissis, Judices Scotorum non arbitrio suo relinquuntur, sed ex Jure Civili Romanorum judicare (47) debent. Et invalvit hæc opinio apud Populos exteros, quod Angli lites dirimunt ex solo Jure suo Municipali, Scoti vero, ut ceteræ Gentes Europææ, Jure Civili (48) utuntur.

XVI. Ideoque *Georgius Buchananus* (Juris nostri consultis alias satis infestus) in Judices suo patrios iniquus est, qui tradit (49), *in Scotia nullas pene esse Leges, præter Conventuum Decreta, eaque non in perpetuum, sed in tempus facta, Judicesque, quantum in se est, Lationem Legum impedire, Civium bona Judicum arbitrio esse concessa, eorumque esse perpetuam potestatem, & imperium plane Tyrannicum;*

(46) *Jo. Skenæ. ad Regiam. Majest. Scotiæ. in annot. ad lib. 1. c. 7. v. 2.*

(47) *Jo. Lesla. d. lib. 1. cap. Leges Scotor.*

(48) *Forcat. li. 7. de Gallor. Imper. & Philos. Polyd. lib. 1. histor. Anglic. Petr. d' Amity. in Geograph. Europ. Tit. d'Escosse.*

(49) *Buchanan. lib. 14. Rer. Scotic. ad ann. 1532.*

nicum;quippe quorum arbitria sola pro Legibus sint: cum constet ex rerum Scoticarum Scriptoribus, Judices ad Leges suas, & post eas, ad Jus Civile teneri.

XVII. Scoti porro summis semper præconiis ornarunt Jus Civile: e quibus *Hector Boethius* (50) refert, Leges Romanas a *Justiniano* in Epitomen redactas fuisse *tanta ratione & Sermonis venustate, ut nulla sit Natio tam fera vel ab humanitate abhorrens, quæ eas non fuerit admirata*. Scotorum Reges adeo propensi semper fuerunt in Jus Civile Romanorum (51); ut in Academia Aberdinensi instituerint Collegium, in quo Jurisconsulti Leges *Cæsareas* profitebantur, & in Academia *S. Andreæ* in Collegio S. Salvatoris unum Professorem aluerint, qui Leges publice doceret; & ex antiquo More ejus Gentis, Scoti ad exteras Academias peregre proficisci solent, in quibus tantam sæpe Legum *Cæsareærum* scientiam comparant, ut plurimi eorum in Academiis exteris, præsertim Gallicis, Jus Civile magna cum Gentis suæ fama publice docuerint. Et ex hujus juris conservandi studio, *Jacobus Stuartius* Scotorum Rex (52) edixit, ne cuiquam insignem hereditatem adeundi Jus esset, qui prorsus Juris Civilis aut Municipalis Scotiæ ignarus esset.

XVIII. Præterea laudatur ab antiquis rerum Scoticarum Scriptoribus Politia Ecclesiastica Anglicana, in cujus Tribunalibus Causæ ex jure Civili & Ca-

(50) *Hector. Boet. histor. Scotor. lib* 9. (51) *David. Camerar. de Scotor. doctrin. lib. 2. cap.* 4. (52) *Hect. Boeth. histor. lib.* 17.

Canonico judicantur. Post quam Politia Ecclesiastica Scotorum est tempore, & dignitate posterior: nam Scotia non fuit in Diœceses distributa ante (53) *Malcolmum III.* & Anglorum Politiam Ecclesiasticam valde laudant, eamque Scoticæ esse longe præferendam (54) ipsi confitentur.

XIX. Hactenus de Usu, & Authoritate juris Civilis Romanorum in magna Britannia, & Hibernia. Supersunt tantum ex Regnis Europæis, Polonia, Hungaria, Dania, Svevia, Bohemia, in quibus facilis erit labor meus, quia Gentes Septentrionales plerumque de Legibus parum sollicitæ sunt, & lites apud eas aliquando sicut Armis, & Duello (55) non Legibus finiuntur; hi enim Populi vi & robore Corporis (56). sicut Australes ingenio, & ratione, magis pollent. Unde hi Populi ab Interpretibus nostris recensentur inter eas Gentes, quæ suis Legibus, & Moribus (57), non Jure Civili Romanorum, reguntur; Gentibusque Septentrionalibus magis placent suæ Leges, quam Jus Civile Romanorum: & quo sunt Septentrioni viciniores, eo longius a Romanis Legibus (58) recesserunt. Sed hi tamen Populi omnes Jus Civile Romanorum inter suas Leges admiserunt, quod in singulis breviter demonstrabimus

XX. Emen-

(53) *Hect. Boet. histor. Scot. lib. 10.* (54) *Jo. Major. de gest. Scot. lib. 1. cap 6. & lib. 3. cap. 6.* (55) *Minther. in Parthen. litigios. lib. 2. cap. 2.* (56) *Aristot. lib. 7. Polit. cap. 7. Bodin. lib. 5. de Repub. cap. 1.* (57) *Jo. Andr. ad. c. super Specula num. 2. & ibid. Hostiens. d. Privileg. Castald. de imperat. qu. 53. Caldas de Legib. Tract. 05. disput. 7. sect. 8. Azor. instit. Morat. p. 2. lib. 11. cap. 5.* (58) *Nicol. Bets. tract. de pact. famil. illustr. cap. 1. num. 26.*

XX. Emenso igitur Oceano, trajiciendum e Britannia in Poloniam, de qua in sequenti Capite.

CAP. XI.

De Usu & authoritate Juris Civilis Romanorum *in Regno* Poloniæ.

I. MAxima pars Regni Poloniæ est in Sarmatia Europæa, aliqua in Germania; in quo præter Poloniam Majorem & Minorem, Magnus Ducatus *Lithuaniæ*, Ducatus Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Pomeraniæ, & Livoniæ, magnum & potentissimum hujus Regni Corpus (1) constituunt.

II. Has autem Provincias fuisse sub Imperio Romanorum nobis non liquet; sed antiquissimi hujus Gentis Incolæ, Sauromatæ seu Sclavi, summam potestatem plerumque uni tribuebant, ipsisque sibi Duces (2) eligebant, quorum prius inter eos memoratur *Lechus* eorum Dux. Quo sublato, Gens pertæsa unius Principis, duodecim Palatinis Remp. commisit, ita aliquando sub Palatinis, quandoque sub uno Duce erat eorum administratio usque ad *Premislaum*; qui circa Annum DCCCLX. Dux electus (3) est, & post eum alii Duces successerunt usque ad annum M.I. quo *Boleslaus I.* ab *Othone III.* Im-

(1) *Statut. Regn. Polon. in princ. in descrip. Regni Polon.* (2) *Martin. Cromer. de reb. Polon. lib. 2.* (3) *Martin. Cromer. de Repub. Polon. lib. 2.*

Imperatore Regio Diademtte ornatus (4) est; & post eum Poloni Reges suos habuerunt, qui successerunt non jure hereditario, sed per Senatorum & Nobilium suffragia electi. Apud Polonos tamen ea semper fuit fides & observantia in suos Reges, ut, eorum sobole mascula relicta, neminem hucusque in Regem (5) elegerint, sed iis tamen defertur potestas Regia per modum Electionis, ne tantillum de Jure Electionis liberæ decedere videantur; Regumque potestas ita apud eos temperata (6) est, ut non possint Leges ferre sine Senatus & Nobilium assensu (plebi enim nulla administratio conceditur) & ipsi Legibus Regni tenentur.

III. Regibus tamen summa alioquin Authoritas tributa (7) est; nam apud eos est Juris dicundi potestas; ipsi solum pœnas Legum condonant, & gratias concedunt; ipsi milites conscribunt, omnium que Bellicorum munerum concessiones penes se habent; ipsi omnes Magistratus, & Honores largiuntur; ipsi Senatores, Magistratus, & Judices constituunt, qui omnia sub Regum nomine expediunt; ipsi Juribus omnibus Regalibus utuntur, ac si Regni hereditatem a Majoribus transmissam adivissent. Sed ex hac Regum potestate limitata consuluit (8) *Castrensis*, donationem duarum Civitatum factam Fratribus Crucigeris a *Casimiro* Poloniæ Rege,

(4) *Cromer de reb. Polon. lib.5. Thuan. histor. lib.56.* (5) *Statut. Polon. edit. Cracov. ann. 1600. in princ.* (6) *Cromer. de Repub. Polon. lib. 1.* (7) *Thuan. lib.56.* (8) *Castren. cons. 347. Card. Tusc. v. Rex Poloniæ. conclus. 347.*

Rege, fuisse irritam, quia Senatus & Nobilium consensus non intervenerat: atque ea de Causa Reges Poloniæ, cum corona induuntur, de servandis Legibus & formulis administrandi sibi præscriptis Juramentum (9) præstant; & *Jo*: *Bodinus* refert (10), *Henricum* Ducem Andegavensem nuper electum Regem Poloniæ idem Juramentum præstitisse.

IV Ad Poloniam accesserunt Ducatus *Lithuaniæ*, Borussia, Livonia, aliæque Provinciæ. *Lithuaniam Jagello* (11) ultimus *Lithuaniæ* Dux reddidit feudatariam Regno Poloniæ in beneficii remunerationem, quia Poloni eum in Regem suum elegissent Anno 1396. Borussia postea a Militibus Ordinis *Theutonici* debellata sub *Frederico II.* eorum potestati (12) cessit, cujus partem Milites *Casimiro* Regi Poloniæ vendiderunt Anno MCCCCLVII. Altera pars Borussiæ est penes Marchionem Brandeburgicum. Livoni vero Provinciam suam *Sigismundo* Regi (13) Poloniæ dediderunt Anno MDLXI. quod adversus *Moscos* se defendere non potuissent. Hæ autem aliæque Provinciæ amplæ, Feudi Jure, Regibus Poloniæ sunt obnoxiæ, de quibus rerum Polonicarum Scriptores abunde tractant.

V. De Poloniæ Regno contendunt Imperatores & Pontifices Romani, utrinque asserentes, sibi in Poloniæ Reges potestatem esse. Imperatores (14), quod

Ca-

(9) *Cromer. de Reptib. Polon. lib.2.* (10) *Bodin. lib.1. de Repub. cap.8.* (11) *Thuan. d. lib. 56.* (12) *Cromer. de Republ. Polon. lib.2. Alex. Guagnin. in descrip. Polon. Thuan. lib.21. & 56.* (13) *Thuan. lib.28.* (14) *Arnma. de Jur. Public. discurs.13.*

Carolus Magnus in his Provinciis omnibus dominatus fuerit usque ad Scythiam, & quod *Boleslaus*, Dux Poloniæ (15) coronam Regiam beneficio *Othonis III.* Imperatoris acceperit. Pontifices vero, quod *Boleslaus* Rex Poloniæ, ob cædem *Stanislai*, Archiepiscopi Gnesnensis, sacris interdictus, & Regia Dignitate spoliatus (16) sit; ejusque Successores ea abstinuerunt, solo Ducum titulo usi, usque ad *Locoldum*, cui *Johannes XXII.* Pontifex Romanus Regiam Dignitatem restituit sub onere Tributi annui Pontificibus præstandi, & ex eo tempore Reges Poloniæ Regio Imperio usi sunt. Sed a Romani Pontificis Dominatione Reges Poloniæ jamdiu (17) se liberarunt, neque unquam Romanæ Sedis Feudatarii sed Censuales (18) tantum dici potuerunt. *Otho* autem *III.* cum corona Regia *Boleslaum* indueret, eum Socium & Amicum Imperatoris, non Vasallum & Feudatarium, salutavit.

VI. Jurisconsulti vero omnes (19) asserunt, Reges Poloniæ esse Supremos; neminem in Dominiis suis Superiorem recognoscere; omniaque habere Jura Regalia, quæ supremis Principibus competunt. Qua potestate usus *Casimirus Magnus* Rex Poloniæ, prohibuit (20) Appellationes deinceps interponi a Po-

(15) *Franc. Hotoman. in disput. feudal. cap. 8. Choppin. lib. 1. de Doman. Franch. Tit. 1. n. 12.* (16) *Bodin. lib. 1. de Repub. cap. 9. Choppin. d. Tit. 1. n. 23.* (17) *Otho. Frizing. lib. 1. cap. 15. Cromer de reb. Polon. li. 4. Arumæ. de jur. publ. v. 3. discurs. 14.* (18) *Arnisæ. de jur. Majestat. lib. 1. cap. 5.* (19) *Mat. Cun. de Pact. lib. 1. cap. 6. n. 126. Royz. decis. Lituban. 3. n. 3. Arnisæ. de jur. Majest. lib. 1. cap. 2. Azor. Instit. Moral. p. 2. li. 11. cap. 5.* (20) *Crome. de Repub. Polon. lib. 2. Neugebaver. histor. Polon. lib. 3. Melch. Goldast. de jurib. & privil. regn. Bohem. lib. 4. cap. 13. n. 73.*

Poloniæ Curiis ad Magdeburgum (quod antea factum erat in honorem Juris Saxonici) & instituit Tribunal Cracoviæ (quæ Regum Poloniæ sedes est) ad quod omnes appellationes in posterum devolvendæ erant. *Casimirus* autem instituit supremam Curiam pro Jure Saxonico Cracoviæ Anno MCCCXII. appellationibus deinceps interdictis ad Curiam Madeburgensem; idemque postea *Ladislaus Jagello* confirmavit, & utriusque Principis decreta inter Statuta (21) Poloniæ reperiuntur. Et qui studio asserende Majestatis Imperatorum tradunt, Reges Poloniæ liberos esse a potestate Imperatorum ex solo Privilegio ab Imperatoribus indulto, fatentur (22) tamen non posse *Cæsares* hæc Privilegia aut turbare aut revocare. Et nullo Jure potest Imperator vendicare potestatem in Polonos, cùm nunquam fuerint sub Populo Romano (23) aut *Cæsaribus*; & *Augusto* satis fuerit *Sarmatas Danubio* prohibere (24), qui etiam *Lentulum* Legatum suum monuit, ne temere *Sarmatas* inquietaret; ideoque non Imperium, sed ratio sola Polonos ad Juris Romani observationem adduxit.

VII. Poloni (Gens ad bella potius quam ad Leges nata) antiquis temporibus nullas habuerunt Leges scriptas (25), sed Regum arbitrio se permittebant, & post Regiam potestatem Senatorum & Nobilium

(21) *Statuta Polon. Tit. de privil jur. Theuton.* (22) *Mindan. de mand. Jud. lib. 2. cap. 67. n. 4.* (23) *Cromer. de Repub. Polon. lib. 2. Neugebaver. Rer. Polon. lib. 3. Stravolsc. in Polon. §. Leges.* (24) *Flor. lib. 4. c. 12.* (25) *Neugebaver. Rer. Polon. lib. 1. Stravolsc. d. §. Leges.*

bilium adminiſtratione temperatam,cum ad judicum Fora Cauſæ delatæ eſſent,hi vel ex conſuetudinibus Patriis,vel ex Jure Saxonico (26) lites dijudicabant, ubi Legum auxilio Cauſarum difficultas indigebat. Leges enim Saxonicæ antiquiſſimæ (27) erant latæ diu ante ætatem *Caroli Magni*, earumque magna Authoritas erat & apud Polonos, & apud multos alios finitimos Germaniæ Populos, qui eas amplexi ſunt; (exceptis iis quatuordecim Articulis Juris Saxonici, quos *Gregorius* Pontifex Romanus damnavit, ut Juri Divino, & Naturali contrarios; eoſdemque poſtea *Alexander* Rex Poloniæ reprobavit, qui in Statutis Poloniæ (28) enumerantur) quod juſtæ in omnibus Cauſis viderentur, & in criminibus præſertim puniendis valde ſeveræ, quo nihil ad Reſpublicas conſervandas magis ſalutare eſſe poteſt. Juris autem Saxonici ſeu *Theutonici* uſus ex privilegio Polonis conceſſus eſt; eaque de cauſa ſtatutum eſt a *Caſimiro* (29), Milites Polonos, qui Jure *Theutonico* omiſſo, regi ſe paſſi ſunt Jure Polonico, ſi deinceps in Judicio conveniantur, non poſſint ſe per Jus *Theutonicum* defendere.

VIII. Primus *Caſimirus Magnus* Leges (30) Polonis cum conſenſu Senatorum & Nobilium ſcri-

(26) *Cromer de reb. Polon. lib.* 2. *Royz. in decis. Lithuan. in præfat. Danb. in Comm. de teſtam. §. qui teſtam. fac. poſſ. n.* 170. *& in proleg. n* 5. *Parthen. Litigios. lib.* 2. *cap.* 2. *Goldaſt. de jurib. & privil. regn. Bohem. lib.* 4. *cap.* 14. (27) *Gryphiand. de Weichbild. Saxon. cap.* 44. *&* 45. *Treutler. Diſp.* 1. *theſ.* 10. (28) *Statut. Polon. p.* 1072. (29) *Statut. Caſimir. ann.* 1368. (30) *Cromer. de Repub. Polon. lib.* 2. *Arniſæ. de jur. Majeſtat. lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 14.

psit; & post eum Reges alii suas Leges aliquas dederunt; & *Ladislaus Jagello* in Statuto suo, edito Anno MCCCCXXIII. mandat Judicibus suis, ne judicia & sententias ferant secundum alios modos & Consuetudines (31), præter eas, quæ in Libro *Casimiri* editæ sunt. Sed maxima pars Legum edita est a *Sigismundo I. & II.* (32); eæque Leges omnes Statuta dicuntur, quæ congesta & edita sunt Anno MDXX. jussu *Sigismundi* Regis per *Johannem Herbortum* Regi a secretis, in quo Rex plurimum Juris Canonici, & Civilis Doctorum (33) operam adhibuit. Et in Statutis Poloniæ aliquoties allegatur Jus Romanum; veluti in Contractibus cum filiofam. in Patris potestate constituto laudatur (34) Senatusconsultum Macedonianum; & ex eo Contractus irritus declaratur, & in aliis multis Jus Polonicum ad Jus Civile accommodatum reperitur.

IX. Ex his in Polonia primo Jus dicitur, eoque deficiente ad Jus Saxonicum Judices recurrunt; & si Jus Saxonicum Causam in Judicio agitatam non exprimat, vel ambiguum sit, Judices non relinquuntur suo arbitrio, sed secundum Jus Civile Romanorum Sententias (35) ferre debent, cum libri Juris Saxonici ex Jure Civili & Interpretationibus

(31) *Ladisl. Jagello in Statut. Polon. cap. de Nobilib. Tit. 3.* (32) *Cromer. d. lib. 2. Naugebav. Rer. Polon. lib. 1.* (33) *Statut. Regn. Polon. Tit. Statut. Stravosc. d. §. Leges.* (34) *Statut. Polon. cap. de Nobilib. Tit. 3.* (35) *Melch. Goldast. de jurib. & privil. Regn. Bohem. lib. 4. c. 15. Christoph. Sturc. in Comm. ad Tit. ff. de Reg. jur. in epist. ad Reg. Polon.*

Jurifconfultorum Saxonicorum (36) petiti fint. Et receptum eft apud Saxones, aliofque Populos omnes, qui Jure Saxonico utuntur, Cafus in Jure Saxonico omiffos (37) ex Jure Civili decidendos effe, Jurisque Saxonici vel ambigui, vel obfcuri Interpretationem (38) a Jure Romano petendam effe. Eft enim Jus Saxonicum Jus Municipale, ftricteque interpretandum (39), ut omnis cum Jure Civili repugnantia evitetur, & intelligatur a Jure Civili deviaffe quam minimum fieri poffit, ut reducatur ad Juris Civilis æquitatem, ubi nimis acerbum videtur, & ubi cum Jure Civili convenit, ut patiatur omnes ampliationes & Interpretationes, quæ in Jure Civili reperiuntur.

X. Poft jus Saxonicum alia Jura Municipalia, fcilicet Jus *Culmenfe*, & Jus *Lubecenfe*, e Germania petita in Regis Poloniæ Dominiis, præfertim in Pruffia & Mazovia (40) admittuntur, quæ cum Jure Saxonico multum conveniunt; & ex iis ita Jus dicitur, ut iis deficientibus, Judices ex Jure Civili Caufas judicent, & ex eo horum Jurium Municipalium Interpretationem petant. Et inter ea Jura municipalia Jus *Cæfareum*, ut Jus commune (41) & præ omnibus fequendum, enumeratur.

XI. De-

(36) *Gryphiand. de Wichbid. Saxon. cap. 36. 37. & 41.* (37) *Goldaft. d. lib. 4. cap. 15.* (38) *Panfem. ann. in refp. inter confil. I. C. German.* (39) *oler. decif. German. 135. num. 11. Idem de Proceff. execut. Epift. ad Duc. Saxon. Beuft. ad l. ad monendi, num. 187. & 876. ff. de jurejur.* (40) *Cromer. de Repub. Polon. lib. 2. Math. Steph. p. 1. difp. 1. vol. 1. Stravolfc. in Polon. §. leges Jus Provinc. Ducat. Pruff. edit. ann. 1620.* (41) *Jus Provinc. Ducat. Pruff. edit. per Marc. Brandeburg. ann. 1620.*

XI. Denique insignis semper fuit Regum Procerumque Poloniæ favor & pietas in Ecclesiam & Episcopos, qui amplam Potestatem & Jurisdictionem Archiepiscopis, Gnesnensi & Leopoliensi, Episcopisque sub iisdem constitutis concesserunt, qui in foro Ecclesiastico cognoscunt (42) de Heresi, Schismate, Magia, Simonia, de Decimis, Censibus, & Reditibus Ecclesiasticis, de cæde Clericorum aut vi iis illata, de Jure Patronatus, Matrimoniis, Legitimatione, de Testamentis aliisque, in quibus eorum Cancellarii & Officiales ex Jure Canonico, eoque deficiente, ex Jure Civili (43) Jus dicunt. Eædemque Causæ omnes in constitutione *Sigismundi* Anno 1532. enumerantur (44); & a *Ladislao Jagello* Cracoviæ constituti sunt Professores Legum & Juris Canonici, cum Studium Generale Cracoviæ institueret (45), quod postea *Urbanus* Pontifex Romanus confirmavit. Ita hi Populi Septentrionales, ad quos Romani fasces non pervenerunt, Romanorum Legibus se submiserunt. Hæc de Polonia. In sequenti Capite progrediendum ad Hungariam.

(42) *Cromer. de Rep. Polon. lib. 2.* (43) *Cromer. d. lib. 2. Neugebaver. d. lib. 1.* (44) *Statut. Polon. per Joann. Herbor. tit. spirituales causæ.* (45) *Statut. Polon. per Joann. Herbort. tit. Schola Cracoviensis.*

C A P. XII.

De Usu & Authoritate Juris Civilis Romanorum *in Regno* Hungariæ.

I. Hungaria est ea provincia, quam Romani Pannoniam inferiorem seu Proconsularem & Daciam vocabant. Hanc incolebant Pannones liberi & suis Legibus utentes, nec a Romanis tentati ante Syllam (1), qui, eos aggressus, turpi victoria repulsus est. Et Romani postea Pannoniorum bello abstinuerunt usque ad Augustum, sub quo Romanorum dominationi cesserunt. Isque in eos exercitum duxit, neque ab iis unquam læsus, neque ullum crimen objiciens, sed militum exercendorum & ex alienis bonis alendorum(2) causa, *omne id justum censens, quod armis potentior contra infirmiorem decerneret*; adeoque vix defendi poterit Suetonius, qui *Augustum* nulli Genti sine justis & necessariis causis bellum intulisse (3), prædicat.

II. Ita Romanis paruerunt usque ad *Constantinum* (4); sub quo, Sede imperii Constantinopolim translata, & Legionibus revocatis, quæ ad repellendos barbaros a limitibus Romani Imperii in Septentrione collocatæ fuissent, Vandali, propriis Sedibus a Gothis expulsi, *Constantini* permissu, eam

(1) *Jo: Sambuc. in Chronolog. Hungar.* (2) *Dio. Cass. lib. 49.* (3) *Sueton. in August. cap. 21.* (3) *Jo: Sambuc. in d. Chronolog.*

eam (5) ingressi sunt, eamque tenuerunt per XL. annos, Eosdem postea Gothi Pannonia (6) expulerunt, ex Fœdere icto cum *Gratiano* Imperatore, usque ad Annum Christi CCCLXXXVII· quo *Hunni*, Gens Scythica, Pannoniam ingressi sub *Arcadio* (fractis jam Romani Imperii viribus) eam (7) tenuerunt, regemque *Attilam* (8) constituunt; qui se flagellum Dei & Terrarum Orbis appellavit, per cujus quidem Tyrannidem Deus Populos Europæos & Asiaticos severe castigavit.

III. Post ejus excessum Ostrogothi Hunnos coegerunt in Scythiam redire (9) Anno 458. & Pannoniam possederut (10) usq; ad Annum DXXVI. quo Longobardi, pulsis Ostroghothis, Pannoniam (11) subjugarunt, iidemque postea, a *Narsete* in Italiam acciti, Hunnis veteribus amicis suis Pannoniam concesserunt (12) Anno DLXVII. Hunnique ex eo tempore (quamvis ab Imperatoribus Constantinopolitanis & deinceps a *Carolo Magno* sæpe debellati) Pannoniam tenuerunt, & ex suo nomine Hungariam (13) appellarunt. Regesque suos habuerunt Idolis servientes usque ad *Stephanum* (14), qui circa annum Christi millesimum, ducta *Gyela* Imperatoris Sorore, sacris Christianis initiatus est.

(5) *Ant. Bonfin. rer. Hungar. lib. 2. Decad. 1. Jo: Sambuc. in d. chronolog.* (6) *Oros. lib. 7. histor. cap. 32. Jo: Sambuc. in chronolog.* (7) *Jo: de Thurocz. in cronic. Hungar. cap. 13. Mich. Ritius. de Regib. Hungar. lib. 1. Bonfin. lib. 3. decad. 1. Sambuc. in chronol.* (8) *Thurocz. in d. cap. 13. Mich. Rit. d. l. 1. Bonfin. & Sambuc. in loc. citat.* (9) *Bonfin. & Sambuc. ibid.* (10) *Bonfin. & Sambuc. ibid.* (11) *Bonfin. lib. 7. Dec. 1.* (12) *Bonfin. d. lib. 7. Thurocz. Chron. Hungar. cap. 10. 11. Rhenan. lib. 1. rer. Germanic.* (14) *Bonfin. lib. 10. Dec. 1.*

Et ex eo tempore Hungari Fidem Christianam amplexi sunt.

IV. Post *Stephanum* habuerunt Hungari Reges suos continua serie succedentes, sed Procerum Populique suffragiis creatos usque ad *Ludovicum*; ex cujus filiæ *Mariæ* Nuptiis cum *Sigismundo* Rege nata est *Elisabetha*; quæ deinceps, nupta *Alberto Austriaco* (15) Imperatori, Coronam Hungaricam deduxit in familiam Austriacam. Principesque Austriaci ex eo tempore Regnum Hungariæ cum Imperio Germanico tenuerunt.

V. Reges vero Hungariæ se liberos esse ab omni dominatione sive Imperatoris, sive Pontificis Romani asserunt. Et licet Pontifices Romani dicant, hos Reges Hungariam Jure Feudi (16) à Sede Romana habuisse, eidemque Censum annuum præstare debere; illius tamen Potestatis non aliam probationem edunt, quam ex actis (17) Vaticanis, & ex Pontificum Epistolis (18) Decretalibus. Ad quæ respondent Hungari, Pontifices in suâ Causâ nec Testes, nec Judices idoneos (19) esse; Regesque Hungariæ immunes ab omni Dominatione Imperatorum, & Pontificum, Jurisconsulti (20) communiter tradunt.

VI. Po-

(15) *Bonfin. lib. 1. Dec. 2. Mich. Rit. de Reg. Hungar. lib. 1. & 2. Borrel. de de Cath. Reg. Præstan. cap. 46.* (16) *Azor. Institut. Moral. par. 2. lib. 11. c. 5. Bodin. lib. 1. de Repub. cap. 9.* (17) *Bodin d. cap. 19.* (18) *C. licet. de vot. redempt. c. intellecto 33. jurejur.* (19) *L. omnibus 9. C. de test. §. 9. Instit. de Testam.* (20) *Afflict. in Const. Napol. in prælud. qu. 2. Azor. Instit. Moral. p. 2. lib. 11. c. 5. Jus Consuet. ad. Hungar. in proleg. tit. All. Engelb. Abb. de ort. & success. Rom. Imp. cap. 16.*

VI. Poteſtas autem Regum Hungariæ ita temperata eſt ſicut in Polonia. Neque enim Reges poſſunt Leges condere ſine conſenſu Populi (21): quæ tamen, poſtquam conditæ ſunt, Principis non Populi Statuta nominantur: ea vero quæ a Rege ſolo conſtituuntur, Decreta appellantur. Et ex hac Poteſtate Regum limitata videtur emanaſſe, quod cum *Andreas* Rex Hungariæ tanſtuliſſet in Venetos omne Jus ſuum in Dalmatia pro vectura exercitus ſui in Palæſtinam: mandat *Honorius* III. Pontifex (22) eam Alienationem revocari, quia non poterat ſucceſſorum ſuorum Jus minuere. Et Reges Hungariæ, cum Corona induuntur, omnia Jura Coronæ illibata ſervare, juramento (23) promittunt.

VII. Præter Leges Hungariæ eſt Jus Regni Conſuetudinarium, quod in ſcripta redactum eſt per *Stephanum Verbetrium* (24) Juriſconſultum doctiſſimum, ad Mandatum Regis anno MDXIV. continetque totum Proceſſum Judiciarium in Hungaria, qui conſtat (25) ex Regum Decretis, ex Principum Privilegiis in Judiciis approbatis, & Sententiis Judicum, quæ ex longo uſu in Conſuetudinem tranſiverunt. Inter has vero Leges & Conſuetudines Hungariæ non poſſumus expectare, ea Juris Romani veſtigia a Gente, armis potius quam

(21) *Steph. Werbentz. in oper. Tripart. jur. Hungar. pag. 2. titul. 3.*
(22) *Ciron ad c. intellecto. num. 5. de jurejur. in compilat. Honor.*
(23) *D. c. intellecto. de jurejur. Arumæ. de Comit. cap. 3.* (24) *Steph. de Werb. in oper. tripartit. jur. Hungar. in præfat. Nic. Iſtvans. de reb. Hungar. lib. 4. in fin.* (25) *Steph. de Werb. in oper. tripart. jur. Hungar. pag. 1. tit. 6.*

Legibus semper intenta, qualia habemus apud reliquas Gentes Europæas, quæ, sub Regibus plerumque suis, pace & otio magis gavisæ sunt; cum nulla Gens inter Europæas tot Dominiorum mutationes, & funestas bellorum clades passa fuerit,

VIII. Illud tamen apud Hungaros omnes receptum est (26), Leges Hungariæ a Juris *Cæsarei* & *Canonici* fontibus promanasse, præsertim vero ex Jure *Cesareo* petitas fuisse; Consuetudines Hungariæ compositas(27)fuisse ad normam & methodum Juris Civilis Romanorum; Processum Judiciorum, qui in Hungaria hodie servatur,adductum fuisse(28) e Gallia per *Carolum* Regem Hungariæ,quem e Jure Romano petitum fuisse vulgo notum est. Hungarique Leges Romanas multis præconiis(29) semper ornatunt; & inter tot armorum strepitus Hungaria semper habuit Viros insignes scientia Legum, & Literarum Romanarum, & superiore sæculo (30) *Joh.Sambucum*, *Audr.Dudithium, Janum Pannonium*,aliosque Viros clarissimos produxit.

IX Denique Hungaria fuit olim Imperii Romani, contra Nationes Scythicas, posterioribus Seculis Orbis Christiani contra Turcarum arma Antemurale & Propugnaculum (31); eademque superiore Seculo valde imminuta fuit (32) captis Bel-

(26) *Steph. Werb.d.p.2.tit.6.* Dan. *Cromer. inter. resp. Nicol Reusner..vol.3.cons.24.* (27) *Steph.de Werb.d.p.2.tit.6.* (28) *Werb.d. p 2.lib.6.* (29) *Martin.Schodel.in disquisit.de regn.Hung.* (30) *Thuan lib.19. & 61.* (31) *Pii II. Orat. Suasor. pro bell. Turc. inseren. Aud. Dudith. Orat.1. in Concil. Trident.* (32) *Thuan. histor. lib.1.*

Belgrado, Buda, Strigonio, Alba Regali, Quinque Ecclesiis, aliisque Præsidiis. Partesque reliquæ Hungariæ ad Septentrionem Danubii, in Poloniæ & Cassoviæ finibus, Turcarum continuis incursionibus obversantur. Et communibus omnium Christianorum precibus rogandus est clementissimus Dominus noster Jesus Christus, ut velit Hungariam, Orbis Christiani limitem, contra immanis Tyranni potentiam & furorem, conservare.

C A P. XIII.

De Usu & Authoritate Juris Civilis Romanorum *in Regno* Daniæ.

I. REgnum Daniæ continet Australem partem Cimbricæ (1) Chersonesi, & plures insulas in Sinu Balthico, cui deinceps Norvegia & Holsatia accesserunt. Danorum Gens, a Gothis orta, armis semper fuit potentissima, quibus alias Nationes exteras sæpe afflixit, ipsa ab aliarum Gentium armis immunis. Neque enim constat, Daniam Imperatoribus Romanis paruisse, neque ab iis in Provinciæ formam redactam fuisse, neque eorum nomen Orbi innotuisse ante ætatem *Justiniani* (2) nostri, sub quo Galliam invaserunt. Danorum vero victoriæ de Gentibus aliis a se debellatis sunt celeberrimæ (3) quorum Reges vel Duces Hiberniam, Angliam, Scotiam

(1) *Cromer. de regn. Polon. lib. 5. Thuan. lib. 5.* (2) *Camden. in Britann. S. Dani.*

tiam, Saxoniam, Sclavoniam, Livoniam, Curlandiam, Poloniam, Russiam, Sveciam, Norvvegiam, Islandiam sæpe devicerunt, earumque (4) plurimis Reges eorum imperarunt, easque aut Tributarias aut Censuales reddiderunt.

II. Scriptores autem rerum Danicarum asserunt, Danos suos semper Duces, & Principes habuisse continua serie succedentes, per Annos MXL. ante Christum natum; eosdemque se ab armis & Dominio populi Romani & *Cæsarum* liberos conservasse; & in illa dominatione, quam sibi assumunt Imperatores in multos Principes Europæos, Danorum Reges se iisdem non subesse, semper (5) prædicarunt; Regumque suorum in Danos Imperium pæne cum ipso Orbe (6) ortum esse.

III. Quamvis vero *Petrus* Danorum Rex, Coronam & dignitatem Regiam a *Federico* I. Imperatore (7) acceperit, pluresque Reges Daniæ insequentes fidem & obsequium Imperatoribus juramento præstiterint: eaque de causa aliqui Scriptores rerum Danicarum, & Jurisconsulti tradant, Reges Daniæ esse Principes Feudatarios (8) sub Imperio Romano; Libertatem tamen antiquam jam-
diu

(3) *Krantz. in Dan. per tot. Krantz. in Norveg. lib. 1. cap. 28. Meurs. histor. Dan. lib. 2. & 3.* (4) *Krantz. in Danic. lib. 1. cap. 2. & seqq. Isaac. Pontan. rer. Danic. lib. 1.* (5) *Krantz. in Dan. lib. 1. cap. 2. & seqq.* (6) *Krantz. in Dan. Morisot. Orbori Marit. lib. 2. cap. 15.* (7) *Krantz. lib. 6. Dan. cap. 17. Loysean. des seigneur. cap. 2. num. 80.* (8) *Helmold. lib. 1. histor. Sclav. cap. 91. Cujac. lib. 1. de feud. tit. 1. Hornman. de feud. cap. 8. Bodin. lib. 1. de rep. cap. 3. & 9. Choppin. lib. 3. de doman. Franc. Tit. 26, num. 5. Arnisæ. de jur. Majest. lib. 1. cap. 1.*

diu vendicarunt Daniæ Reges. Et Senatores, Proceres, Ordinesque Regni Danici diu contenderunt, Reges suos non potuisse Regnum alterius Principis Dominationi, sine consensu suo, subjicere; neque potuisse *Petrum* Regem, *Frederici* dolo circumventum, Successores suos lædere. Ideoque Reges Daniæ non esse Imperatoribus obnoxios, sed esse Supremos Principes, neminemque superiorem recognoscere, Historici & Jurisconsulti (9) probant.

IV. Illud tantum a Danis conceditur, Regem suum pro Ducatu *Holsatiæ* (10) esse Imperatori subditum; inter Ordines & Status Imperii annumerandum; & Jurisdictioni *Cæsareæ* debere parere, eodem modo, quo reliqui Ordines & Principes Imperii; & quemadmodum Rex Hispaniæ pro Ducatu Burgundiæ Imperatori subest.

V. Idcirco Daniæ Reges ut alii Principes Supremi, condunt Leges etiam Juri Romano (11) repugnantes, utuntur Legibus & Consuetudinibus suis, easdemque ad alias Gentes traduxerunt. Atque ita *Gulielmus* Rex noster Jure Conquestoris usus, cum Leges pro Anglis debellatis quæreret, Danicis præsertim Legibus (12) usus est, ex amore in gentem Danorum, a quibus Normanni orti sunt. Neque ad Leges Romanas tenentur Dani ex vi Imperii, sed solius Rationis, ex qua Leges Romanas suis

(9) *Lud. Schrader. consf. 3. num. 31. Gail. de pac. publ. cap. 6. num. 14. Laur. Kirchovius Tom. 4. Consil. Germ. consf. 17. num. 18 Valent. Mintber. in Parthen. litigios. lib. 1. cap. 16. nu. 32.* (10) *Gail. de pac. publ. cap. 6. num. 14. Mich. Steph. de jurisd. p. 1. c. 1. membr. 2. num. 19.* (11) *Lud. Schrader. consf. 3. num. 31.* (12) *Rog. Hoved. annal. p. 2. in Henr. 2.*

suis Legibus immiscuerunt: nullas enim Leges scriptas habuerunt Dani ante *Valdemirum* Regem, qui Anno Christi MCCXXXII. Leges & Statuta priorum Regum collegit, easque una cum prioribus Legibus Cimbricis, & Danicis composuit, aliasque addidit (13) in publicis Regni sui Comitiis, ejusdemque Leges Dani deinceps valde laudarunt, & secuti sunt.

VI. Ante *Valdemirum* Danos usos fuisse Jure *Cæsareo*, testantur Scriptores Historiæ (14) Danorum: illud enim colebatur & ab exteris, qui Collegiis & Monasteriis præfecti erant, & a Danis, qui Jus *Cæsareum* in Academiis Galliæ & Italiæ didicissent. Post *Valdemirum* autem, Legesque ab eo compositas, Dani magis se accommodarunt ad Jus Civile & Canonicum: quia Leges Daniæ maxima ex parte ex Jure Civili & Canonico (15) desumtæ sunt: & Scriptores Danici, se sub Legibus & Statutis Romanorum & Canonum vivere (16) gloriantur. Danosque etiam laudat *Helmoldus* (17) pro bonarum Artium scientia & peritia Juris Canonici & Civilis, quam suo seculo Lutetiam proficisci soliti acquirebant.

VII. In Holsatia ex alia ratione Jus *Cæsareum* admittitur: quia Holsati (18) utuntur Jure Romano & Lubecensi, quod ex Jure Saxonico compositum

(13) *Isaac. Pontan. histor. Danor. lib. 6.* (14) *Pontan. d. lib. 6.* (15) *Georg. Loric. in addit. ad consil. poster. num. 92.* (16) *Loric. d. num. 92.* (17) *Helmold. lib. 3. Chron. Sclavor. cap. 5.* (18) *Cothman. resp. 40. num. 52. Avity. in descript. German. §. Holsace. Jon. ab Elzaveri. tract. de Holsat.*

situm, deinde a Jure *Cæsareo* Interpretationem accipit, & ab eo in casibus omissis ad Jus *Cæsareum* recurritur. Ideoque a Sententiis in Holsatia latis ad Cameram Imperialem appellatur, in qua omnes Causæ ex Jure Romano Judicantur.

VIII. Denique Leges Romanæ ad Islandiam (ultimam Tulen) penetrarunt; iique, qui ejus Gentis Leges (19) commemorant, easdem Juri *Cæsareo*, & *Canonico* valde consentaneas esse, tradiderunt.

CAP.

(19) *Angrim Jonæ tract. de Island.*

CAP. XIV.

De Usu, & Authoritate Juris Civilis Romanorum *in Regno* Sveciæ.

I. **S**Veci Danis finitimi cum iisdem in multis conveniunt; Gentis origine, utrique Gothis oriundi, in utriusque Gentis antiquitate, in mutua utriusque Gentis Societate, per quam sub uno Rege sæpe coaluerunt, in moribus, institutis, & Legibus, in quibus magna inter utramque Gentem similitudo perpetuo intercessit.

Scythas autem Svecos, Getas, & Gothos fuisse eundem semper Populum, licet a variis Gentibus diversis nominibus appellentur, Sveci (1) asserunt; & in hoc amplissimum Septentrionis Imperium, ab antiquissima Seculorum memoria, in hoc Svecorum, & Gothorum Regnum coaluisse. Neque enim constat, Gothos habuisse alibi fixam sedem & domicilium, quam in (2) Svecia: sed ex ea in omnes Romani Imperii partes, Italiam, Hispaniam, Galliam, & Germaniam dimanaruut, ubi sæpius dominati sunt, ipsique, præ aliis Populis omnibus, Romanum Imperium dissiparunt; siquidem *Æmilianus*, & *Volusianus* Impp. cum iis Fœdus pepigerunt: *Gallus* Imp. Tributum Gothis solvere (3) spopondit.

Quæ

(1) *Joh. Messen. in edit. leg. Svecic. in epist. ad Gust. 2. Reg. Svec.*
(2) *Leg. Svec. & Gothor. lib. 2. cap. 1.* (3) *Ola. Magn. lib. 6. de Gothor. & Svec. Histor. cap. 12.*

quæ res omnem ignominiam excedit, quæ unquam Romano Nomini irrogata est. Ab *Alarico*, & *Athaulpho* Gothorum Regibus Roma capta & direpta est; & *Athaulphus*, ingenti Romani Nominis delendi libidine inflammatus, Romæ Sedem figere, eamque pro Roma Gothiam & Imperium Romanum, Imperium Gothicum appellare (4) statuerat, nisi precibus uxoris suæ Placidiæ (quæ fuit *Honorii* Imp. soror) delinitus, ab eo consilio destitisset. Ipsi interea a Romanis non aliud passi sunt (5), quam quod aliquando ingressi limites Imperii Romani per potentissimos Romanorum exercitus repulsi, in sedes suas redire coacti sunt, quod sub *Trajano* & *Adriano* Impp. contigit; Suecique in Regno suo nunquam a Romanis debellati sunt, sed habuerunt Reges suos, qui a Noaci diluvio (6) Sveciam tenuerunt; dum Populi ad alia Regna acquirenda se diffunderent, Regesque eorum continua serie succedentes a Scriptoribus (7) rerum Svecicarum enumerantur, qui tamen electionis Jure, non per parentum successionem, ad Regnum admittuntur (8).

III. Inter Danos & Svecos ex vicinitate quandoque odia, quandoque Societates contractæ sunt; Svecique, a Danis aliquando debellati, sub jugum Danorum (9) redacti sunt; Danique rursus a Sve-

(4) *Oros. lib. 7. cap. 45. Is. Pontan. Danic. histor. lib. 2.* (5) *Krantz. in Suec. lib. 2. cap. 3.* (6) *Soter. in histor. Reg. Svec.* (7) *Krantz. in Svec. Jo. Magn. de Gothor. Regib.* (8) *Leg. Svec. & Gothor. lib. 2. cap. 3.* (9) *Kratz. in Svec. lib. 1. cap. 19. Jon. Koldrinc. in Descrip. Dan. in Margaret. Regin. 95. Jon. Mag. de Goth. Regib. lib. 7. cap. 1.*

a Svecis victi Regibus Sveciæ (10) paruerunt; & sopitis rursus inimicitiis, ex mutuo Fœdere electi sunt Reges alternis vicibus, qui utrumque Regnum (11) tenerent. Sed a *Christiani* primi Comitis Oldenburgiæ tempore (12) Anno MCCCCXLVIII. electi Regis Daniæ, Svevi *Carolum*, *Canuti* Regis Daniæ filium, Regem (13) constituerunt, & exinde uterque Populus suos Reges habuit; quæ omnia ab utriusque Gentis Historiarum Scriptoribus luculente narrantur. Et a nobis præsertim memorandi sunt Sveci, quod Angli & Sveci perpetua Fœderis Societate contra Danos (14) conjuncti fuerint.

IV. Eandem vero a Romanorum Imperatorum Dominatione immunitatem Sveci, quam Dani, vendicant, & Svecorum Reges esse liberos a Romano Imperio, neminemque Superiorem recognoscere Jurisconsulti (15) similiter asserunt; atque ideo Svecos non obligari Romanis Legibus, sed inter eas Gentes recensentur (16), quæ suis Legibus & Moribus utuntur.

V. Legum autem Svecorum primum conditorem

(10) *Krantz. in Svec. lib.1. cap. 31. & lib.2. cap.24. Jon. Koldring. in descript. Svec. Saxo. Gram. histor. Dan. lib.8.* (11) *Jo. Magn. de Goth. Regib. lib.4. cap.10. & lib.1. cap.1. Krantz. in Svec. lib.5. cap.1.9. & 38. Jon. Koldring. in descrip. Dan.* (12) *Jo. Koldring. in histor. Reg. Dan. Reg. 98.* (13) *Thuan. lib.1.* (14) *Jo. Magn. de Goth. Regib. lib.17. cap.18.* (15) *Kirchov. Tom.4. Consil. Germ. cons.27. num.28. Parisien. Litigios. lib.2. cap.2. num.32.* (16) *Jo. Andr. ad c. super specula & ibid. Hostiens. de Privileg. Nicol. Bets. de pact. famil. illustr. c.1. num.26. Choppin. de Com. Gall. Consuetud. p.2. §.4.*

torem fuisse *Zamolxim* Sveci (17) asserunt, easdemque a Pythagora accepisse, quæ cum deinceps pro temporum & rerum varietate mutationem postularent, Reges Svecorum ex Jure Naturali, Divino, Canonico, & Imperiali (18) eas in multis immutasse: ita enim *Ingonem II.* Anno CM. *Canutum* Anno M. C. LXVIII. *Jerlerum* Anno M. CC. LI. Leges Svecicas mutasse, & ad mores Christianos ac commodasse; easdem per Regem *Birgerum* Anno M. CC.XCV. fuisse iterum reformatas; & demum ex mandato *Christophori* Svecorum Regis Anno M. CD.XLI. novum Codicem Legum Svecicarum fuisse compositum per *Nicbol.Ragnaldi* Archipræsulem Ubsalensem, qui Diplomate Regio confirmatus est. Idemque postea Anno M. D. LXXXI. Latino sermone donatus est a *Regnaldo Ingemundi* Decretorum Doctore, & Archidiacono Ubsalense, & per *Johannem Messenium* Stockholmiæ nuper (Anno M.DC.XIV.) editus est, iisdemque Legibus Sveci hodie utuntur.

VI. Verum a gente bellicosissima (quorum arma hodie Europa patitur) non possumus expectare adeo exactam Legum formam, cum aliqui Sveciæ Reges prohibuerint (19) Advocatos causarumque Patronos, & sanxiverint, ut unusquisque suam causam coram Judice proponat.

VII. Unde apud Svecos pauca habemus Legum Romanarum indicia, cum Romani Leges suas

(17) *Jo.Messen.in d.epist.ad Gustav.* (18) *Jo.Messen.in d.epist.*
(19) *Avity. in d.tit.du Roy. de Svede.*

nunquam Svecis imposuerint. Et de Svecis queruntur Germani (20), quod Leges Romanas videantur contemnere, quæ omnes aliarum Gentium Leges interpretandi artem continent.

VIII. Ideo redeundum est ad Germaniam, quæ Leges Romanas semper amplexa est, & in Bohemia concludemus; quæ licet Germaniæ (21) pars sit, tamen se liberam esse ab Imperio Romano asserit, & inter Septentrionalia Europæ Regna recensetur.

(20) *Besold.differt.de libr.jur.cap.11.* (21) *Æne. Silv. lib.1. histor.Bohem.cap.1 Jo.Dubrav.histor.Bohem.lib.1.Choppin. de Com.Gall. consuet.d.p.2.§.4.*

C A P. XV.

De Usu & Authoritate Juris Civilis Romanorum *in Regno* Bohemiæ.

I. Bohemia est pars Germaniæ (1), intra Sylvam Hercyniam undiquaque conclusa: in quam primo Boji Galliæ Cisalpinæ Populi a *Julio Cæsare* sedibus suis pulsi (2) migrarunt, & incultos Herciniæ Sylvæ campos incoluerunt; iidemque, per Quados seu Marcomannos non diu postea infestati, Bohemia relicta, in Noricum vicinum concesserunt, quæ nunc Bavaria dicitur.

II.

(1) *Thuan. lib.2. Jo. Dubrav. histor. Bohem. lib.9. in princ.*
(2) *Dubrav. histor. Bohem. lib.1.*

II. Marcomanni (3) fub Duce fuo *Marobudo Bojis* fuccedentes vicinos Populos fubjugarunt, & ex potentia fua in focietatem Romanorum fub *Nerva* & *Trajano* admiffi, in magnum Imperii faftigium pervenerunt: in quo manferunt ufque ad Romani Imperii vires fub *Valentiniano* imminutas. Ex quo tempore Vandali (4), aliique Populi ex Sarmatia, Marcomannis fere omnibus deletis, Bohemiam iterum quafi incultam reliquerunt; & eam poftea ingreffi funt alii Populi (5) ex Croatia vel Ruffia, quorum Pofteri Bohemiam tenuerunt, a Germanicis nationibus diftincti lingua Illyrica feu Sclavonica (6), qua foli ex Germanis hodie Bohemi utuntur.

III. Bohemi, ex Croatia præfertim orti, in Bohemiam commigrantes primo conftituunt Principem (7) *Czechum*, qui inter eos non alia poteftate ufus eft, quam Judicis & Prætoris, ex æquo & bono, fine fcriptis Legibus, gubernans. Huic fucceffit *Crocus*, eoque mortuo *Lybuſſa* (8) virgo, ejus filia, per quatuordecim annos Bohemis Jus dixit, cujus memoria apud Bohemos adhuc celebratur: eademque ex vaticiniis, velut altera *Sybilla*, magnam fibi authoritatem conciliavit. Verum, Bohemis fœminei Imperii pertæfis, ipfa ex divinatione maritum accipit *Przemyslaum*, qui Dux & Princeps

(3) *Paterc.lib.2. Dubran.d.lib.1.* (4) *Cromer.de reb.Polon.lib.1. cap.14.* (5) *Cromer.d.cap.14.* (6) *Thuan.lib.2. Cromer.d.cap.14.* (7) *Æne.Sylv.hiftor. Bohem. cap.3. Dubran. lib.1. Alb. Miræ. de rebus Bohem.cap.2.* (8) *Æne.Sylv.hiftor.Bohem.cap.5. Dubran. lib.1. Cofm. Pragen.chron.lib 1.*

a Bohemis constitutus (9) est, circa Annum Christi DCC.X. cui successit *Neramyslas* filius, & post eum alii Principes, quandoque Patribus succedentes, quàndoque a Populo cooptati usque ad *Vratislaum*, qui Anno M.LXXXVI. ab *Henrico* Imperatore Rex (10) Bohemiæ creatus est, (quam dignitatem ab *Ottone* Imperatore oblatam *D. VVenceslaus* antea (11) repudiaverat) cum Principes Bohemiæ ante eum Ducum titulo solo usi fuissent. Et in rescriptis Pontificum *Alexandri III.* & *Innocentii III.* hi Principes appellantur Duces (12) Bohemiæ; & post eos *Ladislaus* a *Frederico I.* Insignia Regia accepit (13) Anno M. C. LIX. quos plures Bohemi reprehendunt, existimantes, consultius eos fecisse si, exemplo *D. VVenceslai*, Coronam & Insignia Regia a Germanis oblata rejecissent.

IV. Sed ex eo tempore in Bohemia successerunt Reges. Idemque Regnum jam est penes Austriacos, qui illud ab Anno M.D. XXVI. tenuerunt, quo *Ferdinandum* Austriacum (14) Ordines Bohemiæ Regem elegerunt. Ad Règnum Bohemiæ accesserunt postea Moravia, Silesia, & Lusatia per eundem *Henricum IV.* Imperatorem adjectæ (15) quæ Dignitatem & Potentiam Regni Bohemici multum augent.

V.

(9) *Æne. Sylv. histor. Bohem. cap. 6. Dubrav. lib. 2. Alb. Miræ. de reb. Bohem. cap. 2.* (10) *Æne. Sylv. histor. Bohem. cap. 22. Dubrav. lib. 9.* (11) *Æne. Sylv. histor. Bohem. cap. 24.* (12) *C. constit. 46. de testib. c. veniens. 15. de accusat.* (13) *Æne. Sylv. histor. Bohem. cap. 24. Loysean des seigneur. cap. 2. n. 82. Arumæ. ad aur. Bull. discurs. 4. & 5.* (14) *Alber. Miræ. de reb. Bohem. cap. 3.* (15) *Æne. Sylv. histor. Bohem. ca. 22. & Dubrav. lib. 9.*

V. Reges vero Bohemiæ non eandem habent immunitatem ab Imperatorum Dominatione, quam reliqui Principes Europæi. Eos enim Imperatoribus fuisse aliquando Tributarios & Feudatarios (præsertim pro Moravia, Silesia, & Lusatia) multi tradunt (16); eos Coronam & insignia Regia ab Imperatoribus habuisse, (17) constat; iisdem Imperatores multa Privilegia indulsisse (18); (quorum acceptatio submissionem & subjectionem denotat) eorum Dominia esse Imperii Germanici Provinciam (19); eos habere munus Electoris in Comitiis pro Imperatore eligendo; eos inter Germaniæ Principes (20) annumerari, Regesque Bohemiæ in Camera Imperiali in causis, præsertim violatæ Pacis publicæ & Justitiæ denegatæ vel protelatæ, posse in Jus (1) vocari. Et Jurisconsulti Gallici tradunt, solos Reges Bohemorum ex Europæis *Cæsari* (22) subjici, Regesque Bohemiæ non tam reipsa, quam appellatione (23) Reges esse.

VI. Et quamvis Reges Bohemiæ contendant pro libertate sua, se non teneri Constitutionibus (24) Imperii, sed uti Legibus suis; nec ad contributiones & collationes Imperii obligari; nec in Imperii

 Cir-

(16) *Helmold. annal. Slavor. cap. 1. Cromer. de reb. Polon. lib. 2. & 24. Franc. Hottom. in dissert. feud. cap. 8. Arumæ. ad aur. Bull. discur. 5.* (17) *Arumæ. ad aur. Bull. discur. 4.* (18) *Aur. Bul. cap. 7. Besold. in discur. polit. cap. 7. n. 10. Arumæ. ad aur. bull. discurs. 5.* (19) *Arumæ. d. discurs. 4. Besold. d. cap. 7. n. 10.* (20) *Th. Micp. de jurisdict. conclus. 22. & 54. Besold. d. cap. 7.* (21) *Mich. Goldast de jurib. & privileg. Regn. Bohem. lib. 4. cap 13. n. 19. & 21. Arumæ. ad aur. Bull. discur. 6. conclus. 18.* (22) *Choppin. lib. 2. de doman. Franc. tit. 1. n. 15.* (23) *Bodin. lib. 1. de Repub. c. 8.* (24) *Arumæ ad aur. Bul. discurs. 4. Besold. d. cap. 7. n. 10.*

Circulis comprehendi, & præter casus expressos, se Imperatoris vel Cameræ Imperialis Jurisdictioni non esse (25) obnoxios. Germani retorquent, exemtionem a Foro non inducere immunitatem (26) a Suprema Potestate; & Imperatorum Privilegia, Regibus Bohemiæ concessa, non esse intelligenda privative (27), ut se & Successores excluderent, sed ut cum iis concurrerent; neque potuisse Imperatores ex abdicatione suæ Potestatis Jus Successorum (28) imminuere.

VII. Reges Bohemiæ tamen in Subditos suos eandem Potestatem sibi vendicant, quam reliqui Supremi Principes; & potestatem Imperatorum admittunt solum in universum Regnum (29), non in singulos Cives, & Subditos Bohemos, siquidem non sint sub Imperatorum potestate & Jurisdictione; eos non posse coram Imperatore aut ad Cameram Imperii evocari, nisi testimonii solius dicendi (30) causa; a sententia Regis Bohemiæ non posse eos appellare (31) ad Imperatorem, sed superesse tantum Remedium supplicationis, eamque Regi Bohemiæ esse (32) porrigendam, & nisi Rex eam admittere recusaverit, ad Imperatorem vel Cameram, non nisi ex causa denegatæ Justitiæ (33), esse recurrendum.

VIII.

(25) *Goldast. lib. 4. cap. 13.* (26) *Th. Mich. de jurisd. conclus. 22.* (27) *Muscorn de jurisd. cap. 2. n. 34.* (28) *Bald. in proœm. ff. n. 32. Goldast. d. cap. 13. n. 31.* (29 *Goldast. d. lib. 4. c. 13. n. 15.* (30) *Goldast. d. c. 13. n. 29. Rulant. de commiss. tr. p. 1. cap. 2. n. 25.* (31) *Aur. Bull. tit. 8. §. 1. Goldast. d. c. 13 n. 8.* (32) *Besold. de appellat. c. 2. n 20. Arumæ. de aur. Bull. discurs. 5. conclus. 17.* (33) *Goldast. d. cap. 13. num. 32.*

VIII. Bohemi ſub primis Ducibus & Regibus ſuis non habuerunt alias Leges, quam Conſuetudines ſuas,& Statuta Conſtitutioneſque Principum ſuorum. Neque enim Germanorum Leges admiſerunt, ſed tantum, deficientibus Statutis ſuis, pro cauſis dijudicandis recurrebant ad Jus Saxonicū(34), quod commune Bohemis (45) & Polonis eſſe, Imperatores *Othones I. & II.* voluerunt. Eoque Jure uſi ſunt Bohemi uſque ad *Carolum IV.* Imperatorem, qui ante ſuſceptam Coronam Imperialem Bohemiæ Rex erat, eaque de cauſa in aurea Bulla multa Privilegia Bohemiæ Regibus conceſſit, Bohemiſque Regis ſui eligendi facultatem indulſit. Ideoque pro ornando & confirmando Bohemiæ Regno Leges & Conſtitutiones Bohemicas in ſcripta redegit, ne Judicum arbitria pro Jure haberentur, quod antea apud eos invaluerat, ut narrat *Dubravius* (36), *quia arbitria ſæpe variantur, Jus autem ſcriptum eadem ſemper voce loquitur, & unicuique quod ſuum eſt juſte tribuit*.

XI. Inter has denique Legum mutationes Bohemi ſemper Jus Civile Romanorum admiſerunt: nam, dum Jure Saxonico utebantur, cum eo ita conjunctum erat Jus Romanum, ut non aliam Interpretationem, quam a Jure Romano acciperet, & cauſarum judicia, deficiente Jure Saxonico, a Romano peterentur, quod ſupra (37) ſatis probatum

 eſt.

(34) *Spec. Saxon. & Weichbild. Magdeburg. art. 10.* (35) *Goldaſt. d. cap. 15. num. 3.* (36) *Dubrav. hiſtor. Bohem. lib. 22.* (37) *Lib. 2. cap. 2. & 11.*

est. Postquam vero Leges Bohemicæ scriptæ sunt, licet Bohemia numeretur inter eas Gentes Septentrionales, quæ Legibus & Consuetudinibus suis (38) reguntur, concors Jurisconsultorum omnium sententia (39) est, & in Bohemia & in Germania universa, Jus Romanum esse eorum Jus Commune. & deficientibus eorum Constitutionibus & Statutis Municipalibus, ad Jus Civile Romanorum omnium usu receptum esse recurrendum.

X. Et sic a Germania incipientes, per amplissimas Europæ Provincias in circulo progressi, ad Germaniam (cujus Bohemia pars est) iterum redivimus, in qua solæ reliquiæ illius Magni Imperii jam inclusæ continentur; reliqui omnes illius proceræ Arboris rami in Asia, Africa, & Europa avulsi sunt. Hæ vero reliquiæ cum sint umbra tantum, & imago Magnitudinis Romanæ, Divinæ Providentiæ Gloriam nobis exhibent, quæ, licet magnam illius Imperii molem, ut fumum, dissipaverit, voluit tamen Leges Romanorum apud Gentes Europæas, ut veram justitiæ & prudentiæ Civilis Normam, conservari; quas, una cum Fidei Christianæ lumine, & literarum omnium Scientia, solis Europæis concessit. Et in hac Divinæ Potentiæ simul & benignitatis contemplatione attoniti hæremus omnes, & obstupescimus; quod, extincta fe-

re

(38) *Joh. Andr. & Hostien. ad c. super specula. de privileg. Bots. de Pact. famil. illustr. cap. 1. n. 20.* (39) *Ordinat. Camer. p. 2 tit. 13. & 57. Mynsig. cent. 5. observ. 96. Gail. lib. 1. observ. 36. Goldast. de jurib. & privileg. regn. Bohem. lib. 4. cap. 15. n. 10.*

re *Cæsarum* Dominatione, Legum *Cæsarearum* Imperium adhuc apud Europæos omnes manet: iidemque, excusso jugo servitutis Romanæ, Legibus Romanis sponte (40) se subjiciunt, quas etiam illæ Gentes amplexæ sunt, ad quas Arma Romana non (41) pervenerunt: quod hactenus in singulis Principum Europæ Dominiis demonstrare conati sumus. Nunc tantum mihi reliquum est, ut cum benigno Lectore meo paucis concludam.

(40) *Pasq.Recherch.li.9.cap.38.* (41) *Alber.Gentil.de Arm. Roman. l.b.2.cap.13.*

Conclusio operis ad Lectorem.

TAndem ad Lectorem meum me converto. Si cui animus & otium fuerint hæc nostra perlegisse, sive exterum sive nostratem; ab exteris audaciæ culpam deprecor, quod Britannus, a reliquo orbe divisus coram iis de ipsorum Legibus, ut *Phormio* coram *Annibale* (1), differere ausus fuerim, quorum nec Mores exploraverim, nec Regiones inviserim. Mihi quidem, ad multos annos elapsos, in peregrinatione mea Galliam, Italiam, & Germaniam perlustrare contigit, in quarum Academiis Leges Romanas, e Cathedris Professorum splendide explicatas audivi: sed qui in earum Tribunalibus & Curiis non fue-

(1) *Cic.de Orator.*

fuerim versatus, in Legibus earum hospes mansi; cum receptum sit ab omnibus Jurisconsultis (2), Leges magis ex usu, & praxi, quam ex libris, disci; in Academiis deliberari tantum legum Flores, in Foro & Curiis fructus colligi; Leges siquidem in Academiis deglutiuntur, in Foro digeruntur. Unde *Baldus* Practicam Scientiam digestivam, eamque optimam Legum intellectricem (3) appellat.) Apud Nostrates autem faciliorem veniam me consecuturum spero, qui post transactos studiorum Academicorum cursus per multos annos exegerim in praxi Curiarum nostrarum, & Causarum Judiciis, quæ magnam Juris Civilis Romanorum Jurisque communis Angliæ communionem, & commixtionem habent. Qua ex praxi, simulque lectione librorum Juris Anglicani, multa observare necessum habui. Erit apud utrosque excusationi locus, si quid erratum fuerit, quod in Legibus singularum Gentium non multa mea tradiderim, sed ea potius, quæ a Jurisconsultis, & Historicis earundem Gentium acceperim; mihique sufficiat Authores meos laudare & nominare, eosdemque denunciare, quod in emtione & contractu civili solenne (4) est. Qui si me, eorum Authoritatem secutum, aliquando in errorem pellexerint, post denunciatio-

nem

(2) *Coler. de process. execut. p. 1. cap. 2. n. 26. Corat. in Syntagm. Com. Opin. in præfat. Cotta in memorabil. jur. v. Practica.* (3) *Bald. ad l. Æmylius n. 11. ff. de Minor. & in us. feud. tit. feud. sine culp. non amitt. & in c. ex-teno e. de Testib.* (4) *L. Herennius. 63. ff. de Evict. Macrob. lib. 6. Saturnal. cap. 7.*

nem tenentur mihi de Evictione (5) Famæ meæ; qui etiam erroribus meis renunciare paratus sum; cum singulæ Gentes Authores probatiores suppeditaverint. Porro Lectoris mihi benignitatem conciliabit, quod hæc scripserim in furore Belli Civilis, ubi Leges minimum locum habent, & quod has cogitationes meas descripserim sæpius perturbatas, vel ex Civitatum, in quibus commoratus sum, obsidione, vel ex rapinis, proscriptionibus, sequestrationibus, confiscationibusque prædiorum & bonorum meorum; & quod inter hæc infortunia, præ reliquis omnibus, me afflixerit mors carissimæ uxoris meæ *Margarethæ Southworthiæ*, fœminæ sanctissimæ, prudentissimæ, modestissimæ, conjugisque incomparabilis; quæ præter luctuosum sui desiderium, duarum Filiarum nostrarum & rei familiaris curam mihi reliquit: contra hæc tamen omnia animum meum tenuit Divina *Clementia* erectum, intrepidum, constantem in fide regi meo servanda, propositique mei in hoc Opere tenacem, ut demonstrarem Nostratibus, quantum honorem exteri Juri Civili Romanorum exhibent, exterisque pariter eximium Juris Civilis usum apud nos hactenus fuisse. Sperantem porro, posse me in hoc genere argumenti, quod a nemine adhuc tractatum vidi, hoc audaci conatu meo clarissimos aliarum Gentium Jurisconsultos excitare (sicut Afrania fœmina inverecunda, apud *Ulpianum*

(5) *L. rem. 29. l. si fundo 53. l. si ideo. 55. d. l. Herrenius. 63. ff. de Evict. l. emtori. 8. C. eod. tit.*

pianum (6), Causam dedit edicto de Postulando) ad accuratiores edendos Tractatus, de legibus singularum Gentium, & ad luculentius demonstrandum, quis inter eas singulas locus Juri Romanorum datus sit. Ubicunque demum in hoc Opere benignus Lector me erraſſe obſervaverit (ſicuti in tot Gentium Legibus inveſtigandis, me aliorum Authoritatem ſecutum ſæpius erraſſe neceſſe eſt) ignoſcet nimio meo Juris Civilis ornandi ſtudio; cum hoc tantum in votis mei habuerim, ut poſſim Juri Civili Romanorum in Anglia retinendo inſervire, eidemve, ſi diſceſſum paraverit, valedicere, juſta perſolvere, & parentare. *Vale*.

Sacroſanctæ individuæ Trinitati Laus, Honor, & Gloria. Amen.

IN-

(6) *L. 1. ff. de poſtul.*

INDEX
RERUM

Præcipuarum in his duobus Libris: in quo numerus primus Librum, secundus Caput, tertius Paragraphum, quartus Folium, denotat.

B.

Si-

C.

Ca

Con-

Cu-

D.

Edu,

Gal-

Gi-

H.

In

Hi.

I.

L

Li-

M.

Ma-

Nau-

N.

Q.

R.

Rot-

S.

Sta-

In-

T.

Con-

V.

F I N I S.